



ELEMENTA IVRIS GERMANICI CIVILIS


VETERIS PARITER
ATQVE HODIERNI
EX GENVINIS FONTIBVS
DEDVCTA
ET
COMMODA AVDITORIBVS METHODO
ADORNATA
A
IO. RVDOLPHO ENGAV.

EDITIO TERTIA AVCTIOR ET EMENDATIOR.

CVM PRIVIL. S. REG. MAI. POL. ET EL. SAX.



IENAE
SVMTIBVS VIDVAE CROECKERIANAE
M DCC XLVIII.



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IO. RVDOLPHVS ENGAV.



Hunc libellum ſecunda uice editurus (1) quædam *de origine, fatis atque libris Iuris Germanici* præmittere, *de iurisprudentiæ germani-*

cæ necessitate & subsidiis nonnulla differere, de *mortuis*, *condominio*, *singularibus rusticorum prædiis*, *ordine successionis in bona quorum dominium inter duos inæqualiter diuisum est*, *iure deuolutionis & recadentiæ*, *legitima & portione statutaria*, *successorum cuiuscunque generis iuribus & obligatione*, *arbitris*, *iudicio & processu opificiario*, *iudicio & processu meyerdingico*, **vom Gast-Recht** aliosque titulos, itidem de *pagis* eorumque præfectis, *emancipatione nobilium*, *creatione equitum*, *honoribus doctorum academicorum*, *modis iura ciuitatis amittendi*, *emporii stapulæ nundinarumque iuribus*, porro *typographorum pharmaco-*

po-

polarum balneatorum pictorum tinctorum iuribus ſingularibus, ſteuris & cataſtro, bauaria &c. plures theſes de nouo adſpergere, nec minus iura *nobilium, feudorum, ſuperioritatis foreſtalis, ſimultaneæ & meiericæ inueſtituræ, diuidendæ hereditatis, literarum cambialium &c.* itidem *rationem in foro procedendi* pluribus, atque factum eſt in editione prima, docere uolui, debuique. Sic quoque nullus dubitaui (2) breuitati ſtudere, ac (3) ea, quæ non ſatis clara & diſtincta uidebantur, in maiorem lucem ponere, ut uel ex eo poteſt intelligi, quod de *libris cenſualibus, libris mercatorum, legitimatione, adoptione, pactis dota-*

libus, *tutela*, *pactis successoriis*, *fideicommissis*, *mutuo &c.* disputaui. Vbique in eo fui (4) ut ius germanicum genuinum a spurio, antiquum ab hodierno, uniuersale a prouinciali & statutario distinguerem, atque (5) obsoleta tunc demum traderem, si faciant ad intelligendam Iurisprudentiam, qua utimur hodie. Denique (6) ut iustiorem ordinem & maiorem rerum nexum seriemque exhiberem, non solum §§. sed & integros titulos hinc inde transtuli. Quum sic habeas, LECTOR CANDIDE, quid efficere uoluerim; nihil superest, quam ut TE ea qua par est obseruan-

uantia rogem, uelis his laboribus frui, meque eodem, quo cæpisti fauore, prosequi in posterum. Vale. Dabam Ienæ d. XXII. Apr. M DCC XL.

PRAEFATIO EDITIONIS TERTIAE

ERVDITO LECTORI S. P.

Equidem *Elementa Iuris Germanici ciuilis* iterum editurus non potui, quin ea hinc inde mutarem, emendarem, itidem nouis augerem obseruationibus, iisque haud ficulneis. Vt hunc la-

laborem meum ſerena fronte accipias, meque fauore TVO in poſterum haud dedigneris BENEVOLE LECTOR; illud eſt, quod TE ea qua par eſt obſeruantia rogo. Dab. Ienæ d. XXX. Sept. MDCCXLVII.





DISSERTATIO PROOEMIALIS

SECT. I.

DE

LEGVM GERMANICARVM INDOLE.

§. I.

Lex est uoluntas imperantis rite declarata, ad cuius normam uitam componere debent ciues. Leges, quæ

§. II.

Iam, quum in Germania imperium uel uniuersale sit uel ad prouinciam quandam adstrictum, leges(1) in *uniuersales* & *prouinciales* diuiduntur, quarum hæ illis præferuntur, siue priores siue posteriores sint tempore *a*). uarie diuiduntur,

Engau Ius Germ. A §.III.

a) BECHT *de legibus ad statum cuiusuis reip. prudenter adplicandis, & de iure recedendi a constitutionibus imperii, statibus competente* sect. 2.

§. III.

Diuiduntur porro (2) in *reales* & *personales*, (3) in *dispositiuas* & *praeceptiuas*, quarum has laudanti non nisi suo modo exceptiones pacti, iurisiurandi, praescriptionis &c. opponi queunt; (4) in leges uel *uarii* uel *eiusdem generis* negotia determinantes.

§. IV.

obligant ciues, *Lex*, prout decet lata, obligat *ciues*, statim atque solemniter * publicata est, nisi illius lator terminum a quo statuerit alium.

* Olim in iudiciis publicabantur leges; hodie uero principes imperii suas leges, sua mandata, uel typis exprimi & locis publicis adfigi, uel per praeconem, modo ciuilem modo ecclesiasticum, publicari iubent.

§. V.

usque dum mutatae, aut Legis rite promulgatae obseruantia praesumitur, usque dum probetur, (*a*) plures actus publice susceptos aut legem latam esse in contrarium; (*b*) mutatas esse circumstantias, sub quibus, uel cessare rationem, ex qua, lex lata est.

§. VI.

Quoties lex prouincialis ciuibus alia,

alia

alia peregrinis tribuit iura, toties datur locus *retorſioni*; neutiquam uero tunc, ubi ciuibus & peregrinis idem, alibi licet ignotum reprobatumue, ſtatutum eſt *b*). **ob ius retorſionis, uel**

§. VII.

Priuilegia nonniſi ab auctore legis, & quidem ita, ut ſaluum ſit imperium, ſaluumque ius cuiusque tertii, conceduntur, conceſſaque explicari debent ſtrictiſſime. **priuilegium conceſſum non ſeruandæ probentur.**

§. VIII.

Collegia licita plerumque de rebus ad eorum finem pertinentibus poſſunt, de aliis uero, niſi hoc eorum approbationis auctor permittere uoluerit potueritque, nequeunt, ſemper tamen ſalua ſuperioritate territoriali, ſalua ciuitatis ſalute, ſaluoque iure tertii debent, ſtatuere. **Statuta,**

§. IX.

Condita illi, cui collegium ſtatuens immediate ſubeſt, offerenda ſunt, & quidem alia, ut confirmata uim legalem conſequantur, alia, ut ſuperior intelligat, nihil ſibi, aliorumue iuribus aut ciuitatis ſaluti contrarium ſtatutum eſſe. **a ſuperiore probata. &**

b) RECHENBERGI *d. Bellum legum contra leges, retorſione ementita metuendum & Vindiciæ iurium reip. & fiſci in doctrina retorſionum.* §. XI.

§. X.

publicata, obligant. A superiore probata, & rite publicata, omnes, *statuentium potestati subiectos*, & quidem quatenus subsunt, obligant.

§. XI.

Eorum uarietas, Pro uarietate collegiorum ipsa statuta uariare, atque statuta statuum prouincialium, academiarum, ecclesiarum, opificum, municipalia aliaque occurrere, quis est qui nesciat?

§. XII.

interpretatio, Sint autem quae uelint, eorum *interpretatio* ea debet esse, quae a iuribus prouinciae, cuius pars est collegium statuens, parum recedit, & superioritatem laedit minime.

§. XIII.

obseruantia & retorsio. Illud denique notandum est, quod de statutorum, praesertim municipalium, tam *obseruantiae praesumtione c)*, quam *retorsione d)*, idem obseruandum sit, quod de legibus (§. V. seq.) diximus.

§. XIV.

c) ZIMMERMANN *de obseruantia statutorum municipalium, in municipiis non probanda.*

d) BAVER *de uero fundamento, quo inter ciuitates nititur retorsio iuris.*

§. XIV.

Diuturni, nec diuersi, mores eodem loco, eadem prouincia, cohabitantium faciunt *consuetudinem*. Consuetudines

§. XV.

Quam Dd. diuidunt (1) in *bonam* & *malam*, quæ posterior quoque corruptela, consuetudo facti, dicitur *e*), (2) in *publicam* & *priuatam f*), (3) in *uniuersalem* & *particularem*, (4) in *adfirmatiuam* & *negatiuam*. uariant.

SECT. II.

DE

ORIGINE FATIS ATQVE LIBRIS IVRIS GERMANICI.

§. XVI.

In Germania, unius quidem gentis patria, multorum tamen populorum sede, ab initio ualuisse mores *g*), & omnibus com- Mores antiqui.

e) KRAVSERI d. *de consuetudine facti* p. 20. seq. GVNDLING vom Gewohnheits-Recht.

f) KVLPIS *de obseruant. imper.* WERLHOF *spec. iur. german. enucl.* p. 82.

g) TACITVS *de M. G. c.* 19.

communes **, & uni uel alteri populo proprios, inter omnes constat. Qui uero illi fuerint, ex aureo TACITI libello *de moribus Germanorum*, CAESARIS *** comment. *de bello gallico*, aliorumque exterorum libris discere debes. Ipsi enim maiores nostri instituta sua, carminibus *b*) complexa, mandarunt memoriae *i*), non uero literis.

* Quorum alii fortitudinem, castitatem fidemque spirabant, alii simplicitatem, superstitionem & barbariem redolebant. Hinc, cur omnes dicerem optimos aut pessimos, certe non est. HOFFMANN spec. coniecturar. polit. *de origine iuris germanici* c. 2. period. 2. §. 4. not. b.

** Quibus TACITVS *de M. Germ.* annumerat poenam scuti derelicti c. 6. rationem consultationum & diaetarum c. 11. dotem a marito uxori offerendam c. 18. insignem promittentium & colludentium fidem c. 24. &c.

*** Quae enim de Gallis, Germanorum consanguineis, refert CAESAR, & quae de Britannis tradit SOLINVS, ea fere omnia usu obtinuerunt in Germania.

§. XVII.

b) *Elem.* I. *Crim.* lib. I. §. 2. seq. POLAC *Iurispr. Germ. ant.* lib. I. c. 2. §. 1. not. a. LAVTERBACH *de carminibus ueter. germanorum* §. 15.

i) WAGENSEIL *de cantionibus*. THOMASII d. *morum cum iure scripto contentio* §. 55. seq.

§. XVII.

Seculo V. natæ ſunt leges, quarum omnium antiquiſſima eſt lex *Salica*, quam latina lingua ſcriptam *k*)* ſub initium Sec. V. ** tulerunt Wiſogaſtus, Bodogaſtus, Salogaſtus & Windogaſtus, ad principia uero religionis Chriſtianæ emendatam auxerunt Clodouæus, Childebertus, Chlotarius, Carolus M. & Ludouicus pius *l*). Unde diuerſa ſunt illius exemplaria *m*). Hæc lex, plures cauſas criminales quam ciuiles determinans, non ſolum in Francia & Italia, ſed & in ipſa Germania legis uim obtinuit diutiſſime *n*). L. Salica:

* Id quod docere poſſunt uel *gloſſæ malbergicæ*, quarum multi fuerunt correctores & interpretes, plerumque tamen infelices. V. IO. GVIL. HOFFMANNI *obſeru. iur. germ.* lib. I. c. I.

** De huius legis natali ſolo ſerram contentionis reciprocant Dd. V. KOPP *hiſt. iur.* p. 197. not. c. WEIDLER diſq. *de natali ſolo legis Salicæ* HEINECCIVS c. præf.

k) KAESTNERI pr. *de lege Salica* §. 5. Diſſ. Abbas de VERTOT d. *de origine legum Salicarum*, WACHTER *gloſſar.* v. Salrecht.

l) HEINECCIVS præf. Corpori I. Germ. a GEORGISCH ed. præmiſſ.

m) HOFFMANN *de orig. Iur German.* p. 24. d.

n) KOPP. c. l. p. 198. not. h.

§. XVIII.

L.Ripuaria. *L. Ripuaria*, quam in ſcripturam redegit Theodoricus, auxit uero Dagobertus, quia Salicæ ualde ſimilis eſt *o*), quibusdam dicitur pars legis Francorum altera.

§. XIX.

L. Alamannorum. Legem *Alamannorum* a Theodorico conditam, a Chlotario perfectam, & a Dagoberto renouatam legimus in illius epigraphe. Huic legi ſuccedente tempore plura capita ſunt adiecta. En cauſam tantæ exemplarium uarietatis *p*).

§. XX.

L.Baiuuariorum. Legibus *Baiuuariorum*, quas in ſcripturam redactas firmarunt Theodoricus, Childebertus & Chlotarius ac denique Dagobertus, reges *q*), ſubiungitur *decretum Taſſilonis*.

§. XXI.

L.Burgund. Poſtea (1) *Burgundiones* a Gundebado, *Oſtro-*

o) HOFFMANN c. l. p. 32. not. c. STRVV. *Hiſt. Iur*. c. 6. §. 3. not. p. 416. ſeq.

p) LINDENBROG p. 1330. ſeq. CONRING *de orig. iur. german*. c. 9.

q) præf. LL. Baiuuar. VRSTISIVS *rerum german*. To. I. p. 107.

Ostrogothi a Theodorico & *Wisigothi* ab Eurico acceperunt leges, Romanorum instituta redolentes. Iam enim eorum mores corrupti erant ex diuturna consuetudine cum prouincialibus, quibus arbitrium fecerant, ut qua uellent lege, Romana an Germanica, uiuerent *r*). De ætate *L. Anglorum & Werinorum* non satis constat. Ostrog. Wisig. Angl. & Werinor.

§. XXII.

Leges (2) *Longobardorum* a diuersis conditas, & a Petro Diacono Cassinensi, ut quidam uolunt, in iustum ordinem redactas *s*), illustrarunt uarii, inprimis uero socii palatini, & inter hos LVD. ANT. MVRATORIVS *t*). L. Longobardorum

§. XXIII.

Legem *Frisionum*, quam incertæ ætatis esse ad unum omnes fatentur Dd. *u*), notis illustrauit, nec non additionibus sapientum, & legibus conuentus Obstalbomici An. 1323. rogatis, auxit SIBRANDVS SICCAMA. L. Frisionum.

r) HEINECCIVS *histor. Iur.* lib. II. c. 1. §. 10. seq. b. BRVNNQVELL *histor. iur.* p. IV. c. 2.
s) HEINECCIVS c. l. §. 25.
t) *Scriptor. rer. Italic.* To. I. p. II.
u) CONRING. c. l. c. XIII. Perill. Dominus de WESTPHALEN *monum. inedit.* To. III. f. 76. seq.

§. XXIV.

L. Saxonica. *Legis Saxonicæ*, de cuius ætate disputant SPEELMANN *x*) LINDENBROG, STRVV *y*), HEINECCIVS *z*), nonnisi fragmentum ad nos peruenit. Sub illius finem comparent capitulatio de partibus Saxoniæ, & capitulare Saxonum de A. 797.

§. XXV.

Quid de his legibus in genere notandum? De legibus, quas §. IV - XI. laudauimus, sequentia uelim notes: (1) quod sint plerumque nimis speciales; (2) quod plura contineant consuetudinum, a TACITO, CAESARE aliisque memoratarum *a*), uestigia; (3) quod ex iure peregrino hinc inde auctæ, & (4) a regibus Francorum ad principia religionis Christianæ, nec non ad formam reip. emendatæ sint; (5) quod ad eas intelligendas non parum faciant illæ formularum collectiones; (6) quod, licet iam dudum exoleuerint, tamen addisci debeant, quia sine earum cognitione multa iuris germanici capita satis cognosci nequeunt *b*). Ex lege enim *Ripuaria* natales pro-

x) *gloſſar.* v. Lex Saxonum.

y) *Hiſt. iur.* VI. 7. p. 425. seq.

z) c. l. §. 32.

a) Celeb. FRANC. *de Ipra uet. Germ.* §. 10.

b) WERLHOF spec. 1. *Iur. German. enucl.* p. 88. seq.

probationum uulgarium, compurgatorum numerum, & iudicii duellici rationem, morgengabæ naturam, morem pretium alapasque dandi pueris, auresque torquendi teſtium; ex *Alamannica*, uaria ſucceſſionis, & rationis in foro procedendi capita; ex lege *Saxonum*, wergeldum, feminarum emtionem &c. diiudicare debes *c*).

§. XXVI.

Capitularia R. Francorum, conſenſu populi & ſubſcribentibus proceribus olim conſtitui ſolita, poſt ANSEGISVM, BENEDICTVM Leuitam, aliosque, luculenter edidit STEPH. BALVZIVS. Quis eorum uſus fuerit ſub Impp. Saxonicis, diſceptatur acriter *d*). **Capitularia.**

§. XXVII.

Quæ ubi germanorum manibus exciderunt, nullæ fere leges de rebus priuatis *e*) ad Sec. usque XIII. latæ ſunt, ſed ius conſuetudinarium inualuit.

* De rebus publicis quædam tunc latæ ſunt. Non tamen omnes, quas GOLDASTVS To. I. *Conſtit. imper.* inſeruit, genuinas habere potes.

§.XXVIII.

c) HOFFMANN l. c. c. 2. period. 3. ſect. 8. §. 3.
d) CONRING c. l. c. XVII.
e) b. BRVNNQVELL c. l. c. IV. §. 4. ſeq.

§. XXVIII.

Speculum Saxonicum.

Hoc quum destruere conaretur pontifex, quidam de moribus patriis conseruandis cogitabant. Unde nata sunt duo illa *specula* *, inter quæ eminet *Saxonicum*, quod (1) in ius *prouinciale*, sub initium Sec. XIII. conditum, *f*) *feudale* & *municipale* distribuitur; (2) a quibusdam pontificibus damnatum & reprobatum, atque (3) recentiori ætate alio libello, der Richtsteig dicto, instructum est; (4) multis quidem *næuis* scatet, certas tamen iuris patrii, per uniuersam germaniam inferiorem recepti, reliquias continet, ac (5) maximam auctoritatem olim uariis de causis consecutum est. *Weichbildum*, quod *Magdeburgense* dicitur, nihil aliud est, quam compendium iuris Saxonici prouincialis. Tantum abest, ut hoc ius Saxonicum omni usu destituatur hodie, ut potius in Saxonia, Silesia *g*), Holsatia *h*) & alibi *i*), si non in

f) Ill. AYRER d. *de ætate Speculi Saxonici, Suenico antiquioris.*

g) Sanctio Ferdinandi III. de A. 1641. Leopoldi de A. 1702. STRYK *de iure Silesiorum Saxonico.*

h) *Reuidirte* L. G. O. p. II. tit. 3. §. 3. p. III. tit. 26. §. 9. p. IV. tit. 6. §. 15. MAVRITIVS præf. in *Consilia Chiloniensia* Dn. de WESTPHALEN c. l. To. III. f. 47. seq.

i) RINCKII d. *de Spec. Sax.* §. 17. seq.

in totum, in tantum tamen adhuc obtineat usu.

* In nominis rationem non sine causa inquirit STRUVIUS *histor. iur.* p. 458.

§. XXIX.

Speculum Sueuicum

Speculum Sueuicum, quod post medium Sec. XIII. ad exemplum speculi Saxonici conditum esse, atque mores Sueuorum aliorumque populorum, qui iure Saxonico non uixere, continere dicitur, usu obtinuit usque ad Caroli IV. tempora. *Ius feudale*, prouinciali recentius esse non sine causa statuimus *k*).

* Exemplaria a MEISCHNERO, GOLDASTO, SCHANNAT, BERGERO, aliisque edita, quod ad articulorum contenta, ordinem, numerumque, haud parum inter se discrepant.

§. XXX.

Iura prouincialia.

A communibus Germaniæ iuribus progrediamur ad prouincialia, inter quæ omnium maxime nota sunt: I. *ius Austriacum*, circa A. MCXC. conditum & a b. LUDEWIGIO ex MSto codice publicatum *l*); II. *ius Bauaricum* de A. MCCCXLVI. *m*) III. *ius Tyrolense* A. MCCCXCVII. restau-

k) *I. F. A.* I, 120. 168.
l) *reliq. MSt.* To. IV. p. 3. seq.
m) LAMBECII *biblioth. Vindob.* II, 8.

ſtauratum auctumque, ſi fides habenda HVNDIO *n*). IV. *ius Brabantinum* V. *ius Iuticum* *o*) &c.

§. XXXI.

Iura ſtatutaria, & quidem Suſatenſia.

Denique mentionem faciamus ſtatutorum, non tamen omnium, ſed præcipuorum. Huc pertinent 1. *ſtatuta Suſatenſia*, die Soeſtiſche Schrade, *p*) quæ, quia ſuccedente tempore aucta immo immutata ſunt, hodie diuiduntur in die alte und neue Schråe *q*). Eorum articulos tantum XII., ſucceſſionem nempe ab inteſtato & communionem bonorum concernentes, adhuc uſu obtinere nos docet SCHVTTE *r*). Exemplum ſtatuti Suſatenſis exhibet LVDOLF *s*).

§. XXXII.

Lubecenſia.

2. *Ius Lubecenſe*, quod auctoritate Henrici

n) *metrop. Salisb.* To. I. p. 450.

o) Dn. de WESTPHALEN c. Tr. To. III f. 46. ſeq. BLVNTINGII *obſ. iuris Cimbrici* ap. Eundem c. To. f. 2154. ſeq. b. BRVNNQVELL c. l. c. VIII. §. 11.

p) SCHVTTE d. *de iure Suſatenſi, eiusque & iuris ciuilis collatione in ſucceſſione ab inteſtato* c. 1. §. 8.

q) Conſ. RICCIVS von Stadt-Geſetzen lib 1. c. 10. §. 2.

r) c. d. §. 11. ſeq.

s) *collect. ſtatut.* p. 792.

rici Leonis ex iure Saxonico, moribus maiorum &c. collectum, atque a Friderico I. & II. confirmatum est *t*), tantae auctoritatis fuit, ut in Pomerania *u*), Ducatu Megapolitano *x*), principatu Caminensi, in plerisque Holsatiae ciuitatibus, & alibi, uim legis obtineret *y*), & ex his locis ad Senatum Lubecensem prouocaretur *z*). Hoc ius postea ex iure Wisbyensi, & recessibus Hanseaticis *a*) auctum, immo in nouam plane formam mutatum est. Iterum quibusdam constitutionibus nouis instructum prodiit Lubecae 1728.

* Hoc ex iure Sueogothico Ill. NETTELBLADT d. *de fontibus iur. Lub.* ex Slauico Ill. BOEHMERVS d. *de prudentia legislatoria* c. 2. ex Susatensi uero plerique deriuant.

§. XXXIII.

3. Hamburgensibus ius municipale, uulgo *Koebr* dictum, dederunt Adolphus, Gerhard, Iohannes Henricus & Henricus Hamburgensia

t) STRVV *hist. iur.* p. 499.

u) SIBRAND *urb. Lubecae iura publ.* sect. 10.

x) WESTPHAL *de indole practica iuris Lubec. in ciuitatibus Mecklenb.*

y) WERLHOF spec. 2. *Iur. Germ. enucl.* c. 2. §. 2.

z) WESTPHAL d. *de origine fontibus I. Lub. eiusque usu, auctoritate, elogio & subsidiis.*

a) WERLHOF c. l. *spec.* III.

cus Holſatiæ Comites *b*). Hoc poſtea reuiſum & nouis receſſibus auctum eſt.

§. XXXIV.

Colonienſia aliaque. Porro celebrantur 4. ſtatuta *Colonienſia*, quæ iam 1229. confirmauit Henricus AEp. & A. 1242. Fridericus Imp. *c*); 5. *Francofurtenſia*, quæ ex autographo ſe deſcripſiſſe gloriatur ill. SENCKENBERG *d*); 6. leges municipales, quas *Brunſuigo* ab Ottone datas confirmauit Fridericus II; 7. ſtatuta *Bremenſia*, *Verdenſia*, *Mindenſia*, *Stadenſia e*). Ut alia tacitus prætereatm, in quibus condendis a Sec. XIII. certarunt ciuitates Germaniæ *f*).

§. XXXV.

Receſſus imperii Ad ius germanicum nouum pertinent I. *Receſſus imperii*, qui in primarios & ſecundarios diuiduntur, ſuntque conſtitutiones uniuerſales mutuo imperatoris & ſtatuum conſenſu conſtitutæ promulgatæque *g*). Receſ-

b) LAMBEC. *orig. Hamb.* II. nr. 471.

c) LVNIG R. *Archiu.* p. ſpec. IV. cont. p. 341.

d) *ſelect. iur. & hiſtor.* To. I. p. 1. ſeq.

e) v. Ill. PVFENDORFIVM *obſeru. iur. uniu.* app. nr. 3. 6.

f) Ill. KOPP *hiſt. iur.* p. 231.

g) MAVRITIVS *de Receſſ. imper.*

Recessum de A. 1654., qui nouissimus dicitur, commentariis illustrarunt IO. WOLFGANG. TEXTOR, VLRICVS OBRECHTVS & PAVLVS GAMBSIVS.

§. XXXVI.

Eo etiam referre debes II. *leges prouinciales*, quæ Land-Rechte, Policey-Proceß- und-Gerichts- Hofgerichts- Cantzley- Ordnungen &c. dicuntur, quasque a Sec. XVI. ad unum fere omnes principes Germaniæ condiderunt. Inter eas celebrantur *Austriacæ* *, *Badenses b*), *Bauaricæ* ** *i*), *Brandenburgicæ*, *Brunsuicenses*, *Hassiacæ*, *Hohenloicæ k*), *Holsaticæ*, *Iuliacæ*, *Magdeburgicæ l*), *Marchicæ m*), *Megapolitanæ*, *Mindenses*, *Palatinæ*, *Saxonicæ* tam *Electorales* Leges prouinciales.

b) Land-R. der Fürstenth. und Landen der Marggr. Baden und Hachberg. Durl. 1710. Landes-Ordnung der F. und L. der Marggr. Baden und Hachberg. Ibid. 1715.

i) Der Fürst. Ober- und Niederbayern Land-Recht, Policey- Gerichts- Malefitz- und andere Ordnungen. München 1616.

k) Der Graffschaft Hohenlohe gemeinsames Land-Recht. Oehring. 1738.

l) vid. MYLII *Corpus constitutionum Magdeburgicarum.*

m) MYLII *Corpus constit. Marchicarum.*

rales n) quam *Ducales*, *Silesiacæ o*), *Sol-mensses p*), *Würtembergicæ*, *&c.*

* Ad has, quas plerasque legere potes in *Codice Austriaco*, WEINGARTENII *Codice Ferdinandino-Leopoldino - Iosephino - Carolino*, intelligendas faciunt FINSTERWALDER, SVTTINGER aliique.

** Ad quas commentati sunt SCHMID, KHRAYSER, CHLINGENSPERG.

§. XXXVII.

Statuta. Tertium locum occupant *statuta*, Reformationes, Willkühre, in quibus eminere uidentur *Lipsienses q*) *Mulbusinæ r*) &c. ordinationes; *Coloniensis*, *Francofurtensis*, *Norimbergensis &c.* reformationes; *Dresdensia s*), *Mindensia &c.* statuta. De iure statutario Lubecensi. Hamburgensi &c. iam supra (§. XXXII. seq.) diximus.

n) LVNIG *Corpus I. Saxonici.*

o) Des H. Schlesien concernirende *priuilegia*, *statuta* und *sanctiones pragmaticæ*. Bresl. 1713 -- 1723. Samlung der *priuilegien*, *statuten*, *rescripten* und *pragmatischen sanctionen* des Landes Schlesien. Leipz. 1736.

p) Der Gr. Solms Gerichts- und Landes-Ordnung. Franckf. 1716.

q) Der St. Leipzig Ordnungen, wie auch *priuilegia* und *statuta*. Leipz. 1701.

r) *Statuta* und Willkühr der Reichs-St. Mühlhausen 1692.

s) Der St. Dreßden *Statuta* und Stadt-R. 1660.

LIB. I.



LIB. I.

TIT. I.

DE IVRISPRVDENTIAE GERMANICAE NECESSITATE, ET SVBSIDIIS.

§. I.

Ius *Germanicum* mihi eſt complexus legum, ſtatutorum, morumque Germaniæ. Iuris Germanici

§. II.

Atque diuiditur (1) in *publicum* & *priuatum*, (2) *uniuerſale* & *particulare*, (3) *ſcriptum* & *conſuetudinarium*, (4) *antiquum*, *medium* & *hodiernum*.

§. III.

Iuris Germanici prudentia eſt habitus leges, mores & ſtatuta Germaniæ interpretandi, atque ad factorum ſpecies decenter adplicandi. prudentiæ.

§. IV.

scitu necessariæ, Cuius necessitas uel ex eo patet (1) quod maiores nostri iura peregrina nonnisi saluis legibus moribusque Germaniæ, immo salua harum analogia, receperint, sicque, dum inter se pugnant ius peregrinum & patrium, hoc illi præferri iusserint *a*); (2) quod iuris germanici non satis peritus uix diiudicare possit usum & non usum iuris Romani in Germania; (3) quod multa negotia, quorum nullam plane mentionem faciunt iura peregrina, in Germania celebrentur quotidie *b*). Ut alias causas, cur iurisprudentia Germanica sit addiscenda *c*), tacitus prætercam.

§. V.

studiosi est, 1) quædam fugere, Est uero studiosi iuris germanici I. cauere (*a*) ut ne præceps illud, quod in Ger-

a) b. BRVNQVELLI pr. *quod, in pugna Iuris Germanici & Romani, illud huic, inprimis in caussarum illustrium decisionibus præferendum sit, nisi huius receptio probetur.*

b) KESTNER *de singularibus quibusdam Germanorum circa personas & res iuribus in Iure Romano aut parcius aut plane non tractatis.*

c) ENGELBRECHT comment. *de utilitate ac necessitate studii iuris germanici.*

Germania seruatur usu, & respondet iuri cuidam recepto, ex hoc deductum esse iudicet *d*); (*b*) ut ne ex quouis facto deriuet morem aut consuetudinem; (*c*) ut ne uerba uel negotia patria ex legibus peregrinis explicet; (*d*) ut ne subsistat in legibus antiquissimis & duobus illis speculis; (*e*) ut ne diuersis nominibus diuersa instituta semper significari reputet &c.

§. VI.

Porro II. debet ex ipsis fontibus, quos in differt. prooem. monstrauimus, non uero ex putidis riuulis haurire iura. 2) fontes consulere,

§. VII.

Qui solidam iurisprudentiam germanicam sectatur, non potest non III. *subsidiis* uti, speciatim (*a*) *linguam* latino-barbaram & germanicam, hancque tam priscam quam hodiernam, sibi cognitam reddere. Hac enim uel illa neglecta, uim uerborum, quæ in legibus curiis atque communi uita solent occurrere, sæpe sæpius non intelliget *e*). Et quia plures uoces obscuræ sunt dubiæque, usque dum 3) subsidiis uti, speciatim *a*) lingua

 con-

d) RICHEY *historia statutor. Hamburgensium* c. 2. §. 2.

e) HOFFMANNI pr. *de inuestigandis in iure German. & Sax. significationibus.*

constet de earum origine, optime sibi consulit iuris germanici studiosus, qui operam dat (*b*) *etymologiæ*. Itaque necesse est, ut euoluat glossaria celtica, anglo-saxonica, francica & alemannica, nec non latino-barbara, glossarium WACHTERI aliaque.

§. VIII.

c. paroemiis Subsidiis annumero (*c*) *parœmiarum germanicarum cognitionem*. Eæ enim, quum doceant, quid ferat consuetudo, iurium loco esse possunt causas controuersas decisuro *f*).

§. IX.

d. antiquitatibus In subsidiis porro est (*d*) *notitia historiæ g*) & *antiquitatum germaniæ*, quippe sine qua de multis negotiis, quæ apud Germanos in usu fuerunt antiquitus, & in plerisque foris hodienum frequentantur, tibi constabit minime *h*). Sic quoque

f) HERT. *de paroem. iur. germ.* prol. §. 4.

g) SPENERI pr. *de usu atque auxilio Iurisprudentiæ ex historia.*

h) V. C. CRAMER *de coniungendo iuris & antiquitatum germanicarum studio*. Ludwigs pr. von Teutschlands Unheil aus Unwissenheit der Historie §. 15.

que sine ea tollere non poteris iurium commixtionem *i*) & incertitudinem.

§. X.

Succedit (*e*) *historia iuris germanici*, quae legum morum & statutorum rationes referat, natales & fata enarrat, usumque hodiernum docet. e. historia iuris

§. XI.

Porro iurisprudentiae germanicae studiosus conquirere debet (*f*) medii aeui *diplomata k*), speciatim constitutiones, transactiones, libellos, aliaque patriae uetustatis documenta (*g*). Ut uero ea legere & diiudicare possit, probe attendat ductus literarum *l*), monogrammata *m*), & sigilla *n*); nec minus abbreuiaturas *o*), quas dicunt, sibi reddat cognitas. f. diplomatibus,

i) LUDEWIGII or. *de emendanda Germaniae iurisprudentia* p. 34. seq.

k) LUDEWIG *de usu & praestantia diplomatum & artis diplomaticae*. MABILLON, *de re diplomatica*. SCHEUCHZER *in tabulis diplomaticis*. HERTIUS, *de fide diplomatum*.

l) BARINGII *clau. diplomat.* nr. I - VI.

m) BAUDISII *analysis monogrammatum*.

n) HEINECCIUS *de sigillis*. THULEMAR *de bullis*.

o) BARINGII c. l. nr. VII.

§. XII.

g. deductionibus

Ei inseruiunt etiam (*g*) *deductiones* in causis controuersiarum illustrium in lucem emissae, quippe quae antiquitates germanicas saepe referant, & uaria producunt diplomata *p*). In earum notitiam introducit LVNIG *q*)

§. XIII.

h. legibus uicinarum gentium &

Non minorem opem studio nostro adferunt (*h*) *leges istarum gentium*, quae uel germanicae sunt originis, uel commercium cum Germanis habuerunt frequens *r*). In illis enim splendent saepe iuris germanici antiqui scintillulae.

§. XIV.

i. scriptis iuris germanici peritorum.

Denique studiosus iurisprudentiae nostrae non potest non sibi consulere, dum (*i*) scriptorum de moribus germanorum fragmenta ac testimonia conquirit *s*), atque SCHILTERI, HERTII, THOMASII, de LVDEWIG, BOEHMERI, HEINECCII, ESTORIS, utriusque HOFFMANNI, KRESSII, MEINDERS, KESTNERI, SPENERI, STRVVII, POTGIESERI, BEYERI, WALDSCHMIDII,

p) STRVV *histor. iur.* c. X. §. 35.

q) in *bibliotheca deduct.* a Conf. IENICHENIO admodum aucta.

r) HEINECCIVS in *El.* I *Germ.* prooem. §. X.

s) Conf. CRAMER c. d. §. XIV. p. 50. seq.

DII, Dn. de WESTPHALEN, WERLHOFII, LVDOLFFI, PVFENDORFII, aliorumque uirorum, rerum germanicarum peritorum ſcripta ſibi commendata habet.

§. XV.

Interpretatio legum, morum, ſtatutorumque germaniæ, qua ICtus occupatus eſſe debet (§.III.), quandoque ex LL. & moribus in uicinia probatis *t*), non autem ex Iure Romano uel pontificio deſumi poteſt *u*). Ius ad facti quandam ſpeciem *adplicaturus*, primum attendere debet ſpeciales cuiusque loci mores legesque *x*), poſt analogiam iuris *y*), dein leges & mores prouinciales, &, iis deficientibus, leges imperii recentiores, denique mores, qui olim ubique uiguerunt. Dicitur autem mos uniuerſalis, in quo conſentiunt ſpecula, ius Lubecenſe, hiſtoriæ & diplomata. **Iuris Germanici interpretatio & adplicatio.**

t) LVDOLFF *obſeru. cameral.* p. 552.

u) GASSERI d. *de brocardico: ſtatuta ex iure communi eſſe interpretanda.*

x) SCHMID ad *Ius Bauar.* To. III. tit. 23. f. 159.

y) ENGELBRECHT c. d. §. VI.

TIT. II.

DE

STATV NATVRALI.

§. XVI.

Homines sunt

Hominum iura uariat *ſtatus*, qui uel *naturalis* uel *ciuilis* eſt.

§. XVII.

1) uel nati

Pro ſtatu naturali homines ſunt I) uel *nati* uel *naſcituri*. De illis hæc notanda ſunt: (1) quod eorum uitam præſumi* iubeat *tempus natiuitatis* legitimum; (2) quod, ubi *gemelli* ſunt excluſi, nec conſtat, quis primus, ſorti detur locus z).

*) Vita olim per uagitum fere ſolum *I. F.* art. 20. *I. P. S.* I, 33. *Sueu.* c. 294. *I. P. Oſt-Friſ.* II. 168. probabatur; hodie uero & per motum corporis, pedum, brachiorum, itidem per anhelitum, aliaque, probari poteſt. STRYK *de S. A. I.* diſſ. 1. c. 2. th. 14. WILDVOGEL d. *de iure poſthumor.* c. 2. th. 4.

§. XVIII.

uel naſcituri

Naſciturorum (§. pr.) fauor magnus eſt. LL. enim iubent, uoluntque Dd., (1) ut

z) SLEVOGT d. *de iure primogenituræ & maioratus* §. 8.

(1) ut ne, quæ ſine uentris damno fieri nequeunt, fiant, (2) illa uero, quæ cum, & ſine eo fieri poſſunt, cum damno uentris ſuſcipiantur, ſuſceptaque præſumantur *a*). Hinc (a) ne quidem belli tempore *b*) in prægnantium corpora ex ulla cauſa ſæuire licet *c*), atque (b) parentum facta ita explicari debent, ut ne ſanguinis *d*) aliaue iura adimant embryonibus *e*).

§. XIX.

Diuiduntur homines II) in *maſculos*, & *feminas*, quæ uel adhuc uirgines, uel uirum ueneriſque uſum iam expertæ ſunt.* Feminæ, quibus ſancti quid ** ineſſe putarunt maiores noſtri *f*), uidentur maſculis infirmiores corpore & conſilio. Hinc (1) aliorum *cura* indigent, præſertim ubi ſe ſunt obligaturæ aut quid acturæ in iudicio *g*); (2) ubi de infirmitate

2) uel maſculi uel feminæ.

a) *I. P. S.* lib. III. art. 27.

b) *Ref. Polit. Auguſt.* 1545. tit. was in Kriegsläuften gefreyet. *Ferdinandi II. articuls-Br.* art. 9. Chur-S. *articuls-Br.* art. 5. &c.

c) WILDVOGELII d. *de iure embryonum* c. f. th. XI. ſeq.

d) RAYS *de curis ICtorum circa ſucceſſiones naſciturorum* c. 2.

e) RICHTER *deciſ.* 132. nr. 15. ſeqq.

f) TACITVS *de M. G.* c. 8.

g) *I. P S.* II, 6. OTTO d. *de perpetua feminarum tutela* c. 2. §. 9.

tate exculpanda agitur, f[illegible] ...us audiuntur quam masculi *h*); (3) gaudent dignitate sanguine radicata, atque ea, quæ uel cum ecclesiastica, qua fulgent, aut cum territorio, quod possident, est coniuncta, non uero alia.

*) Quæ semel, & quidem ab amatore suo tacta est temerataque, dici nequit meretrix, ut uel uox germanica innuit. Spatens T. Sprach-Schatz p. 833.

** Hinc in magno semper honore fuerunt. Id docent eorum nomina, & hoc, quod uictoribus præmia dederint in ludis illis equestribus. SCHVBART *de ludis equestr.* c. V. §. 22.

§. XX.

3) uel minores uel maiores.

Atque alia porro hominum est diuisio. Quidam enim (3) sunt *minores*, Kinder, so noch nicht zu ihren Jahren kommen *, alii *maiores*. Ab initio maiorem fecit uirtus, patris aut iudicis censu agnita **, post annorum numerus. Hic diuersis temporibus & apud diuersas gentes determinatus fuit diuersimode. Longobardi *i*), Wisigothi *k*) aliique Germaniæ

h) BRVCKMANN *de different. utriusque sexus* p. II. art 17.

i) II, 8, 2. II, 29, 1.

k) IV, 3, 1.

niæ populi, ſtatuerunt XX. a. *l*), quibus adhuc unum addiderunt Saxones *m*) & Alemanni *n*), ut ſic excluderent reſtitutionem in integrum, ſi fides habenda LVDEWIGIO.

* Germani (*a*) inter *minores* & *impuberes* non diſtinguunt, multominus (*b*) horum ſubdiuiſiones approbant, aut (*c*) puellas pueris citius maiores fieri ſtatuunt. Vid. GAERTNERI d. *Iure Germanico impuberes & minores &c. non diſtingui.*

** Hinc armis agnoſcebantur uiri. TACITVS c. l. c. 13. 20.

§. XXI.

Diuiduntur denique (5) in *integros* & *corporis* uel *animi integritate* priuatos. Hi, quorum uitium modo inſigne eſt modo leue, uel plane inutiles uel debiles dicuntur eſſe. Hic ſimul notes, quod *næuis* maternis ſæpe dignoscantur homines *o*), atque ætas ex *facie* hominis colligatur, ſi alia probationis documenta deficiant *p*). 4) uel integri uel debiles.

§. XXII.

l) LVDEWIG. d. *de ætate legitima pub. & mai.* c. 3. KEMMERICH d. *de maiori principum ætate* §. 5. ſeq.

m) *Spec. Sax.* I, 42. *I. F. S.* c. 26.

n) *Spec. Sueu.* c. 1.

o) RAV *de næuis maternis.*

p) RIVINI pr. *de probatione ætatis.* PAGENSTECHERI d. *de barba.*

§. XXII.

Usus hod. Hodie (1) *feminæ* alicubi nulla cura indigent, & (2) inter priuatos, ubique cum masculis succedunt æqualiter; (3) *terminus minorennitatis* alibi XVIII. alibi XXI. alibi alius annus *q*), & quidem (4) alicubi pro diuersitate sexus diuersus positus est *r*).

TIT. III.
DE STATV CIVILI,
SPECIATIM
DE
HOMINIBVS PROPRIIS.

§. XXIII.

Hominum diuisiones. In ciuitate germanica homines antiquitus I) in *sacerdotes* * & *seculares*, hique iterum II) in *proprios* & *liberos* sunt diuisi *s*). Liberis, qui in *nobiles*, *ingenuos* & *libertos* distribuebantur *t*), tempore, quo urbium numerus creuit, *burgenses* accessisse legimus.

* Hi,

q) *Electa I. P.* Tom. VIII. 1024. Tom. IX. p. 356. GAERTNER c. d. p. 23.

r) CLEMENS d. *de ætate & insignioribus eius in iure effectibus*.

s) TACITVS *de M. G.* c. 25.

t) CLVVER *Germ. ant.* L. 15. p. 121. seq.

* Hi, qui habebantur uoluntatis deorum interpretes, magnæ auctoritatis erant in bello pariter atque in comitiis. Exercebant iudicia, & sententias dabant executioni; silentium imperabant & coercebant immorigeros; nec ducis iussu, sed deis imperantibus uerberare credebantur. Si non nomine, munere tamen similes erant Gallorum & Brittannorum Druidibus, de quibus agunt PVFFENDORFF *de Druidibus*. FRICK *de Druidis.*

§. XXIV.

Reliquæ hominum diuisiones, quæ in LL. deprehenduntur germanicis, hæ sunt, quod III) alii sub *mundio*, siue potestate, * sint, alii extra illud; IV) alii *infames*, alii integræ *existimationis;* V) alii *ciues*, alii *peregrini*.

* Consistit in facultate alterius personam & negotia dirigendi, bonaque administrandi. Quæ (*a*) ubi defertur ei, quem onere alendi grauant LL., fructuaria est, atque (*b*) nunquam infert personale dominium.

§. XXV.

Homo proprius (§. XXIII.), seu seruus, dicitur, qui in patrimonio est alterius, & huic operas, censum, aliaque præstare cogitur. **Homines proprii,**

§. XXVI.

Homines proprii Francorum tempore *u*) diuidebantur (1) in *casatos* & *non casa-* **qui uarii generis sunt.**

u) b. KEMMERICH in *Access. Institut.* p. 237.

casatos. *Hi* in familiam domini cooptati erant, & *gasindi* dicebantur; *illi* uero proprios regebant lares, &, quia quasi glebæ adscripti erant, *glebarii* dicebantur.

§. XXVII.

Audiebant (2) uel *regii* siue fiscalini *x*), uel *ecclesiastici*, uel *priuatorum*, prout in regis, ecclesiæ, uel priuati cuiusdam dominio erant. *Isti* sæpe dicuntur homines fisci, publici, Reichs-Leute, & *illi* coloni de casis Dei, Gottshaus-Leute, Closter-Leute *y*), erantque mox dotales, mox oblati.

§. XXVIII.

uariaque sortiuntur nomina,

Subsequentibus temporibus serui uaria sortiti sunt nomina. Dicebantur *Albini*, *Aldii*, *censuales*, *cossati*, *curmediales*, *bobarii*, *lassi*, *lidi*, *ministeriales*, *schälcke* &c. *z*). Sunt quoque nomina, quibus in chartis insigniuntur, uaria *a*).

§. XXIX.

uel nascuntur,

Serui *nascuntur* alii, alii *fiunt*. Est autem seruus natiuitate sua, cuius parentes seruitutem seruiunt.

* Par-

x) *Capit. Caroli M. L. Longob.* add. c. 6. *L. Alem.* tit. 38. *Baiuu.* VI, 1. 3.

y) POTGIESER *de statu seruorum* lib. I. c. 4. §. 8. 40. seq.

z) TENZEL Monatl. Unterred. de A. 1693. p. 87.

a) GRVPEN obs. 4. c. 2. §. 4. p. 1015.

* Partus, cuius parentum alteruter seruilis conditionis est, hodie ubique fere conditionem matris sequitur, siue haec libera sit siue serua. ab EYBEN ad *Instit.* I, 4. *obs.* 2. n. 4. WALDSCHMID d. *de homin. propr. Hass.* cap. 3. §. 6. PISTOR *cent.* 6. *paroem.* 36.

§. XXX.

Fiunt autem uel *pacto*, uel *lege*. *Pacto*, corpus suum alteri addicere in seruitutem, quilibet potuit *b*), & adhuc potest hodie *c*). Expresse se quis addicebat olim, propterea quod pressus paupertate *d*), coactus potentiorum multitudine *e*), aut captus erat nimia deuotione *f*), quodue alea *g*), aut pugna *h*), cui libertatem commiserat, uictus decesserat. Hodie expressae addictionis caussae sunt paucae numero. Tacite uero corpus suum addicit alteri, (*a*) qui matrimonium init cum persona seruilis conditionis *i*); (*b*) qui com-

uel fiunt, idque pacto pariter atque

b) *L. Frision.* tit. II. §. 1. *Baiuuar.* tit. 5. §. 6. *Spec. Sax.* III, 32.
c) Niederlaußn. L. O. art. 2. POTGIESSER l. c. V, 2, 7. seq.
d) TACITVS *Annal.* IV, 72.
e) CAESAR *de B. G.* VI, 13.
f) ARNVLFVS lib. I. *de miraculis Emmerani* c. 12. MABILLON. *de re dipl.* coroll. 4. ubi ritus se uouendi ecclesiae traduntur.
g) TACITVS *de M. G.* c. 24.
h) POTGIESSER c. l. I, 1, 9.
i) OTTO von der Leibeigenschaft p. II. p. 31.

commoratur in locis, ubi aer ſeruos reddere dicitur *k*), aut (*c*) praedium acquirit, cui hoc cohaeret onus *l*); (*d*) qui ſciens uolensque per illud temporis ſeruiuit alteri, ut hic praeſcriptionem laudare posſit.

§. XXXI.

lege. Ex *legis* morumue diſpoſitione fiunt ſerui (1) in bello capti *m*) *; (2) liberi *expoſiti*, ubi ſuscipiuntur *n*), itidem (3) a patre, necesſitate quadam adacto, *uenditi* *o*); (4) ex *naufragio* ad litora enatantes, uel cum bonis appulſi *p*); (5) *obſides*, uiolatis a ciuitate, quæ eos tradidit, pactionibus *q*); & olim (6) qui litis æſtimationem ferre non poterant *r*), atque (7) debitores, æri alieno ſoluendo impares *s*).

* Quod

---

k) HERT. lib. 2. *par.* 12. PISTOR. *cent.* I, *par.* 56. POTGIESSER V, 1. V, 2. 9.

l) Niederl. L. D. c. l.

m) TACITUS *Annal.* XII, 27. THOMASII d. *de uſu pr. diſtinctionis hominum in liberos & ſeruos* c. 2. §. 32 ſeq.

n) POTGIESSER c. l I, 1, 13.

o) TACITUS c. l. IV, 62. *Edictum Piſtenſe* c. 34.

p) ALBERTUS STADENSIS ad A. 1112. LAMBEC. *rer. Hamburg.* lib. II. KLOCK *de aerario* lib. II. c. 114.

q) GREGORIUS TURONENS. *Hiſtor.* III, 15.

r) MARCULFUS II. *form.* 36 58.

s) *LL. Baiuuar.* tit. 2. §. 1. *I. P. S.* III, 39. *Weichb.* c. 27.

* Quod tamen paulatim ab usu recessit. Hodie bello capti uel permutantur cum captis ab altera parte, SCHNEIDERI d. *de permutatione captiuorum*, uel lytro soluto redimuntur. V. HERT. *de lytro* sect. II. TILESIVS *de redemtione militum captiuorum*.

§. XXXII.

Ex quo colligimus:

I. homines proprios in alterius dominio, atque

II. in commercio esse.

III. hominem proprium domino censum debere atque operas.

IV. Dominorum esse, hominem alere proprium.

V. Duram esse hominum propriorum conditionem.

§. XXXIII.

Ex primo (§. XXXII, 1.) constare puto de causa, (1) cur homines proprii dicantur Leibeigene, Halßeigene, homines proprietatis, nec (2) seruorum numero eximi, aut a *seruis*, *colonis* adscriptitiis, uel *libertis* Romanorum deriuari queant *t*); (3) cur illis, *statum* suum, inuitis dominis, mutare, & se alteri in seruitutem addice- Sunt 1) in alterius dominio.

C 2 re

t) BOEHMERI d. *de iure ac statu hom. propr.* sect. 2.

re *u*), aut nuptias contrahere *x*) uix liceat *; (4) cur ab iis *quæsita*, dominis quæsita dicantur; (5) cur ex iis nati, ad horum spectent dominum **; (6) cur præstare debeant *iuramentum adsecurationis* Erb-Huldigung *y*).

* Ne quis seruitutis iugo se subtrahere queat, iubent quarundam prouinciarum LL. patres cuiusque familiae quotannis significare domino, suine uiuant an mortui sint, nec non, ubi degant uiui; Münsterische Hof-Sprach §. 7.

** Olim partus, quem Slaua ediderat, Slauusque susceperat, hunc sequebatur. *I. P. S.* III, 73. Wisigothi tamen iusserunt, & hodie alicubi moris est, eum inter serui & ancillæ dominos diuidi. In Bauaria uero filii matrem, & filiae patrem sequuntur. *I. P. Bauar.* tit. IV. art. 5.

§. XXXIV.

Ex eodem (§. XXXII, 1.) porro fluit, dominum posse (7) seruum fugitiuum *persequi*, & ex quouis *ad glebam reuocare* loco *z*); (8) renitentes *coercere*, non tamen occidere *a*); (9) ab eo, qui ancillæ stuprum

u) Osnabr. Eig. O. c. 2. §. 3.
x) Ill. BOEHMER c. d. sect. III. §. 9.
y) OTTO von der Leibeigenschaft p. III. p. 16.
z) POTGIESSER c. l. II, 8. IO. ERNST. von der LINDE d. *de uindicatione hom. proprior.*
a) HEINECCIVS *Elem. I. G.* §. 41.

prum intulit, mulctam exigere, ui iuris, quod dicitur das Bettemund-R. *b*).

§. XXXV.

Ex secundo (§. XXXII, 2.) intelligere compotes causam, cur homines proprii quouis titulo *alienari*, adeoque tam soli quam cum familia, tam cum quam sine prædiis *uendi c*), *donari*, in *beredes* transferri, *in feudum dari d*), oppignerari *e*), itidem cum quacunque re *permutari f*) possint. **2) in commercio.**

§. XXXVI.

Census, quem domino suo debet H. P. (§. XXXII, 3.), uel *quotannis*, uel *certis* tantum *casibus* præstatur. *Ille* modus est uel frumenti, Korn-Pachte, uel pecoris Haupt- und Leibhüner, uel pecuniæ, Gulde; hic modus uestis das Haupt-Recht *g*). **3) debent præstare a) census in quibus est**

§. XXXVII.

Dies præstationis, prouti pecoris aut pecuniæ censui adiectus est, uel præstandi

 qua-

b) Osnabr. Eigenth. Ordn. c. 16. §. 2. III. ESTOR kleine Schriften p. V. c. 5. §. 35.

c) POTGIESSER c. l. II, 4.

d) IDEM c. l. I, 3, 30.

e) *L. Alam.* tit. 85. *L. Fris.* tit. IX. §. 1. 2. POTGIESSER c. l. II, 5.

f) POTGIESSER c. l. II, 3.

g) TACITVS *de M. G.* c. 25.

nullo *prælationis iure* gaudeat *p*); (2) ut *mutato ſtatu h. p.*, non uero domini, ius illud ceſſet; (3) ut, probata dominica poteſtate, ius mortuarium exigendi ſimul ſit probatum.

§. XLII.

b) operas, quæ

Operæ ſunt præſtationes in labore corporis conſiſtentes. De quibus hæc notes uelim:

I. Operæ ab hominibus propriis, qua talibus, præſtantur.
II. Exiguntur ui dominii.

§. XLIII.

perſonales ſunt, &

Ex priori (§. pr.) conſtat (1) operas H. P. *perſonales* eſſe, & ſic neque (2) *per alios* præſtari, neque (3) mutato domicilio declinari poſſe; (4) quot homines ſunt proprii, tot eſſe operarum debitores.

§. XLIV.

ui dominii exiguntur.

Ex poſteriori (§. XLII, 2.) colligo (1) dominum poſſe operas, quas uult *q*), & quibus non impar eſt homo proprius, exigere, uel aliis locare; (2) operas neque tempore *r*)*, neque genere *determinatas* eſſe, ſed qui eas definitas adſerit, proba-

p) ERTL. *pr. de iurisd. infer.* lib. II. p.m. 124.
q) POTG. c.l. II. 7, 12.
r) HEINECC. *E. I. G.* §. 43.*

bare debere *s*); (3) seruum ad id prouocare non posse, quod nunquam excubias egerit, arauerit &c.

* Strictissime explicari debent leges Baiuuariorum & Alamannorum, quæ tempus anni inter dominum seruumque diuidunt; POTGIESSER c. l. §. 13.

§. XLV.

Operas, quae determinatæ probantur, (1) neque in alias, quatumuis similes, mutare, neque (2) de loco in locum, aut (3) de tempore in tempus, extendere potest dominus. Contra nec (4) seruus paucioribus, quam debet, aut (5) ad laborem ineptis animalibus seruire *t*), operasue (6) curru stricto *u*) præstare potest.

§. XLVI.

Homines proprios alunt domini (§. XXXII, 4.), prædia utplurimum adsignantes, ex quibus *alimenta* quæri possint. Quæ licet diuersa, & alibi *naturalia* tantum, alibi *plus quam naturalia* sint, tamen ubique tantum temporis hominibus propriis relinquendum est, ut arua sibi concredita colere, frumenti modum dominis exsoluere, nec non sibi familiæque de

4) petere possunt alimenta.

s) BOEHMER d. *de hominibus propriis* sect. III. §. XIII.

t) Osnabr. Eigenth. Ordn. c. 4.

u) Ibid. §. 5. *Ordin. Lippiaca* tit. 14.

casatos. *Hi* in familiam domini cooptati erant, & *gasindi* dicebantur; *illi* uero proprios regebant lares, &, quia quasi glebæ adscripti erant, *glebarii* dicebantur.

§. XXVII.

Audiebant (2) uel *regii* siue fiscalini *x*), uel *ecclesiastici*, uel *priuatorum*, prout in regis, ecclesiæ, uel priuati cuiusdam dominio erant. *Isti* sæpe dicuntur homines fisci, publici, Reichs-Leute, & *illi* coloni de casis Dei, Gottshaus-Leute, Closter-Leute *y*), erantque mox dotales, mox oblati.

§. XXVIII.

uariaque sortiuntur nomina,

Subsequentibus temporibus serui uaria sortiti sunt nomina. Dicebantur *Albini*, *Aldii*, *censuales*, *cossati*, *curmediales*, *bobarii*, *lassi*, *lidi*, *ministeriales*, *schälcke* &c. *z*). Sunt quoque nomina, quibus in chartis insigniuntur, uaria *a*).

§. XXIX.

uel nascuntur,

Serui *nascuntur* alii, alii *fiunt*. Est autem seruus natiuitate sua, cuius parentes seruitutem seruiunt.

• Par-

x) *Capit. Caroli M. L. Longob.* add. c. 6. *L. Alem.* tit. 38. *Baiuu.* VI, 1. 3.

y) POTGIESER *de statu seruorum* lib. I. c. 4. §. 8. 40. seq.

z) TENZEL Monatl. Unterred. de A. 1693. p. 87.

a) GRVPEN obs. 4. c. 2. §. 4. p. 1015.

* Partus, cuius parentum alteruter seruilis conditionis est, hodie ubiquè fere conditionem matris sequitur, siue haec libera sit siue serua. ab EYBEN ad *Instit.* I, 4. *obs.* 2. n. 4. WALDSCHMID d. *de homin. propr. Hass.* cap. 3. §. 6. PISTOR *cent.* 6. *paroem.* 36.

§. XXX.

Fiunt autem uel *pacto*, uel *lege*. *Pacto*, corpus suum alteri addicere in seruitutem, quilibet potuit *b*), & adhuc potest hodie *c*). Expresse se quis addicebat olim, propterea quod pressus paupertate *d*), coactus potentiorum multitudine *e*), aut captus erat nimia deuotione *f*), quodue alea *g*), aut pugna *h*), cui libertatem commiserat, uictus decesserat. Hodie expressæ addictionis caussae sunt paucae numero. Tacite uero corpus suum addicit alteri, (*a*) qui matrimonium init cum persona seruilis conditionis *i*); (*b*) qui com-

uel fiunt, idque pacto pariter atque

b) *L. Frision.* tit. II. §. 1. *Baiuuar.* tit. 5. §. 6. *Spec. Sax.* III, 32.

c) Niederlaußn. L. O. art. 2. POTGIESSER l. c. V, 2, 7. seq.

d) TACITVS *Annal.* IV, 72.

e) CAESAR *de B. G.* VI, 13.

f) ARNVLFVS lib. I. *de miraculis Emmerani* c. 12. MABILLON. *de re dipl.* coroll. 4. ubi ritus se uouendi ecclesiae traduntur.

g) TACITVS *de M. G.* c. 24.

h) POTGIESSER c. l. I, 1, 9.

i) OTTO von der Leibeigenschaft p. II. p. 31.

commoratur in locis, ubi aer ſeruos reddere dicitur *k*), aut (*c*) praedium acquirit, cui hoc cohaeret onus *l*); (*d*) qui ſciens uolensque per illud temporis ſeruiuit alteri, ut hic praeſcriptionem laudare poſſit.

§. XXXI.

lege. Ex *legis* morumue diſpoſitione fiunt ſerui (1) in bello capti *m*) *; (2) liberi *expoſiti*, ubi ſuſcipiuntur *n*), itidem (3) a patre, neceſſitate quadam adacto, *uenditi* *o*); (4) ex *naufragio* ad litora enatantes, uel cum bonis appulſi *p*); (5) *obſides*, uiolatis a ciuitate, quæ eos tradidit, pactionibus *q*); & olim (6) qui litis æſtimationem ferre non poterant *r*), atque (7) debitores, æri alieno ſoluendo impares *s*).

* Quod

---

k) HERT. lib. 2. *par.* 12. PISTOR. *cent.* I. *par.* 56. POTGIESSER V, 1. V, 2. 9.

l) Niederl. L. D. c. l.

m) TACITVS *Annal.* XII, 27. THOMASII d. *de uſu pr. diſtinctionis hominum in liberos & ſeruos* c. 2. §. 32 ſeq.

n) POTGIESSER c. l I, 1, 13.

o) TACITVS c. l. IV, 62. *Edictum Piſtenſe* c. 34.

p) ALBERTVS STADENSIS ad A. 1112. LAMBEC. *rer. Hamburg.* lib. II. KLOCK *de aerario* lib. II. c. 114.

q) GREGORIVS TVRONENS. *Hiſtor.* III, 15.

r) MARCVLFVS II. *form.* 36 58.

s) *LL. Baiuuar.* tit. 2. §. 1. *I. P. S.* III, 39. *Weichb.* c. 27.

* Quod tamen paulatim ab uſu receſſit. Hodie bello capti uel permutantur cum captis ab altera parte, SCHNEIDERI d. *de permutatione captiuorum*, uel lytro ſoluto redimuntur. V. HERT. *de lytro* ſect. II. TILESIVS *de redemtione militum captiuorum.*

§. XXXII.

Ex quo colligimus:

I. homines proprios in alterius dominio, atque

II. in commercio eſſe.

III. hominem proprium domino cenſum debere atque operas.

IV. Dominorum eſſe, hominem alere proprium.

V. Duram eſſe hominum propriorum conditionem.

§. XXXIII.

Ex primo (§. XXXII, 1.) conſtare puto de cauſa, (1) cur homines proprii dicantur Leibeigene, Halßeigene, homines proprietatis, nec (2) ſeruorum numero eximi, aut a *ſeruis*, *colonis* adſcriptitiis, uel *libertis* Romanorum deriuari queant *t*); (3) cur illis, *ſtatum* ſuum, inuitis dominis, mutare, & ſe alteri in ſeruitutem addicere **Sunt 1) in alterius dominio.**

 re

t) BOEHMERI d. *de iure ac ſtatu hom. propr.* ſect. 2.

re *u*), aut nuptias contrahere *x*) uix liceat *; (4) cur ab iis *quæſita*, dominis quæſita dicantur; (5) cur ex iis nati, ad horum ſpectent dominum **; (6) cur præſtare debeant *iuramentum adſecurationis* Erb⸗Huldigung *y*).

* Ne quis ſeruitutis iugo ſe ſubtrahere queat, iubent quarundam prouinciarum LL. patres cuiusque familiae quotannis ſignificare domino, ſuine uiuant an mortui ſint, nec non, ubi degant uiui; Münſteriſche Hof⸗Sprach §. 7.

** Olim partus, quem Slaua ediderat, Slauusque ſusceperat, hunc ſequebatur. *I. P. S.* III, 73. Wiſigothi tamen iuſſerunt, & hodie alicubi moris eſt, eum inter ſerui & ancillæ dominos diuidi. In Bauaria uero filii matrem, & filiae patrem ſequuntur. *I. P. Bauar.* tit. IV. art. 5.

§. XXXIV.

Ex eodem (§. XXXII, 1.) porro fluit, dominum poſſe (7) ſeruum fugitiuum *perſequi*, & ex quouis *ad glebam reuocare* loco *z*); (8) renitentes *coercere*, non tamen occidere *a*); (9) ab eo, qui ancillæ ſtuprum

u) Osnabr. Eig. O. c. 2. §. 3.
x) Ill. BOEHMER c. d. ſect. III. §. 9.
y) OTTO von der Leibeigenſchaft p. III. p. 16.
z) POTGIESSER c. l. II, 8. IO. ERNST. von der LINDE d. *de uindicatione hom. proprior.*
a) HEINECCIUS *Elem. I. G.* §. 41.

prum intulit, mulctam exigere, ui iuris, quod dicitur das Bettemund-R. *b*).

§. XXXV.

Ex secundo (§. XXXII, 2.) intelligere potes causam, cur homines proprii quouis titulo *alienari*, adeoque tam soli quam cum familia, tam cum quam sine prædiis *uendi c*), *donari*, in *heredes* transferri, *in feudum dari d*), oppignerari *e*), itidem cum quacunque re *permutari f*) possint. **2) in commercio.**

§. XXXVI.

Census, quem domino suo debet H. P. (§. XXXII, 3.), uel *quotannis*, uel *certis* tantum *casibus* præstatur. *Ille* modus est uel frumenti, Korn-Pachte, uel pecoris Haupt- und Leibhüner, uel pecuniæ, Gulde; hic modus uestis das Haupt-Recht *g*). **3) debent præstare a) censu in quibus est**

§. XXXVII.

Dies præstationis, prouti pecoris aut pecuniæ censui adiectus est, uel præstandi

 qua-

b) Osnabr. Eigenth. Ordn. c. 16. §. 2. Ill. ESTOR kleine Schriften p. V. c. 5. §. 35.
c) POTGIESSER c. l. II, 4.
d) IDEM c. l. I, 3, 30.
e) *L. Alam.* tit. 85. *L. Fris.* tit. IX. §. 1. 2. POTGIESSER c. l. II, 5.
f) POTGIESSER c. l. II, 3.
g) TACITVS *de M. G.* c. 25.

qualitatem, uel morosum debitorem coercendum esse, innuit.

§. XXXVIII.

Dominus, qui olim, ad morosum debitorem coercendum, mox ei seruitium durius imponebat *b*), mox per singulos dies duplicatum censum ab eo exigebat *i*), hodie plerisque in locis neutro remedio uti potest. In curiis tamen dominicalibus Alsatiae *k*) adhuc in usu sunt *census promobiles*.

§. XXXIX.

mortuarium. Modum uestis (§. XXXII.) mortis debet tempore. Dominus scilicet in illius succedit bona, quod *ius mortuarii l*), ius caduci, tode Hand, * todval ꝛc. dici solet. Non autem ubique eodem succedit modo. *Alibi* enim hereditatis partem dimidiam **, tertiam aut aliam quam mores determinant, consequitur; *alibi* succedit tantum in rem singularem, eamque istius generis optimam, u. c. optimum quadrupe-

b) POTGIESSER c. l. II, 6, 9.
i) *I. P. S.* I, 54.
k) SCHILTER d. *de curiis dominicalibus*. MEINDERS *de iurisd. colon.* diss. 1. p. 47. SCHOTTEL *de singular. & antiqu. in German. iuribus* c. 19. th. 6.
l) HARPPRECHT *de iure mortuarii* cap. 4. §. 6. POTGIESSER c. l. II, 11.

pedis caput *m*), optimam ueſtem *n*) ***, *alibi* in rem, quam ſibi elegit ****.

* Cuius denominationis rationem multi a fabula petunt, quaſi dominus olim, ſi nihil in rebus ſerui fuiſſet, quod ſibi uindicare potuiſſet, manum, uel dextram, uel utramque a reliquo cadauere abſciderit ſibi ſeruandam. HEINECC. *Elem. I. Germ.* §. 45. *

** Quod in Gueſtphalia obtinet, ubi hereditas diniditur biß zur Aſche auf dem Heerde, und biß zum Löfel auf dem Korbe. Vid. POTGIESER c. l. II, 11.

*** Vnde dicitur Haupt-Recht, Baulebungs-Recht, Gewandfall ꝛc.

**** Hoc dicitur ius curmedicum, Chur-Recht Churmüd, Chürmot. Inde conſtat, quod non omne ius curmedicum ſit ius feudo proximum. Vid. LVDWIG *de iuribus feudo uicinis*.

§. XL.

Quandoque de iure mortuarii exercendo debet, & alicubi ſolet, transigi, quod dicitur, das Haupt-Recht bedingen *o*), & id quod ſoluitur, der Leib-Pfenning.

§. XLI.

Quia ius mortuarii onus perſonale eſt: ſequitur (1) ut dominus, illius intuitu, nul-

m) WEICHB. art. 50.
n) HARPPRECHT c. l. p. 67.
o) SCHOTTEL *de ſingul. in german. iur.* c. 2. §. 11.

nullo *prælationis iure* gaudeat *p*); (2) ut *mutato ſtatu h. p.*, non uero domini, ius illud ceſſet; (3) ut, probata dominica poteſtate, ius mortuarium exigendi ſimul ſit probatum.

§. XLII.

b) operas, quæ

Operæ ſunt præſtationes in labore corporis conſiſtentes. De quibus hæc notes uelim:

I. Operæ ab hominibus propriis, qua talibus, præſtantur.
II. Exiguntur ui dominii.

§. XLIII.

perſonales ſunt, &

Ex priori (§. pr.) conſtat (1) operas H. P. *perſonales* eſſe, & ſic neque (2) *per alios* præſtari, neque (3) mutato domicilio declinari poſſe; (4) quot homines ſunt proprii, tot eſſe operarum debitores.

§. XLIV.

ui dominii exiguntur.

Ex poſteriori (§. XLII, 2.) colligo (1) dominum poſſe operas, quas uult *q*), & quibus non impar eſt homo proprius, exigere, uel aliis locare; (2) operas neque tempore *r*)*, neque genere *determinatas* eſſe, ſed qui eas definitas adſerit, proba-

p) ERTL. *pr. de iurisd. infer.* lib. II. p. m. 124.
q) POTG. c. l. II. 7, 12.
r) HEINECC. *E. I. G.* §. 43. *

bare debere *s*); (3) ferurum ad id prouocare non posse, quod nunquam excubias egerit, arauerit &c.

* Strictissime explicari debent leges Baiuuariorum & Alamannorum, quæ tempus anni inter dominum seruumque diuidunt; POTGIESSER c. l. §. 13.

§. XLV.

Operas, quae determinatæ probantur, (1) neque in alias, quatumuis similes, mutare, neque (2) de loco in locum, aut (3) de tempore in tempus, extendere potest dominus. Contra nec (4) seruus paucioribus, quam debet, aut (5) ad laborem ineptis animalibus seruire *t*), operasue (6) curru stricto *u*) præstare potest.

§. XLVI.

Homines proprios alunt domini (§. XXXII, 4.), prædia utplurimum adsignantes, ex quibus *alimenta* quæri possint. Quæ licet diuersa, & alibi *naturalia* tantum, alibi *plus quam naturalia* sint, tamen ubique tantum temporis hominibus propriis relinquendum est, ut arua sibi concredita colere, frumenti modum dominis exsoluere, nec non sibi familiæque **4) petere possunt alimenta.**

 de

s) BOEHMER d. *de hominibus propriis* sect. III. §. XIII.

t) Osnabr. Eigenth. Ordn. c. 4.

u) Ibid. §. 5. *Ordin. Lippiaca* tit. 14.

de necessariis uitæ prospicere possint. Quod tempus seruis ubi non relinquunt domini, operas determinare possunt, & sæpe solent, principes, ui dominii eminentis *x*).

§. XLVII.

sed uaria.

Hominibus propriis nullibi de *fundo* illiusue instrumento *y*), alicubi tamen de *peculio*, dummodo domini iura maneant salua *z*), disponere licet.

§. XLVIII.

Dura h. p. conditio.

Quintum (§. XXXII, 5.), si quid uideo, satis superque docet causam, cur I. Germ. antiquo homines proprii (1) grauiores semper, ubi deliquerant, subierint *pœnas a*), & (2) occisi *minoris æstimati* fuerint, atque liberi *b*); (3) cur in iudiciis comparere *c*), ingenuos, nisi criminis læsæ maiestatis *d*), accusare, contra eosdem

x) BERGER *de iure ordinum imperii territoriali circa operas subditorum.*

y) MATTHAEUS *de nobil.* p. 957. Osnabr. Eigenth. Ordn. c. 15. Ravensberg. Eig. R. c. I. §. 25. seqq. Lipp. Ordn. tit. 11.

z) STRYK. *V. M.* π. tit. 5. §. 7. 8.

a) *Capit. L. Sal. adiect.* 819. c. 16. POTGIESSER c. l. III, 7.

b) *Capit. Aquisgr.* III. A. 813. POTGIESSER c. l. III, 6, 6.

c) *Capit. Aquisgr. Ludouici Pii* 816. c. 15.

d) *Capit.* VII, 208.

dem testimonium perhibere *e*), & (4) ad militares, ciuiles *f*) uel ecclesiasticas *g*) dignitates adspirare non potuerint.

§. XLIX.

Definit quis esse seruus (1) delicto domini in se commisso *h*), (2) praescriptione *i*), (3) iusta habitatione in loco ad id, ut det libertatem, priuilegiato, (4) manumissione per literas, quas dicunt affrancamenta, Frey- und Laß-Brieffe *k*), celebrari solita. Huic legem scribit dominus. Hinc (*a*) alius plene, alius minus plene *l*), (*b*) alius gratis, alius soluto pretio e manu dimittitur. **H. p. manumittit**

* Fiebat autem olim dimissio *uel* per L. Salicam POTGIESSER c. l. IV, 3. *uel* in ecclesia ID. c. l. IV, 4, 11. *uel* per codicillos Exponendis manumissionibus per *handratam, impans, arma, sagittam, portas patentes, in mallo publico &c.* factis, immorari nolo, quum non adeo celebres fuerint, & ad unum alterumue tantum populum pertinuerint.

§. L.

e) POTGIESSER c. l. III, 3.
f) ID. III, 1.
g) ID. III, 2.
h) *Capitul.* VI, 14.
i) POTGIESSER c. l. IV, 13.
k) ID. c. l. IV, 6. Ill. ESTOR kleine Schriften 2 B. p. 170.
l) b. KEMMERICH c. l. p. 279.

§. L.

dominus. Manumisſio fieri debet (1) ab eo, qui ſerui e manu mittendi dominus eſt, & liberam habet rerum ſuarum adminiſtrationem; (2) ita, ut in nullius tendat præiudicium *m*).

* Sic facta diris execrationibus olim confirmabatur L. *Ripuar*. tit. LVIII. §. 5. POTGIESSER c. l. IV, 6, 6.

§. LI.

En ſeruos germaniæ, quibus, ubi academiæ natæ ſunt, anteceſſores gradum dederunt liberorum. Diploma tamen datum non omnes attenderunt germaniæ populi. Hinc adhuc hodie in *Bohemia*, *Morauia*, *Sileſia*, *Luſatia*, *Palatinatu*, *Algouia*, *Hasſia n*), *Weſtphalia*, *Ducatu Megapolitano*, *Holſatia*, *Pomerania o*) *&c.* homines deprehenduntur proprii. Eorum quidem iura diuerſa ſunt, ſed illa tantum, quorum mutatio non tollit, ſed minuit quodammodo ſeruitutis iugum.

§. LII.

m) *L. Sal. tit. XI §. 2. Ripuar. tit. LVII §. 2. LL. Wiſigoth.* V, 7, 2. & 17. *Capit. R. Fr.* III, 44. Diſſent. quodammodo *I. P. Bau.* tit. IV. art. 9.

n) WALDSCHMID *de hominibus propriis Hasſiacis.*

o) BALTHASAR *de origine ac conditione hominum propriorum in Pomerania.*

§. LII.

Serui, quibus hodie utimur, *mercenarii*, siue, qui pro certa mercede ad aliquod tempus operas collocant suas, ueniunt quidem nomine des Gesindes, huc tamen non pertinent. Sunt enim homines liberi, gaudentes illis iuribus, quæ uel indoles locationis conductionis uel lex prouincialis determinat. De famulis mercenariis

§. LIII.

De quibus hæc notatu digna erunt: (1) quod sine iusta causa ante tempus discedere nequeant, ne quidem dum obtulerunt uicarium *p*); (2) quod bona, quæ seruiendo perdiderunt, a domino repetere possint *q*); (3) quod *merces* illis debita priuilegiata sit *r*), respuatque moratorium; (4) quod merces iis solui debeat (*a*) integra, si citra iustam caussam expulsi fuerint *s*), (*b*) pro rata uero temporis, per quod præstitæ sunt operæ, si ipsi ex iusta causa dimissionem petierint *t*). quæ notanda?

Tit.

p) MEVIVS *ad I. Lub.* III, 8, 5. p. 685.
q) *Spec. Sueu.* art. 250. & ed. BERGER p. 301.
r) *I. P. S.* I, 22. Würtemb. L. R. p. I. tit. 75. SCHEFFERI d. *de iure famulor.* §. 23.
s) *I. P. S.* II, 32.
t) Ibid. art. 33. *I. Lub.* I, 7, 9, & III, 8, 5.

TIT. IV.
DE
RVSTICIS.

§. LIV.

Rustici,

Rustici, quos libertos Germanorum (§. XXIII.) dixeris, (1) sunt quidem minime amplius adscriptitiae conditionis, (2) quod ad reliqua tamen, eorum statu ab hominum propriorum conditione non differt, uel saltem differre non praesumitur *u*).

§. LV.

licet glebae non adscribantur,

Vnde sequitur (1) ut nulla *manumissione* indigeant; (2) ut domicilium pro lubitu mutare, & in urbes migrare possint; (3) ut eorum liberis, ad collegia opificum adspirantibus, seruitutis nota obiici nequeat *x*); (5) ut illis liberior, quam hominibus propriis, competat potestas circa bona disponendi, nuptiasque contrahendi *y*).

§. LVI.

in reliquis tamen cum hominibus

Rustici olim ad unum omnes erant homines proprii, & eorum status a condi-

u) Ill. BOEHMER d. *de imperfecta libert. rustic. per germ.*

x) ADR. BEIER *tyrone* c. 5.

y) HEINECC. *Elem. I. Germ.* lib. I. §. 62.

ditione hominum propriorum adhuc hodie differre non præsumitur (§. LIV, 2.). Vnde (1) eos alterius *potestati* subesse, nec non (2) ad *iuramentum adsecurationis* præstandum, (3) *censum* soluendum, atque (4) *operas*, easque indeterminatas, subeundas, obligatos iure præsumis, usque dum probata fuerit iurisiurandi mutatio, census remissio, operarum determinatio. **propriis conueniunt.**

§. LVII.

Ex eodem (§. LIV, 2.) cognoscere potes, (5) rusticos regulariter *prædia* sua non possidere iure optimo maximo z), sed (6) uel precario (quo pertinent die Schillings-Güter, a) uel ex conductione colonaria, (quo Churmed-Meyerdings-Güter, Landsiedeleyen, Zins-Güter ꝛc. b) refero) propterea que (7) destitui potestate ea pro lubitu alienandi.*

* De his prædiis omnibus & singulis dicam pluribus lib. II. tit. 6.

§. LVIII.

Quæ quum ita sint, (8) eos, qui rusticos ab omni *seruitute* liberos esse putant **Hinc eos non habeo liberos.**

z) GOEBEL *de iure & iudicio rusticorum* c. 6.
a) SCHOTTEL *de antiq. in Germ. iur.* c. 17.
b) de LUDEWIG in *iure clientelari.* GOEBEL c. l. c. 2. §. 7. seq.

tant errare ſtatuo, atque (9) iniuſtos habeo, qui nobiles cogunt ad transactionem ſuper cenſus operarumque modo ineundam cum ruſticis, quibus nulla deſunt alimenta (§. LV.).

§. LIX.

Mutatio iurisiurandi, cenſus remisſio, operarumque determinatio (§. LVI.) ſæpe probari poſſunt. Quandoquidem enim (*a*) *nobilium poteſtas* diuerſis in locis diuerſa fuit; (*b*) *expeditionum ſacrarum* tempore, ruſticorum alii pagos deſeruerunt in oppida migrantes, alii in pagis manentes, abſentibus mortuisue nobilibus, arripuerunt occaſionem ad libertatem perueniendi; (*c*) ubi *academiæ* in Germania natæ ſunt, negatum eſt: homines proprios reuera ſeruos eſſe; (*d*) ſeruitus *chriſtianæ charitati* aduerſari uiſa; (*e*) non eadem omnium *dominorum indulgentia*, *negligentia*, aut uoluntas cum ruſticis transigendi fuit *c*): factum eſt, ut triplex præſertim ruſticorum nata ſit conditio. *Alii* uidelicet ſeruitutis antiquæ nexui in plurimis ſubſunt, eo ſolo excepto, quod, quod ad corpus, non ſint obnoxii; *alii* plerisque oneribus ſerui-

c) POTGIESSER *de ſtatu ſeruorum* L. 3, 33. ſeq. II, 7, 17. ſeq.

uilibus immunes sunt; *alii* omni prorsus priuato uinculo soluti *d*).

§. LX.

Isti itaque operas indeterminatas præstant, & sub iugo censuum aliarumque præstationum seruilium gemunt; *illi* operas determinatas præstare tenentur; *hi* uero omnibus liberorum iuribus gaudent.

§. LXI.

Ad operas * præstandas obligantur rustici (§. LVI, 5.). Quia uero quod ad corpus obnoxii dici nequeunt (§. LIV.): scias uelim, quod rusticorum quisque illas, prædii & domicilii sui intuitu, præstet in utilitatem prædii antiquitus dominici. Operæ

* Dicuntur Frohnen, Frohn-Dienste, a Fron, quod *sanctum*, *dominum* &c. significat V. Ill. PERTSCH *de diuisione operarum* &c. §. XI. WACHTER *glossar.* u. Fron.

§. LXII.

Vnde hæc notanda erunt axiomata:

I. Rusticorum operæ sunt reales.

II. Debentur in utilitatem prædii antiquitus dominici.

§.LXIII.

d) Ill. BOEHMERI d. *de libertate imperfecta rusticorum in Germania.*

§. LXIII.

reales

Ex primo (§. pr. 1.) ſequitur (1) ut operas debeant quiuis *ruſticorum prædiorum poſſeſſores*, nobiles etiam, clerici, & eccleſiæ; (2) ut, prædio diuiſo, *operæ* tantum debeantur *partiariæ;* (3) ut non eiusdem quantitatis ſeruitia ab omnibus debeantur ruſticis *e*), quum non omnes æqualia posſideant prædia *; (4) ut has operas ruſtici prædii poſſeſſor, uel *ipſe* uel *per alium*, præſtare posſit.

* Hinc præſtantur operæ uel manu tantum, Hand-Frohnen, uel iumentis, Pferde-Roß-Zug-Frohnen. Has qui præſtant, dicuntur Pferdner, Anſpänner ꝛc. illarum uero debitores, Kotener, Kotſaſſen, Hinterſaſſen ꝛc.

§. LXIV.

domino hereditario,

Ex ſecundo (§. LXII, 2.) diſcimus: (1) ſi alius ſit *dominus hereditarius*, Erb-Herr, alius dominus iurisdictionis, Gerichts-Herr, non huic ſed illi operas præſtandas eſſe *f*); (2) dominum hereditarium, ad quem duo prædia ſpectant dominica, uel unum dominicum alterum ruſticum, ad ruſtici uel alterius dominici utilitatem promouendam operas iure non exigere; (3) operas aliis non poſſe lo-

e) GOEBEL c. l. c. 8.

f) BERLICH. p. II. *concl.* 65. nr. 13. CARPZOV. p. II. *conſt.* 52. *def.* 9.

locari *g*); (4) rusticos non teneri ad ea præstanda, quæ nihil plane prosunt, aut uoluptati tantum dominorum satisfaciunt.

§. LXV.

Quia prædii dominici utilitas uix est determinata, nec operæ præsumuntur determinatæ (§. LVI, 5.): fundatam intentionem habet dominus, qui indeterminatas operas, ungemessene, unbenannte, völlige Frohnen, unendliche Dienste an Tagen, Zahl und Wercken, exigit *h*). **easque indefinitas.**

§. LXVI.

Itaque præter operas, quæ ad rem dominorum faciunt rusticam, (1) *excubias* agere *i*), &, (2) ubi reparatur aut exstruitur *castrum dominicum k*), materiam necessariam conuehere, (3) *canes uenaticos* ducere, & (4) *syluas* dominicas cingere, ubi uenatio instat, (5) aliaque, quæ ad utilitatem prædii dominici faciunt, præstare tenentur rustici, nisi doceant, se obligatos esse ad determinatas tan-

g) BERLICH. c. l. *concl.* 64. n. 19.
h) Ill. ESTOR diss. præl. *de præsumtione contra rusticos in causis operarum, harumque redemtione licita* §. 16. seq.
i) FRITSCH *de iure excubiarum* c. 6.
k) IDEM *de palatio dominico.*

tantum operas, atque in iis non esse, quas iniunxit dominus.

§. LXVII.

nisi lex Determinat uero operas uel *lex l)* aut *consuetudo* prouincialis *m)* uel *pactum*. Sic u. c. *lex* prouincialis Saxonica eximit rusticos (1) ab onere *excubias* agendi in domo domini, nisi hic (*a*) eas sibi ex consuetudine pactoue deberi *n)*, aut incendii, belli, diffidationisue periculum imminere *o)*, docere, atque (*b*) excubantibus uictum suppeditare uelit.

§. LXVIII

consuetudo Operis quoque terminos ponit *consuetudo* (§. pr.). Sic. u. c. dominus nequit (1) euocare rusticos ad *loca nimis remota p)*; (2) iubere, eos intra prædium dominicum *excubias* agere *q)*, aut (3) ubi *ædificantur* reficiunturque stabula, horrea,

l) *Const. El.* p. II. *const.* 42. MOLLER *semestr.* II, 32.

m) GYLMANN *dec.* 12. lib. 1. n. 23.

n) p. II. *const. elect.* 51. BERLICH p. II. *concl.* 64.

o) FRITSCH *de iur. excub.* c. 6.

p) MVLLERI d. *de ædificio prædii nobilis.* BERGER *resol. Lauterb. tit. de operis libertor.* p. 688. seq.

q) BERLICH c. l. n. 23.

rea, granaria, ouilia &c. operas præstare *r*); (4) iniungere aduectionem lapidum, quibus pauimentetur, uel (5) terræ effossæ euectionem, (6) cellarum expurgationem &c. *s*).

§. LXIX.

Pacto sæpe determinatæ sunt, & adhuc determinantur operæ, sed eæ tantum, quæ tertio non accrescunt, quoniam nulla transactio aut remissio in præiudicium tertii fieri potest. **aut pactum terminos posuit**

§. LXX.

Operarum determinationi inhæreas strictissime, siue a lege (§. LXVII.) siue a consuetudine (§. LXVIII.) siue a pacto (§. LXIX.) prouenerit ea. Hinc in arbitrio domini positum est minime (1) operas *duplicare t*), (2) ad aliud tempus, locum non dominicum, prædiumue nouiter coemtum *u*) *extendere*, (3) in alias, ne quidem similes leuioresue, *commutare x*), multo minus (4) determinatarum loco, nisi plane inutiles forent **non transiliendos,**

r) MOLLER *semestr.* II, 31.
s) BEYER *delin.* I. G. I, 5, 11.
t) BECHMANN *de iure operarum* c. 2. §. 3. BERLICH. p. II. *concl.* 65. n. 6. CARPZOV II, 52, 6, 7.
u) CARPZOV *lib. I Resp.* 55.
x) GROLLMANN *de mutatione operarum.*

rent *y*), *nummos exigere z*), (5) ius eligendi, si quod rusticis competit, interuertere.

§. LXXI.

Ex eadem causa penes rusticos non est (6) operarum loco pecuniam soluere; (7) paucioribus, quam iubet die Dingnotul *a*), aut (8) ad laborem uix aptis, *animalibus* seruire; (9) operas curru stricto præstare (§. XLVI, 6.); (10) prædium nimis diuidere *b*).

§. LXXII.

Si per aliquod tempus pecunia operarum loco fuerit soluta, quæritur: *an operas in natura iterum exigere liceat domino?* Distinguerem: operas rusticis locauerit tantum, an pacto in pecuniam uerterit.

§. LXXIII.

suis sumtibus

Quandoquidem rustici, operas præstituri, melioris conditionis haud sunt, at-

y) BECHMANN c. d. c. 3. §. 16.
z) RICHTER *dec.* 98. n. 31. STRVBE *de iure uillicorum* c. 5. §. 20.
a) WEHNER *obs. pr.* h. v.
b) Mecklenb. P. O. tit. vom Gewerb und Handthierung der Bauren.

atque homines proprii (§. LVI. LIV.): facile est ad intelligendum, cur praxis statuat, rusticorum esse (1) *suis sumtibus* præstare operas, nisi pactum (§. LXIX.) transactio aut consuetudo (§. LXVIII.) aliud uelit *c*); (2) *instrumenta* ad operas præstandas necessaria sibi comparare, atque in fractorum, ruptorum amissorumque locum alia substituere *d*).

§. LXXIV.

Rusticos, qui operas præstare recusant, dominus potest cogere, & iubere eos (1) *mulctam* soluere, (2) *carceris* pœnam sustinere, (3) *pignora* dare, (4) prædium uendere & *emigrare* *e*), (5) fructuum perceptionem alienationemque *f*) differre &c.

atque sub pœna præstare debent,

§. LXXV.

Quorum tamen nullum fieri potest, nisi exactæ fuerint operæ, hasque negauerit rusticus. Illud præterea notandum erit, rusticos, licet per tempus, præscriptioni alias statutum, nullas præsti-

dummodo exactæ fuerint.

c) KLOCK *Vol. I. conf.* 10. n. 524. SCHEPLIZ *ad consuet. Brandenb.* p. II. tit. 11.
d) BECHMANN c. d. c. 4. §. 1.
e) BERLICH. p. I. *dec.* 65. nr. 7. seq.
f) BECHMANN c. d. c. 5. §. 2.

terint operas, propterea quod nullæ exactæ fuerint, tamen de præscriptione excipere non posse *g*), quoniam exactio operarum meræ facultatis est.

§. LXXVI.

Dienst-Zwang.

In quibusdam germaniæ nostræ prouinciis, rusticorum liberi operas domesticas, cui uelint, exhibere nequeunt, sed uel ipsi domino, uel ei, in quem consensit dominus, famulari tenentur. Id quod dicitur der Dienst-Zwang. Temporarium illud est famulitium, & uariis in locis, temporis, modi, mercedis &c. intuitu uarium. Vt quædam tantum particularia iura adferam. In quibusdam locis *Westphaliæ*, pro exigua, immo nulla quandoque, mercede in domini familia esse debent ad unum omnes cælibes, masculi feminæ *h*). In *Saxonia* rusticorum liberi ad id tantum tenentur, ut, si famulari uelint, domino prius se offerant, &, si hic eorum famulitio uti uelit, declaretque animum suum intra XIV. dies, illud per biennium præstent *i*). In *Lusatia* uero hoc seruatur usu, ut, qui

g) WERNHER *en.* 175.
h) POTGIESSER c. l. II, 7, 28.
i) Ord. Polit. de A. 1661. tit. 23. CARPZOV p. II. *dec.* 105.

qui XIV. annum attigerunt, promittant, se, inscio domino, neque prouincia egressuros, neque famulitium alicui præstituros esse *k*).

§. LXXVII.

Rustici præsumuntur debitores eiusdem census, quem homines soluunt proprii (§. LVI, 4.). Vnde iam olim eorum fuit, & adhuc hodie est, præstare (1) gallinas fumosas, Rauch-Hüner,* quæ iurisdictionis signum dicuntur esse**; (2) mortuarium Trauer-Recht *l*). **II. Præstant censum**

* Ratio denominationis, quam tradit DRINLIN. d. *de præstat. gallinar.* §. 5. ad BESOLDI *thes. pr.* u. Rauchhüner prouocans, nimis particularis mihi uidetur esse.

** Cur iurisdictionem significent gallinæ, hoc in causa esse putat BEYER *delin. I. Germ.* I. 6, 5. quod in altum euolent, ibique nidificent. Risum teneatis amici!

§. LXXVIII.

Neque eosdem ubique præstari census, neque præstandorum nomina atque iura semper eadem esse, ex diuerso rusticorum statu (§. LX.) facile dignosci potest. **uarium, eum scilicet,**

 Quin

k) *Ord. Prouinc. super. Lusat.* de A. 1595. SCHACHERI d. *de hominibus propr.* c. 2. §. 3.

l) BEYER *delineat. I. Germ.* I, 6, 37. HARPPRECHT *de iure mortuario.*

Quin ea adducam, me temperare nequeo, quod (1) inter rusticos alicubi supersint Werdt-Wordt-Fahr-Meygassen-Meyborgen-Rutscher-Zinsen, hique (2) uario promoueantur modo *m*); (3) quód præstatio eines Fastnachtshuhns, Martins-Ganß ꝛc. significet minime, debitorem creditoris dominicæ potestati subesse.

§. LXXIX.

quem libri censuales

Quos census, quæque seruitia, petere possint domini, docent libri *censuales*, Erb-Register, Erb-Bücher, qui, ut publici queant dici, conscribi & renouari debent hoc modo, ut (1) citatis omnibus, quorum interest, (2) persona publica (3) quid census, laudemii, uel seruitiorum (4) horum illorumue bonorum intuitu quisque rusticorum se debere confessus est, accurate notet, (5) notataque censitis articulate prælegat *n*). Sat præterea, non tamen necessarium est, ut (6) notata prælectaque rusticorum iureiurando, itidem (7) notarii testiumque subscriptione & sigillis muniantur *o*).

§. LXXX.

m) Ill. AYRERI d. *de censibus mora crescentibus* BEYER *de censibus promobilibus*.

n) IO. CHRIST. Freiesleben d. *de libris censualibus* th. 7. 10. seq. Dorf- und Land-R. resol. 10.

o) pr. nr. *de libris censualibus*, v. Erb-Bücher.

§. LXXX.

Libro censuali sic conscripto (§. pr.), dominus in possessorio pariter atque petitorio uti, & census in eo notatos a rusticis petere potest, donec hi probauerint modum, quo immunes facti sint ab his & illis censibus. probant.

§. LXXXI.

Si ui librorum censualium ad indeterminata, ui uero literarum inuestiturae ad determinata seruitia obligentur rustici, quaenam praestanda sint? non immerito quaeris. Equidem, si uterque libellus legitime conditus esset, posteriorem attendendum esse ducerem. Qu.

§. LXXXII.

Rusticorum causas, ui antiquae illius potestatis dominicae, cognoscere, decidere, atque immorigeros punire possunt, quotquot dominica possident praedia (§. XXXIV, 8.)*. Iurisdictio patrimonialis,

* Arbitrium dominorum circa seruorum rusticorumque causas, quod olim omnino liberum erat, arctioribus limitibus inclusum, in iurisdictionem, sub certis solemnitatibus exercendam, mutarunt (1) superstitio, (2) status politici prouinciarum mutatio, (3) militis mercenarii introductio, (4) receptio iuris Ro. Vid. C. RVDGRAEFE d. *de iuribus praecipuis & singularibus iu-*

iurisd. patrim. c. 1. §. 11. seq. Quæ illæ sint solemnitates, alibi docebo, iam illud tantum notans, quod iurisdictio illa, in quam mutata est herilis potestas, quia patrimonio dominorum non est exemta, *patrimonialis* audiat. Vid. HEINECCII d. *de origine ac indole iurisd. patrim.*

§. LXXXIII.

Ex quibus hæc deduco axiomata:

I. Iurisdictio patrimonialis natales suos debet potestati dominicæ.

II. in commercio est.

III. fundo cohæret dominico.

§. LXXXIV.

ex dominica potestate nata,

Ex primo (§. LXXXIII, 1.) sequitur (1) ut iurisdictio patrimonialis *circumsepta* sit, atque (2) in *rusticos* tantum, non uero (3) in prædii dominici possessoris *uxorem liberosue* exercenda *p*); (4) ut a dominici prædii, & simul iurisdictionis patrimonialis, possessore, *tituli editio* * peti nequeat.

* Id quod tamen fallit, si eiusmodi prædii possessor uniuersalem aut criminalem iurisdictionem sibi uindicare uelit.

§. LXXXV.

in commercio est.

Ex eo autem, quod iurisdictio patrimo-

p) Dn. LVDOLF *de iure fem. illustr.* § 17. seq. MYLER ad EHRENBACH *gamol. princ.* c. 22.

monialis in commercio esse dicatur (§. LXXXIII, 2.), patescit (1) non habiles tantum, sed & inhabiles ad iudicandum u. c. literarum & prudentiæ iuris plane expertes, feminas, infantes &c. posse iurisdictionem patrimonialem acquirere, (2) acquisitamque per alios * administrare, (3) denuo uendere, (4) locare, (5) pignori dare, & alio modo transferre, quid? quod (6) illius prorogationem impedire, si quis rusticorum eam intenderet.

* Hi dicuntur Gerichts-directores, atque debent esse uiri probatæ fidei, ad iudicandum apti, iique, qui præsentibus rusticis iuratam fidem dederunt de munere, prout decet, subeundo.

§. LXXXVI.

Ex tertio (§. LXXXIII, 3.) denique intelligere potes, quod iurisdictio patrimonialis (1) *personæ possessoris* prædii dominici non cohæreat, ideoque, (2) ubi hic statum aut uitam finit, non exspiret; (3) cum fundo dominico in quemuis *transeat* possessorem, & (4) iisdem *amittatur* modis, quibus ipsum prædium dominicum amitti potest; (5) cuilibet *fundo dominico* cohærere iure præsumatur, donec illius amissio uel uoluntaria uel necessaria probata fuerit. *

§.LXXXVII.

§. LXXXVII.

Pagis

In pagis* habitant rustici. Ii, urbibus antiquiores uarie diuiduntur, nimirum (1) in *immediatos q)* & *mediatos*, hique iterum (2) in Amts- und Gerichts-Dörfer. Dari etiam pagos pluribus dominis communes, Gemeinschafts-Dörfer, tralatitium est.

* Olim pagi dicebantur regiones illæ, in quas tota germania erat diuisa.

§. LXXXVIII.

præsunt sculteti, quorum constitutionem

Rusticis præest *scultetus*, Schultze, Bauermeister, qui ad dies uitæ (1) a superiore (2) modo libere, modo ad nominationem rusticorum *r)*, (3) his præsentibus constituitur. Quandoque hereditarius Erb- und Lehn-Schultze, atque peculiari feudo inuestitus est.

§. LXXXIX.

munus &

Illius est (1) suo tempore rusticos conuocare, (2) conuocatisque mandata superioris significare, (3) delicta in pago commissa iudici denuntiare; (4) ut ordinatio,

q) Conf. ZENICHEN von Reichs-Dörfern.

r) FRITSCH *de iure ac statu pagor. german.* cap. XI. §. 4.

tio, quam dicunt paganicam *s*), usu seruetur, fines districtus non turbentur, iustæ operæ præstentur, bona uniuersitatis recte administrentur, curare & quæ sunt alia *t*). Non enim ubique idem sculteto est concreditum. Quando iudicio nobilis interesse debeat scultetus, docebimus lib. IV. §. 48.

§. XC.

A quibus distinguas uelim *heimburgios*, qui pagum repræsentant, illiusque nomine consentiunt, quoties negotii aliquid cum eo peragitur *u*). Alicubi administrant bona ad pagum pertinentia. **differentiam ab heimburgis notare debes.**

TIT. V.
DE
INGENVIS ET NOBILIBVS

§. XCI.

Nobiles

Homines liberi (§. XXIII. 2.) prout natalibus tantum & sanguine aut præterea dignitate quadam maiore eminebant, *ingenui* dicebantur aut *nobiles* *x*). *Illi* iu-

s) **Rohrs Vorrath allerhand** *contr.* p. 248. seq.
t) LEISSER *Iur. georg.* III, 5.
u) HARTVNG d. *de scultetis, heimburgis & scabinis paganicis* c. 1.
x) HACHENBERG *German. med.* diss. 2.

iure insignium, *hi* uero iure uexilli & suffragii in comitiis gaudebant *y*). Itaque (1) nobiles omnes ingenui erant, non uero omnes ingenui nobiles *z*); nec (2) ingenui promiscue ad publicos regni conuentus ueniebant suffragium laturi *a*).

§. XCII.

officiis, sed non

Postea uero & ingenuis nomen cessit nobilium. Quod fecit, ut nobiles *superiores* ab *inferioribus* distinguerentur *b*), illique *domini*, illustres personae, barones, optimates, drudi *c*), proceres, primores &c. dicti, hi *domicelli* dicerentur. DOMINORVM quidam, licet *principis* elogio, uel *Ducis Marchionisue* munere eminerent constituti, adeoque praeessent cum auctoritate pluribus, tamen nouo ordine a reliquis non erant distincti *d*). Errant itaque, qui superioris nobilitatis duas classes faciunt, alteram *Principum*, alteram *Dominorum*. Duces, Comites Pa-

y) BVNEMANN de *nobilium Germ. iur. elig. imp.*
z) TACITVS de M. G. c. 25. GREGOR. TVRON. *uit. patr.* c. 9.
a) GVNDLING d. *An nobilitet uenter?* c. 2. §. 5.
b) V. C. CRAMER comment. *de iuribus & prærog. nobilitatis auitæ.* c. 2. §. 8. p. 85. seq.
c) GVNDLING c. l. p. 22.
d) IDEM c. l. cap. 3. §. 52.

Palatini, Marchiones, Landgrauii, Burggrauii &c. omnes erant domini, a reliquis munere tantum diſtincti.

§. XCIII.

Quæ munera, diuerſa ſatis, licet in dignitates hereditarias abierint, tamen Principes, Comites, Barones in æquo adhuc ſtare uidemus ordine, licet eorum nomina & δεῖγματα uarient. ordine diſtinguuntur.

§. XCIV.

Ingenui nobilesque ad unum omnes antiquitus ſe dederunt militiæ, pedeſtri *e*) non minus atque equeſtri, proptereaque (1) *milites*, *caballarii*, *cheualier*, Ritter * *f*) dicti, & (2) in milites maiores minoresque diſtincti ſunt. Omnes ſe dederunt militiæ.

* Poſt aliquod temporis ſpatium illi tantum hoc nomine gauiſi ſunt, qui *cingulo militari* ſolemniter donati. Reliqui uero dicebantur famuli, armigeri, ſeruientes, Knappen, Knechte. V. DU FRESNE *gloſſar*. u. armiger, miles.

§. XCV.

Hinc cur mireris non eſt, (3) quod mercaturam, mechanicasque artes, *g*) immo omne illud, quod militiæ, uel iſtam

e) TACITVS *de M. G.* c. 6.

f) V. C. CRAMER c. l. c. 2. §. 7. p. 64. MATTHAEI *de nobilit.* IV, 10.

g) *LL. Torneament.* art. XI. ap. BVRGERMEISTER To. II. *Bibl. equeſtr.*

iſtam acquirendi ſtudio, obeſſe putabant *h*), odio ſemper proſecuti ſint, &, quod inde ſequitur, ab urbana uita abſtinuerint, nec non aliorum, in nouas urbes migrantium, familias ſordere iudicauerint, nobiles.

MEMBR. I.
NOBILIVM MINISTERIIS.

§. XCVI.

Miniſteriales ſunt

Qui, ex ingenuorum aut nobilium ordine, miniſteriis aliorum ſe addicebant palatinis * uel militaribus, dicebantur *miniſteriales i*), Amtleute, Beamte.

* Palatinorum præcipua erant *mareſchallorum*, *camerariorum*, *dapiferorum*, *pincernarum*, miniſteria, de quibus diſſerit Celeb. MASCOV d. *de orig officior. aulicorum S. R. I.*

§. XCVII.

uel regni

Iſta uero miniſteria uel Imperatori, uel Principibus Comitibusque præſtabantur. Vnde nata eſt diuiſio in *miniſteriales regni* & *principum.* Illi comitiorum aliisque iuribus gaudebant, & ſæpe Hoch-Freye, Hoch-Männer, proceres imperii, dicebantur *k*).

§. XCVIII.

h) HEINECCIVS *Elem. I G.* lib. I. §. 78.
i) Ill. ESTOR comment. *de miniſterialibus* c. VII. §. 322
k) IDEM c. I, c. I. §. 23. ſeq.

§. XCVIII.

Miniſteriales principum reſtricta utebantur libertate, diuerſa tamen ſub diuerſis dominis *l*). Hinc non omnium idem ſtatus fuit, nec eadem fuerunt iura. Qua de re etiam (*a*) alii Dienſt-Leute, alii Dienſt-Männer uel freye Dienſt-Leute, itidem (*b*) alii Beamte, alii Ober- uel Erb-Beamte ſunt denominati; (*c*) alii in dominio atque in commercio ſui principis fuerunt, alii uero minime. Unde intelligere potes cauſam, cur alii potuerint, alii uero non potuerint a dominis permutari, quocunque titulo transferri, manumitti, uindicari &c. *m*). uel principum.

§. XCIX.

Hodie res aliam induit faciem. Nam (1) officia (§. XCII.) in dignitatum nomina transierunt (§. XCIII.); (2) nulli ſuperſunt miniſteriales, qui ſeruilis conditionis eſſent, ſed circa med. Sec. XIV. deſiiſſe uidentur; (3) nobiles hodie ſeruitia militaria præſtant ſæpiſſime.

l) IDEM c. l. c. IV. §. 228. ſeq. V. C. CRAMER c. l. p. 69. ſeq.

m) V. PLOENNIES, GLAFEY & Dn. ESTORIS ſcripta *de miniſterialibus*.

MEMBR. II.

DE

NOBILIVM DIVISIONIBVS.

§. C.

Nobiles sunt 2. uel person. uel gentil.

Nobiles, quos uel *superiores* uel *inferiores* esse diximus (§. XCII.), audiunt *gentilitii*, atque *a personalibus*, quales sunt (*a*) imperatoris uel principum imperii *officiales militiæ* superiores *n*), aut *consiliarii*; (*b*) *doctores* academici *o*), &c. probe sunt distinguendi.

§. CI.

3. uel noui

Diuiduntur porro (II) in *nouos* & *antiquos*. *Illi* sunt, qui maioribus, sanguine claris, destituuntur, uel exiguum eorum numerum docere queunt. Quibus æquiparari solent, quorum maiores a constituta in LL. disciplina recesserunt, uinculis plebeiarum nuptiarum constricti.

§. CII.

uel antiqui

Nobiles antiqui dicuntur, in quorum paterna maternaque linea maiores legitimo numero sanguine & natalibus præstitere sunt.

§. CIII

n) V. C. CRAMER c. l. c. IV. §. 8. p. 273.
o) IDEM c. l. p. 277. seq.

§. CIII.

Antiqui femper magni æftimati, uariisque nominibus infigniti *p*), *noui* uero contemtui expofiti funt ab illo præfertim tempore, quo plebeii diuitiis abundantes ad nobilitatem adfpirare cæperunt.

§. CIV.

Nobiles, pro diuerfa qualitate prædiorum, quæ posfident, folent diuidi in (III) *immediatos* Reichs-Saffen, qui imperatori & imperio tantum parent, & *mediatos* Land-Saffen, qui principi cuidam funt fubiecti *Iftorum*, qui præfertim in Franconia, Sueuia & tractu Rhenenfi fedent *q*), *origines* in hiftoria, *iura* uero fingularia in iurisprudentia traduntur publica. 4) uel immediati

§. CV.

Nobiles mediati in SAXONIA diuiduntur in *fchrifftfasfios*, Cantzley-Saffen & *amtfasfios r*), prout uel cancellariæ uel præfecturæ cuidam fubfunt; in CLIVENSI & IVLIACENSI Ducatibus, in Land-faffen uel mediati, qui

p) IDEM c. l. c. I. §. 5.

q) MAVRITIVS c. l. §. 26. feqq.

r) SCHILTER tr. *de Amtfasfiis*. c. 3.

ſaſſen und Unterthanen *s*); in Ep. Monaſterienſi in die Ritterſchaft und Erbmänner zu Münſter.

* Diſtinctio illa nobilium in Schloßgeſeſſene und gemeine Edelleute, quam Pomerani probarunt olim, ROHRS Haußhaltungs-Recht lib. II. c. 2. §. 3. hodie ſuperhabetur. BALTHASAR Nachricht von denen Landes-Geſetzen des H. Pommern. Vorber. f. 15.

§. CVI.

a prædiorum qualitate in ſchrifftſaſſios &

Quoniam iſta diuiſio magis a prædiorum quam perſonarum qualitate dependet, (1) ex una gente oriundorum alter ſæpe amtſaſſius eſt, alter ſchrifftſaſſius; (2) aucta uel minuta nobilis dignitate, landſaſſiatus conditio non mutatur; (3) immediatus quoque nobilis landſaſſius eſſe poteſt *t*); (4) in illis Saxoniæ prouinciis, quibus prædia ſchrifftſaſſica acquirere poſſunt ciuici ordinis homines, non raro nobilis eſt amtſaſſius, ſchrifftſaſſius contra homo ex ciuico ordine oriundus.

§. CVII.

amtſaſſios diuiduntur.

Quod amtſaſſica ſint quædam nobilium prædia, non una eſt ratio. *Alia* enim

s) LVNIG collect. von der mittelbaren Ritterſchaft To. I. p. 1202.

t) WILDVOGEL d. *de ſtat. prouinc.* §. 29.

enim propterea fubfunt præfecturæ, quod ex rufticis nata, *alia*, quia antiqui eorum poffeffores, a præfectis in ius uocati, non cogitantes quid rei agatur, fæpe comparuerint immo ab iisdem fe inueftiri pasfi fuerint *u*). Ut alias rationes taceam.

§. CVIII.

Prædia nobilium, antiquitus dominica, iure præfumes *fchrifftfasfica*. Quæ uero nouiori tempore ad nobiles peruenerunt, *amtfasfica* habeo, donec eorum qualitas fchrifftfasfica probetur. Probari autem poteft (*a*) ex pactis literisque inueftiturarum, neutiquam uero (*b*) ex curiarum prouincialium matriculis, de quarum auctore, ætate & continuatione nihil certi dicere potes *x*). Quænam prædia præfumantur?

MEMBR. III.

DE NOBILITATIS COLLATIONE ET PROBATIONE.

§. CIX.

Olim quidem ingenui non nifi collatis officiis in nobilium numerum re- Nobiles creat Imperator

u) KNICHEN *de ueftiturar. paction.* II, 5, 6.
x) BEYER *deliu. I. Germ.* I, 7, 24.

recipiebantur (§. XCII.); hodie uero & superiorem & inferiorem nobilitatem codicillis sacris Wapen-Briefe *y*), iis sæpe, qui opibus & meritis eminent, confert Imperator *, fons nobilitatis.

* Si quis alius nobiles creare uelit, ab Imp. ita sit priuilegiatus. Vid. MAVRITIVS d. *de nobil. german.* §. XI. SPERL *de clypeis militaribus* p. I. §. 30. TROPPANNEGER d. *de potestate electorum & principum imperii circa ius nobilitatem subditis conferendi.*

§. CX.

citra præiudicium tertii.

Nobilitatem conferat Imperator, expresse an tacite *, nullius interuertere potest iura *z*). Hinc (1) unius *arma* alteri conferre *a*), (2) *maiores*, qui in exercendis iuribus nobilitatis realibus attendantur, fingere *b*), (3) alicui in præiudicium agnatorum, facultatem *adoptandi*, adoptatos nobilitandi, & in nobilitatos feuda transferendi, dare &c. nequit.

* Sic ei, quem nobilibus præficit muneribus, dignitatem nobilitatemque personalem contulisse dicitur. MAVRITIVS *de nobilit.* §. XIX.

§. CXI.

y) Formulam sistit BECMANN *syntagm. dignit.* c. 2. §. 14.

z) Capit. Caroli VI. art. 22.

a) LIMNAEVS *iure publ.* VI, 6, 27.

b) TELGMANN von der Ahnen-Zahl c. 4. §. 46. seqq. V. C. CRAMER c. l. c. IV. §. 1.

§. CXI.

Nobilem quis se probat (1) per diploma nobilitatis (§. CIX.); (2) per libros genethliacos, Stamm-Bücher, Stamm-Tafeln. Nobilitatem uero possidet, qui uel ipse, uel cuius maiores iura nobilibus propria exercuerunt *c*). Te nobilem

§. CXII.

Nobilitatem auitam demonstraturus, in diuersis quidem negotiis, maiores, qui nobilitate eminuerunt, Ahnen*, numero diuerso, semper tamen eodem numero in materna, quo paterna linea producere debet. *Ut itaque, cuius est octo probare maiores nobiles, docere debeat patrem, nec non auum, auiam, proauos, proauias* PATERNAE *lineæ, porro matrem & auum, auiam, proauos, proauias* MATERNAE *lineæ in nobilibus fuisse d*). ex antiquo genere natum

* Vocabulum Ahn denotare maiorem, probat SCHOTTEL von der teutschen Sprache, lib. V. tr. 6. & quodammodo confirmat *I. P. Würtenb.* p. IV. tit. 19. ubi auia dicitur Ahna.

c) *Elect. I. P.* To. I. p. 722. SPERL *de clyp. milit.* p. I. §. 32. KNIPSCHILD *de iuribus nobil.* lib. I. c. 10.

d) BEYER *delin. I. Germ.* I, 9, 12.

§. CXIII.

legitime

Præterea notes uelim, (1) quod in propioris locum remotior ſubſtitui nequeat; (2) quod in re antiqua iuriiurando ſuppletorio detur locus.

§. CXIV.

& mediante ſtemmate probare debes.

Ut uero eo clarius conſtet de legitimo maiorum numero, *ſtemma genealogicum*, ex quo, quot probaturo fuerint maiores nobiles, & quo gradu ſanguine iuncti, appareat, ſiſti ſolet, debetque probari. Probatur autem (1) per *diplomata* (§. CXI.), aliaque ſcripta fide digna, qualia ſunt ex archiuis publicis depromta *e*), a tota familia iam olim agnita *f*), calendaria eccleſiaſtiaca &c. (2) per *famam*, (3) per *teſtium* dicta.

MEMBR. IV.

DE

NOBILIVM IVRIBVS.

§. CXV.

Nobiles ſunt in dignitate, ac

Nobiles in dignitate ſunt, & *ad militiam uidentur nati.* Hinc illis (1) ſingula-

e) WEHNER *obſ. pr.* v. Stamm-Bücher BESOLD *th. pr.* v. Hiſtorie.

f) MEVIVS *conſ.* XC. nr. 32. 71.

laris honor debetur, & (2) uindicari debent iura militum.

§. CXVI.

Quia nobilibus singularis honor debetur (§. pr.), ad intelligendum est facile (1) cur olim tüchtige, bescheidene, ehrbare, fromme Knechte und Knappen, strenge, elende, seu ehrenhafte Ritter, fuerint uocati, hodieque uocentur Wohlgebohrne, Hochwohlgebohrne, aliisque mactentur honorum titulis. Quo quisque compellatur nomine a principe suo, huiusque iudiciis, *uel* obseruantia *uel* rescriptis peculiaribus determinatum est *g*). singulari honore gaudent

§. CXVII.

Ex eodem constat, cur nobiles (2) in iure postulantes ad sedendum inuitentur; (3) ab aliis se distinguant in funeribus educendis *, conuiuiis aliisque actibus solemnibus celebrandis, uestitu *h*) &c. (4) immunes sint a muneribus ciuilibus; (5) benedictionem sacerdotalem in priuatis aedibus efflagitare possint; (7) gaudeant singulari iure in causis criminalibus &c.

* Id

g) M. de SCHVLENBVRG. d. *de priuileg. & praerogat. nobil. mediat. in Germ.* p. 8.

h) *Reform. Pol.* 1548. tit. 4.

MEMBR. II.
DE
NOBILIVM DIVISIONIBVS.

§. C.

Nobiles sunt 2. uel person. uel gentil.

Nobiles, quos uel *superiores* uel *inferiores* esse diximus (§. XCII.), audiunt *gentilitii*, atque *a personalibus*, quales sunt (*a*) imperatoris uel principum imperii *officiales militiæ* superiores *n*), aut *consiliarii*; (*b*) *doctores* academici *o*), &c. probe sunt distinguendi.

§. CI.

3. uel noui

Diuiduntur porro (II) in *nouos* & *antiquos*. *Illi* sunt, qui maioribus, sanguine claris, destituuntur, uel exiguum eorum numerum docere queunt. Quibus æquiparari solent, quorum maiores a constituta in LL. disciplina recesserunt, uinculis plebeiarum nuptiarum constricti.

§. CII.

uel antiqui

Nobiles antiqui dicuntur, in quorum paterna maternaque linea maiores legitimo numero sanguine & natalibus præstiterunt.

§. CIII.

n) V. C. CRAMER c. l. c. IV. §. 8. p. 273.
o) IDEM c. l. p. 277. seq.

§. CIII.

Antiqui ſemper magni æſtimati, uariisque nominibus inſigniti *p*), *noui* uero contemtui expoſiti ſunt ab illo præſertim tempore, quo plebeii diuitiis abundantes ad nobilitatem adſpirare cæperunt.

§. CIV.

Nobiles, pro diuerſa qualitate prædio- 4) uel im-
rum, quæ poſſident, ſolent diuidi in (III) mediati
immediatos Reichs-Saſſen, qui imperatori & imperio tantum parent, & *mediatos* Land-Saſſen, qui principi cuidam ſunt ſubiecti *Iſtorum*, qui præſertim in Franconia, Sueuia & tractu Rhenenſi ſedent *q*), *origines* in hiſtoria, *iura* uero ſingularia in iuriſprudentia traduntur publica.

§. CV.

Nobiles mediati in SAXONIA diui- uel media-
duntur in *ſchrifftſasſios*, Cantzley-Saſſen ti, qui
& *amtſasſios r*), prout uel cancellariæ uel præfecturæ cuidam ſubſunt; in CLIVENSI & IVLIACENSI Ducatibus, in Land-

 ſaſſen

p) IDEM c. l. c. I. §. 5.
q) MAVRITIVS c. l. §. 26. ſeqq.
r) SCHILTER tr. *de Amtſasſiis*. c. 3.

saſſen und Unterthanen *s*); in Ep. Monaſterienſi in die Ritterſchaft und Erbmänner zu Münſter.

* Diſtinctio illa nobilium in Schloßgeſeſſene und gemeine Edelleute, quam Pomerani probarunt olim, ROHRS Haußhaltungs-Recht lib. II. c. 2. §. 3. hodie ſuperhabetur. BALTHASAR Nachricht von denen Landes-Geſetzen des H. Pommern. Vorber. f. 15.

§. CVI.

a prædiorum qualitate in ſchrifftſasſios & Quoniam iſta diuiſio magis a prædiorum quam perſonarum qualitate dependet, (1) ex una gente oriundorum alter ſæpe amtſasſius eſt, alter ſchrifftſasſius; (2) aucta uel minuta nobilis dignitate, landſasſiatus conditio non mutatur; (3) immediatus quoque nobilis landſasſius eſſe poteſt *t*); (4) in illis Saxoniæ prouinciis, quibus prædia ſchrifftſasſica acquirere poſſunt ciuici ordinis homines, non raro nobilis eſt amtſasſius, ſchrifftſasſius contra homo ex ciuico ordine oriundus.

§. CVII.

amtſasſios diuiduntur. Quod amtſasſica ſint quædam nobilium prædia, non una eſt ratio. *Alia* enim

s) LVNIG collect. von der mittelbaren Ritterſchaft To. I. p. 1202.

t) WILDVOGEL d. *de ſtat. prouinc.* §. 29.

enim propterea ſubſunt præfecturæ, quod ex ruſticis nata, *alia*, quia antiqui eorum poſſeſſores, a præfectis in ius uocati, non cogitantes quid rei agatur, ſæpe comparuerint immo ab iisdem ſe inueſtiri pasſi fuerint *u*). Ut alias rationes taceam.

§. CVIII.

Prædia nobilium, antiquitus dominica, iure præſumes *ſchrifftſasſica*. Quæ uero nouiori tempore ad nobiles peruenerunt, *amtſasſica* habeo, donec eorum qualitas ſchrifftſasſica probetur. Probari autem poteſt (*a*) ex pactis literisque inueſtiturarum, neutiquam uero (*b*) ex curiarum prouincialium matriculis, de quarum auctore, ætate & continuatione nihil certi dicere potes *x*). Quænam prædia præſumantur?

MEMBR. III.
DE
NOBILITATIS COLLATIONE ET PROBATIONE.

§. CIX.

Olim quidem ingenui non niſi collatis officiis in nobilium numerum re- Nobiles creat Imperator.

u) KNICHEN *de ueſtiturar. paction.* II, 5, 6.
x) BEYER *deliu. I. Germ.* I, 7, 24.

recipiebantur (§. XCII.); hodie uero & superiorem & inferiorem nobilitatem codicillis sacris Wapen-Briefe *y*), iis sæpe, qui opibus & meritis eminent, confert Imperator *, fons nobilitatis.

* Si quis alius nobiles creare uelit, ab Imp. ita sit priuilegiatus. Vid. MAVRITIVS d. *de nobil. german.* §. XI. SPERL *de clypeis militaribus* p. I. §. 30. TROPPANNEGER d. *de potestate electorum & principum imperii circa ius nobilitatem subditis conferendi.*

§. CX.

citra præiudicium tertii.

Nobilitatem conferat Imperator, expresse an tacite *, nullius interuertere potest iura *z*). Hinc (1) unius *arma* alteri conferre *a*), (2) *maiores*, qui in exercendis iuribus nobilitatis realibus attendantur, fingere *b*), (3) alicui in præiudicium agnatorum, facultatem *adoptandi*, adoptatos nobilitandi, & in nobilitatos feuda transferendi, dare &c. nequit.

* Sic ei, quem nobilibus præficit muneribus, dignitatem nobilitatemque personalem contulisse dicitur. MAVRITIVS *de nobilit.* §. XIX.

§. CXI.

y) Formulam sistit BECMANN *syntagm. dignit.* c. 2. §. 14.

z) Capit. Caroli VI. art. 22.

a) LIMNAEVS *iure publ.* VI, 6, 27.

b) TELGMANN von der Ahnen-Zahl c. 4. §. 46. seqq. V. C. CRAMER c. l. c. IV. §. 1.

§. CXI.

Nobilem quis se probat (1) per diploma nobilitatis (§. CIX.); (2) per libros genethliacos, Stamm-Bücher, Stamm-Tafeln. Nobilitatem uero possidet, qui uel ipse, uel cuius maiores iura nobilibus propria exercuerunt *c*). Te nobilem

§. CXII.

Nobilitatem auitam demonstraturus, in diuersis quidem negotiis, maiores, qui nobilitate eminuerunt, Ahnen*, numero diuerso, semper tamen eodem numero in materna, quo paterna linea producere debet. *Ut itaque, cuius est octo probare maiores nobiles, docere debeat patrem, nec non auum, auiam, proauos, proauias* PATERNAE *lineæ, porro matrem & auum, auiam, proauos, proauias* MATERNAE *lineæ in nobilibus fuisse d*). ex antiquo genere natum

* Vocabulum Ahn denotare maiorem, probat SCHOTTEL von der teutschen Sprache, lib. V. tr. 6. & quodammodo confirmat *I. P. Würtenb.* p. IV. tit. 19. ubi auia dicitur Ahna.

c) *Elect. I. P.* To. I. p. 722. SPERL *de clyp. milit.* p. I. §. 32. KNIPSCHILD *de iuribus nobil.* lib. I. c. 10.

d) BEYER *delin. I. Germ.* I, 9, 12.

§. CXIII.

legitime

Præterea notes uelim, (1) quod in propioris locum remotior ſubſtitui nequeat; (2) quod in re antiqua iuriiurando ſuppletorio detur locus.

§. CXIV.

& mediante ſtemmate probare debes.

Ut uero eo clarius conſtet de legitimo maiorum numero, *ſtemma genealogicum*, ex quo, quot probaturo fuerint maiores nobiles, & quo gradu ſanguine iuncti, appareat, ſiſti ſolet, debetque probari. Probatur autem (1) per *diplomata* (§. CXI.), aliaque ſcripta fide digna, qualia ſunt ex archiuis publicis depromta *e*), a tota familia iam olim agnita *f*), calendaria eccleſiaſtiaca &c. (2) per *famam*, (3) per *teſtium* dicta.

MEMBR. IV.
DE
NOBILIVM IVRIBVS.

§. CXV.

Nobiles ſunt in dignitate, ac

Nobiles *in dignitate ſunt*, & *ad militiam uidentur nati*. Hinc illis (1) ſingula-

e) WEHNER *obſ. pr.* v. Stamm-Bücher BESOLD *th. pr.* v. Hiſtorie.

f) MEVIVS *conſ.* XC. nr. 32. 71.

laris honor debetur, & (2) uindicari debent iura militum.

§. CXVI.

Quia nobilibus singularis honor debetur (§. pr.), ad intelligendum est facile (1) cur olim tüchtige, bescheidene, ehrbare, fromme Knechte und Knappen, strenge, elende, seu ehrenhafte Ritter, fuerint uocati, hodieque uocentur Wohlgebohrne, Hochwohlgebohrne, aliisque mactentur honorum titulis. Quo quisque compellatur nomine a principe suo, huiusque iudiciis, *uel* obseruantia *uel* rescriptis peculiaribus determinatum est *g*). singulari honore gaudent

§. CXVII.

Ex eodem constat, cur nobiles (2) in iure postulantes ad sedendum inuitentur; (3) ab aliis se distinguant in funeribus educendis *, conuiuiis aliisque actibus solemnibus celebrandis, uestitu *h*) &c. (4) immunes sint a muneribus ciuilibus; (5) benedictionem sacerdotalem in priuatis aedibus efflagitare possint; (7) gaudeant singulari iure in causis criminalibus &c.

* Id

g) M. de SCHVLENBVRG. d. *de priuileg. & praerogat. nobil. mediat. in Germ.* p. 8.
h) *Reform. Pol.* 1548. tit. 4.

* Id quod tamen in Holsatia ualde restrinxit CHRISTIANVS IV. de An. 1637. Vid. LVNIG *Collect.* von der mittelb. Ritterschafft, To. II. p. 1047. seq.

§. CXVIII.

iuribusque militum, speciatim

Quia ad militiam nati uidentur esse nobiles (§. CXV.): de causa constare puto, cur iis competat (1) ius *insignium*, (2) ius *feuda* acquirendi, & (3) ad *ordines sacros* equestres adspirandi &c. de quibus & reliquis nobilium iuribus statim acturi sumus.

§. CXIX.

1) utuntur tesseris militaribus, scuto

Ius insignium (§. pr.) absoluitur potestate utendi *tesseris militaribus* * Wapen, scuto scilicet galeaque **, Schild und Helm, quibus kleinodium & telamones quandoque accedere nouimus. Utuntur autem iis in sigillis, funeralibus pompis, immo quauis occasione data.

* Quae olim (1) simplicissimae erant, spatiis tantum lineis & coloribus distinctae, nec (2) in filios aut descendentes transmittebantur. STRAVCH d. *de armis german. prisc.* c. 3. §. 2. seq. Doct. CRAMER c. l. c. V. p. 362. seq.

** Germani primum nudi, capillos tantum religantes, TACITVS *de M. G.* c. 38. post pelle cuiusdam ferae tecti, denique galea coriacea uel casside ferrea induti contra hostes pugnabant suos.

§. CXX.

§. CXX.

Galea * semper magni fuit. Hinc saepe omnium insignium loco posita conspicitur, nec paucis nobilibus & feudis suum nomen tribuit *i*). galeaque, quibus

* Quod adhuc hodie *galea aperta* seu clatrata ein offener Turnier-Helm, nobilium propria sit, minime probari potest. Multi enim ex honoratiorum ciuium numero ea solent uti. BEYER *de lin. I. Germ. I.* 10, 19.

§. CXXI.

Ut uero diuersae gentis nobiles a se inuicem distinguantur, (1) sua cuique *scuto* inhaerent *emblemata*, nec scuta uno semper metallo aut colore tingi solent; (2) *galea* unius his, alterius aliis exornatur rebus, uel (3) *kleinodium* ex cuiusque gentis galea diuersum, diuersoue modo prominet.

* Insignia, in quibus natura uel artis regulae sunt neglectae, utsi (*a*) *animalia* in actu *ignobiliori*, aut (*b*, peruerso *ordine*, uel (*c*) *color* nobilior in inferiore loco, uel (*d*) metallum super metallum, colorue super colorem conspiciuntur, praesumuntur spuria. HOEPING c. l. cap. XI. CHRISTYN *Iurisprud. heroica* art. V. §. 7. p. 198.

§. CXXII.

i) RINCK *de eo, quod iustum est circa galeam.*

§. CXXII.

Itaque hic notare poteris ſequentes regulas:

I. Inſignia ſunt nobilitatis ſymbola (§. CXVIII.) *.

II. Ex qua quisque gente oriundus ſit, loquuntur (§. CXXI.).

III. Rebus adpoſita ſignificant iura illius, qui ea publice adponi curauit.

* Hodie tamen haud raro ſine nobilitate conferuntur inſignia.

§. CXXIII.

nobilitatem,

Ex prima ſequitur (1) ut nobilis & einer der Wapengenoß uel zum Schild gebohren iſt, unus ſit idemque *k*); (2) ut inſignia ſolus *conferat* Imperator (§. CIX.), atque (3) collata iisdem *probentur* modis, quibus nobilitas probari (§. CXI.) ſolet, ſpeciatim (4) *inſignium iure* uel *uſu probato*, probata cenſeatur nobilitas *l*) huiusque poſſesſio *m*) (§. CXI.); (5) ut nobilis inſignia ſua non in quemuis heredem, in

k) MAVRITIVS *de nobilitate, inprimis germanica* §. XVIII.

l) TIRAQVELLVS *de nobilitate* c. VI. n. 12.

m) ROEPING *de iure inſign.* c. XIII. n. 14.

in omnes tamen, qui legitime ab eo deſcendunt, diuerſo licet effectu, *transferat;* (6) ut *ſpurii* patris arma portare nequeant, ſi uel maxime per reſcriptum principis ſint legitimati *n*); (7) ut inſignia, quæcunque ſint, immedietatem uix denotent.

§. CXXIV.

Ex ſecunda (§. CXXII, 2.) hæc deriuare licet: (1) quod nobiles, qui eadem ſigna portant, eiusdem *agnationis* præſumi debeant; (2) quod qui teſſeras alterius gentis delet, frangit, lacerat, turbat, *iniuriarum*, (3) is uero qui eas ſibi ſumit, *falſi* a quolibet iſtius gentis conueniri poſſit; (4) quod una cum gente perire debeant inſignia. Hinc, *ultimo gentis* ſuæ mortuo, franguntur arma, ſcinduntur uexilla, & uel in illius ſarcophagum, uel prope hunc coniecta, ſepeliuntur *o*). gentem

§. CXXV.

Ex tertia (§. CXXII, 3.) conſtare poteſt de cauſa (1) cur, quis ædificauerit exſtruxeritque *eccleſiam*, ſæpe loquantur, & alia iura denotant.

---

n) LYNCKER *reſol.* 337.

o) HOEPING c. tr. c. 12. §. 4. WILLENBERG d. *de iure ultimi gentis ſuæ* c. 4. §. 68. ſeq.

tur, huius muris & portæ maiori addita, insignia; (2) cur uexillorum, annulorum signatoriorum, armorum, uestium, tabernarum, curiarum, pontium &c. dominus uideatur esse, cuius tesseræ illis publice sunt adiectæ; (3) cur, qui res alterius suis *signat tesseris*, iniuriarum conueniri possit; (4) cur magistratus oppidanus iure conqueratur, si, qui centenam tantum habet, *muris* insignia sua apponere, aut nundinarum tempore uexillum promere uelit.

§. CXXVI.

2) fruuntur iure feuda acquirendi

II. *Iuris* nobilium *acquirendi feuda* (§. CXVIII, 2.) praxis hodierna uariat. *Alibi* enim nullus, *alibi* quiuis ignobilis feuda acquirere potest; *alibi* ignobilis feudi quidem possessor esse potest, sed congregationi nobilium in comitiis prouincialibus interesse, parium curiæ uicem sustinere, & in causis equestribus testimonium dicere nequit *p*).

§. CXXVII.

3) castrum exstruendi

Competit nobilibus etiam III. *ius castrum exstruendi*, illudque uallandi muris istius altitudinis, ad quam uir demum equo insidens pertingere potest *q*). Muris

p) de SCHVLENBVRG c. d. p. 14.
q) *Spec. Suev.* c. 234. *Sax.* III, 66.

ris uero turres & propugnacula addere, neque mores *r*) neque praxis germaniæ, inferiori cuidam permittunt nobili. A caſtris feudisue nomina ſibi antiquitus adſciuerunt, & cum miniſteriorum nominibus coniunxerunt nobiles. Hodie uero illis non niſi διακριτικῶς utuntur.

§. CXXVIII.

In iuribus nobilitatis auitæ eſt I. ius *torneamenta* frequentandi. Ludi militares, quibus *initium* Francorum & Carolingorum tempora, *augmentum* Henricus Auceps *s*), ac denique *ordinem* & ſolemnia Galli dederunt *t*), eum primario celebrabantur in finem, ut quilibet certantium corpus ſuum redderet idoneum ad præclara in bello peragenda *u*).

Nobiles antiqui possunt 1. frequentare torneamenta, quæ

§. CXXIX.

Imperator, Rex & qui alius ex Imperatoris conceſſione, ludos equeſtres indicere poterat, *locum* ludis & ſpectaculo commodum, tutumque in imperio noſtro

ubi ab Imp. indicta erant.

r) *I. P. S.* c. l. ubi uerba: Zinnen und Bruſt-Wehr ſollen nicht dran ſeyn.
s) SCHVBART *de ludis equeſtribus* c. 2.
t) Ill. ESTOR comment. *de miniſter*.
u) SCHVBART c. l. c. V. §. 5.

ſtro eligebat, eoque nobilisſimos mittebat uiros, qui de hoſpitiis probe inſtructis, de ſaluo conductu, & ſtadio, ſecundum LL. torneamentorum muniendo &c. cum magiſtratu agerent *x*).

§. CXXX.

publicabant torneamentorum reges.

Quo facto torneamenta publicabant, h. e. principes, nobilesque alios ad ea inuitabant, *torneamentorum Reges*, Thurniers-Könige. Quorum munus, in adornandis & dirigendis certaminibus conſiſtens, quum inſigne omnino eſſet, quilibet rex tribus *ſociis*, & hi iterum *ehrenholdis* inſtructi erant *y*).

§. CXXXI.

Quamprimum pugnaturi a) natiuitas b) mores

Priusquam certamina inſtituebantur, reges torneamentorum inquirebant in eorum, qui ad pugnandum comparebant, (1) *ſortem naſcendi;* homines enim noui & ex ignobili matre procreati non admittebantur z); (2) *mores;* LL. enim ab his ludis remouebant (*a*) adulteros & ſexus feminei uiolatores, (*b*) blaſphemos, (*c*) latrones, (*d*) periuros, (*e*) proditores, (*f*) uectigalium nouorum auctores *a*).

§. CXXXII

x) ID. c. l c. IV.
y) ID. c. l. c. IV, §. II.
z) Dn. CRAMER c. l. p. 341. ſeq.
a) L. Henriciana IX. SCHVBART c. l. cap. 6.

§. CXXXII.

Examini porro ſubiiciebant (3) candidatorum *clypeum galeamque*, ut clareat, ſint genuina, an ſpuria uel uitioſa inſignia. Ubi omne deerat uitium, galea diuidebatur. Cui actui nomen erat Helm-Theilung. c) inſignia

§. CXXXIII.

Dein (4) *armorum*, quibus pugnandum erat, attendebant qualitatem. Erant autem ea uel *offenſiua*, ſcilicet claua ſeu contus, gladius, lancea; uel *defenſiua*, ut ſcutum, galea, lorica ferrea *b*). d) arma, &

§. CXXXIV.

Denique (5) tentabant *equum*, ſit ornatus, robuſtus & imperterritus &c. nec ne. Calcitroſum enim, mordacem, adſultatorium, ferocem, immo quemuis, qui curſum & pugnam impedire poterat, damnabant LL. *c*). e) equus, quibus uti uolebat, probata,

§. CXXXV.

Interim conſtituebantur *moderatores*, Grießwärtel *d*), quorum erat impedire, quo minus cum diſcrimine uitæ pugnaretur. Hinc (1) perticis inſtructi, & (2) in- & moderatores conſtituti erant:

b) SCHVBART c. l. c. 3.
c) IDEM c. 3. §. 20.
d) IDEM c. IV. §. 15.

intra carceres atque funes arenæ positi erant, ut contra LL. pugnantibus se opponere, & inique pressis opem ferre momento possent.

§. CXXXVI.

clauis, Quibus omnibus ita constitutis, die horaque statuta singuli adesse, &, simul atque signum tuba dabatur, funesque incidebantur, intra carceres concurrere debebant. Pugnabatur primum *clauis* seu colpis, dein, ubi rursus tuba sonuerat, *gladiis strictis*. His feriebantur cleinodia, usque dum reseratis carceribus liber cuique præberetur exitus. Pugnam, quæ colpis peragebatur, uocabant das Vorthurnier; eam uero, qua strictis gladiis pugnabatur, das Nachthurnier.

§. CXXXVII.

post hastis pugnabatur. Quo certamine finito ad *hastiludium*, rennen, stechen im hohen Zeug, ueniebatur *e*). Antea uero, quam quis concurreret serio, suas suique equi uires explorabat, ne imparatus accederet, periculoque se exponeret. Ab his decursionibus distinguas uelim certamina cum hastis acuminatis peracta, quæ dicebantur die Scharf-Rennen. Hæc sane seria duella erant,

e) ID. c. IV. §. 18.

erant, ubi se inuicem ad necem usque persequebantur aduersarii.

§. CXXXVIII.

Quod (1) hæc certamina non ubiuis eodem modo f) instituta, & (2) alicubi a rusticis suscepta g) fuerint; quodque (3) ludi illi equestres, die carroussels, Ringel-quintan- und Kopf-Rennen ꝛc. qui sec. XVI., quo torneamenta desierunt esse, innotuerunt, ad delectationem solam sint comparati, ut pluribus deducam, frustraneum esse puto. Ringel-quintan-Rennen.

§. CXXXIX.

Sic quoque II. ad *ordinem sacrum*, qui a *Teutonibus* suum sortitus est nomen, III. ad linguam germanicam *ordinis Iohannitici h*), IV. ad *canonicorum summa i*) collegia *, adspirare nequeunt, nisi qui natales ingenuos (§ CXII. seq.) liquido probare possunt. 2. ad ordines sacros & canonicatus adspirare.

* Hoc ius nobilitati auitæ proprium his & illis fraudibus infringere sibi sumsit pontifex, ast frustraneo semper ausu. Id quod ex historiarum monumentis luculenter docet doctissimus CRAMER c. l. c. 3. §. 3. seq.

f) ID. c. IV. §. 8. seq. *Spec. honoris Austr.* V, 21.
g) MVLLERI Staats-Cab. 8. Eröfn. c. 10.
h) Telgmann c. l. c. 5. §. 6. seq.
i) NOLDEN *de statu nobil.* c. 11.

§. CXL.

5. iudiciis heroicis &c. intereſſe.

Porro nonniſi uiri auitæ nobilitatis admittuntur V. ad iudicia * *heroica k*), & VI. *parium curiæ l*), VII. ad *ganerbiorum* ſocietates. Olim etiam antiqua proſapia orti non compellebantur VIII. ad *duella* cum nouis hominibus ſuſcipienda *m*).

* Quod olim ſoli nobiles ad iudicia, tam ciuilia quam criminalia fuerint admiſſi, proptereaque Centbare, Schöppenbare dicti, inter omnes conſtat.

§. CXLI.

Quinam his deſtituantur iuribus?

Quibus iuribus (§. CXXVIII. ſeq.) minime gaudent (1) *noui homines*, ſi uel maxime ad ea nobilitati fuerint. Excipe tamen iura perſonalia (§. CX, 2.); (2) *ſpurii*, etiam poſt legitimationem, (3) ex *impari* progenitorum nobilium *matrimonio* oriundi, (4) ignobiles a nobilibus uiris *adoptati*, & (5) quorum maiores turpi quodam facto nobilitatem commacularunt.

§. CXLII.

k) IDEM c. l. nr. 31. - 37. STRVV. *de iudiciis heroicis.* WENTZKY *de iure & iudicio equeſtri Sileſiæ.*

l) *I. F. S.* c. 2. 72. *Alaman.* c. 1. §. 4. CRAMER c. l. c. V. §. 6. SONDERSHAVSEN *de iudicio parium curiæ.*

m) *I. P. S.* I, 51. III, 29. *Alam.* c. 51. GERHARD d. *de iudicio duellico* c. 3. §. 9.

§. CXLII.

Nobiles ſchrifftſaſſii * (I) ad *diætas prouinciales* literis uocantur *n*), ubi de *bello ſuſcipiendo*, *prouincia defendenda*, *pace ferienda*, *commerciis promouendis*, *tributis* ſeu ſteuris cuiuscunque generis ** *imponendis* &c. deliberant *o*), uotumque ferunt alibi conſultatiuum, alibi deciſiuum *p*). Quo facto, *receſſus* nomine principis concipitur, ſigilloque confirmatur.

Iura ſchrifftſaſſiorum,

* Alicubi illi tantum, qui ex auito genere nati ſunt. HORN *iur. publ.* c. 63. §. 3. WILDVOGEL d. *de ſtatibus prouinc.*

** V. C. Kopf-Geld, Tranck-Türcken-Fräulein-Creiß-Steuer, it. wegen Entrichtung der Römer-Monate, Empfahung der R. Lehn, Haltung des Geſandten auf dem R. Tag ꝛc. Harum ſteurarum collectores quas rationes reddere debeant, nos docet DOEPLER im getreuen Rechnungs-Beamten p. I. c. 18.

§. CXLIII

Hodie principes, ſumtibus parſuri, raro ad diætas ſchrifftſaſſios omnes conuocant, ſed potiores tantum inuitant ad deliberandum de ſalute reipublicæ.

F 4 Ho-

n) SECKENDORF Fürſten-St. p. I. c. 4. nr. 3. PESTEL *de comitiis prouincialibus.*

o) WILDVOGEL d. *de Statibus prouincial.* FRITSCH tr. *de conuent. prouinc.* c. 7.

p) OTTO *de orig. nobil. german.* ſect. II. c. 1.

Horum conuentus dicuntur Ausschuß-Tåge *q*).

§. CXLIV.

reliquorumque mediatorum.

Patet porro nobilibus mediatis (II) aditus ad *dignitates* maximas *r*), & (III) eorum liberis ad *ſcholas illuſtres* iſtius, qua ſedent, prouinciæ *s*).

§. CXLV.

Nobilitas doctorum.

Doctores academici olim in magno honore erant, ad capitula admittebantur, & equitibus ſolemni ritu creatis æquiparabantur *t*). Unde nobiles doctoris titulo inſigniti, hunc non raro antepoſuerunt equeſtribus *u*).

§. CXLVI.

Quibus modis amittatur nobilitàs?

Nobilitas, illiusque iura, realia præſertim, amittuntur (*a*) *delicto*, infamiam contrahente; (*b*) *mercatura x*), (*c*) *opificio*, in quo quæſtus gratia ſe exercet nobilis *y*). Quod quilibet quoque nobili-

q) HORN *Iure publ.* c. 63.
r) Ill. KOPP *de inſigni differentia inter S. R. I. Comites & nobiles immediatos* p. 71.
s) de SCHVLENBVRG c. d. §. VIII. IX.
t) *R. I.* de A. 1500. tit. 22. §. 5. ſeq
u) V. C. CRAMER c. l. c. 4. p. 284. ſeq. 293. ſeq.
x) CHRISTYN c. l. ad art. 6. §. 5.
y) KNIPSCHILD c. tr. lib. I, c. 13.

litati suæ renunciare possit, res ipsa loquitur.

MEMBR. V.

DE EMANCIPATIONE NOBILIVM ET CREATIONE EQVITVM.

§. CXLVII.

Iuniores nobiles ex famulitio suo sic solent dimittere principes, ut iis, alapa inflicta, tradant gladium, quo utantur ad defensionem patriæ, nationis germanicæ, religionis &c. itidem ad propulsandum periculum, eorum uitæ, corpori uel honori imminens. Quod dicitur, wehrhaft machen z). Wehrhaft machen quid?

§. CXLVIII.

Equites uel *aurati* uel *sacrorum ordinum militarium* dicuntur esse. *Hos* creat ordinis magister solemniter, *illos*, qui reliquos nobiles, hac dignitate non ornatos, superant titulis, insignibus ac ornamentis, designat Imperator, mox solemniter mox per codicillos *a*). Solemnitas uero *, qua iuuenes ex antiqua pro- Ritterschlagen quid?

z) FOERSTER *de emancip. equestri.*
a) CHRISTYN. c. l. ad art. VIII. §. 24. p. 403.

ſapia nati & heroes animoſi ad equeſtrem dignitatem euehuntur, dicitur das Ritterſchlagen.

* Hanc diuerſis temporibus uariam fuiſſe ex DV FRESNE *Gloſſ.* u. miles MATTHAEI tr. *de nobilit* IV, 13. ſeq. *Obſ. Halenſ.* To. II. obſ. 2. ſeq. Conſ. CRAMERI tr. c. p. 298. ſeq. aliisque cognoſcere potes facile.

§. CXLIX.

Dignitas equeſtris olim perſonalis erat, nec conferebatur, niſi ingenuos maiores oſtentantibus. Poſtea uero Carolus V. eam quibusdam dedit hereditario iure, ſicque fecit, ut non amplius eſſet in iuribus nobilitatis auitæ & heroicæ.

TIT. VI.
DE CIVIBVS QVI MEDIO AEVO BVRGENSES DICEBANTVR.

§. CL.

Equidem mihi, de *burgenſium* (§. XXIII.) iuribus iam acturo, temperare nequeo, quin prius de *urbium germanicarum origine* quædam, pauca tamen, proferam. Nam, ut mea fert opinio, originem urbium plane neſciens, burgenſium iura ſatis intelligere nequit.

MEMBR.

MEMBR. I.
DE
VRBIVM ORIGINE STATV ET REGIMINE.

§. CLI.

Tantum abeſt, ut primis temporibus *urbes*, ſeu, loca multis ædificiis conſtantia, muris & portis circumdata, Städte *, inhabitauerint, ut potius ſedes inter ſe iunctas auerſati fuerint *b*), & proinde diſcreti ac diuerſi, ut fons, ut campus, ut nemus placebat, coluerint Germani *c*). **Urbes olim nullæ**

* In huius denominationis rationem inquirit CRELL. d. *de iure urbes muniendi & muuitiones reficiendi* p. 13. ſeq.

§. CLII.

Ex quo uero in quibusdam germaniæ prouinciis (1) Romani cum imperio eſſe, (2) *epiſcopatus* naſci *d*), (3) *commercia* florere &c. cæperunt: uici quidam, ſed pauci *, frequentiores, celebrioresque facti **poſt paucæ fuerunt**

b) TACITVS *Hiſtor. IV*, 64.
c) IDEM *de M. G* c. 16.
d) *Capit. Caroli M.* de A. 794. c. 20. BRVNNEMANNI d. *de orig. & progreſſ. incrementorum urbium german.* c. 1. §. 9. ſeq.

facti sunt, immo paulatim urbium speciem induerunt sub *burgorum e)* nomine.

* *Vitam* enim *urbanam*, quam luxui inseruire militiæque obesse putabant, cane peius & angue fugerunt ad unum fere omnes ingenui (§. XCV.).

§. CLIII.

ad Henrici usque tempora.

Denique Henricus Auceps, ubi Hungarorum ausus bis represserat, & Normannos Slauosque compescuerat, castella muniri, oppida restaurari, & noua exstrui, murisque cingi, nec non in oppida, muris cincta, nonum quemque ex agrariis militibus, uitam urbanam adhuc odio prosequentibus (§. XCV, 2.) commigrare iussit*. Utque uitam urbanam omnibus gratam faceret & acceptam, in urbibus (1) *concilia* & omnes conuentus celebrari, (2) homines, quid contra hostes in necessitate facere debeant, discere *f)*; (3) *mercaturam* & *opificia* exerceri, ac denique (4) quod quidam statuunt, *cereuisiam coqui* uendique uoluit.

* Qui eo commigrarunt, nobilitatis splendorem retinuerunt ad illud usque tempus, quo otio &

e) SPENERI T. *Ius publ.* lib. II. cap. 7. § 6. a).
f) WITTICHIND *Annal.* lib. I. p. 639. ed. MEIBOM. SIEGBERT. GEMBLAC. ad An. 925.

& mercaturæ uacare, atque plebeiorum connubiis ſe commaculare cæperunt. SPENER T. *Ius publ.* II, 7, 5. ſeq.

§. CLIV.

Fallor, aut ex modo dictis (§. CLI. ſeq) intelliges, (1) cur plura oppidorum & pagorum nomina deſinant in *aue*, *bach*, *berg*, *brunn*, *feld*, *hauſen*, *hayn*, *heim*, *laube* oder *leben*, *thal g*); (2) cur antiquiores urbes, non deſcriptis ad lineam plateis, ſed ſatis contortis uicis & angiportibus exſtructas conſpiciamus hodie; (3) quod ab Henrici Aucupis demum tempore urbes frequentauerint ingenui; (4) quo ſeculo probabiliter nata ſint *exercitia burgenſium* iaculatoria, Vogel- Scheiben- Schieſſen; (5) cur burgenſes in *centurias*, quibus ſua ſunt *uexilla*, ſui *capitanei*, *ſigniferi*, aliique officiales ſubalterni, diſtribui, & (6) ſtatis temporibus *luſtrari* ſoleant *h*).

§. CLV.

Hodie urbes diſtribuuntur in *imperiales* & *prouinciales*, prout Imperatori & imperio immediate aut mediate ſubſunt. *Illarum* origo, fata, qualitas, regimen, iuraque, queis gaudent, docentur alibi **Hodie in imperiales**

g) CLVVER *German. antiqua* I, 13.
h) FRITSCHII tr. *de iure luſtrationis*.

bi *i*). *Hæ* alicubi diuiduntur in Schrift-ſäßige, Amtſäßige, und Gerichtsherren-Städte *k*), quibus quandoque accedunt Cammer-Städte.

§. CLVI.

& prouinciales distribuuntur. Olim non niſi ex Regum & Imperatorum conſenſu uicos in urbes mutari, aut nouas urbes exſtrui potuiſſe, nemo negabit *l*). Hodie uero quilibet princeps in territorio ſuo, citra Imperatoris conſenſum, cuilibet loco, qui ad milliare ab alia urbe abeſt, ius ciuitatis dare poteſt *m*).

§. CLVII.

Ciuitas. *Ciuitas*, quo nomine urbis alicuius inhabitatores ſimul ſumti uocare ſolent, *collegium* dicitur, *cuius finis eſt* ſecuritas, præſertim uero *quæſtus negotiatione*, *opificiis & coquenda uendendaque cereuiſia faciendus*.

§. CLVIII.

Unde hæc deriuo axiomata:

I. Ciuitas gaudet priuatorum iuribus.

II. Ea

i) KNIPSCHILD *de iur. ciuit. imper.*
k) ZECH Europ. Herold. p. 259.
l) HEINECCIUS *Elem. I. G.* lib. I. §. 110.
m) THOMASII *d. de iure ſtat. imp. dandi ciuit.* §. 43.

II. Ea omnia agere poteft, fine quibus finem obtinere nequit.
III. Subeft infpectioni & directioni principis, in cuius territorio degit.

§. CLIX.

Non dubito fore, qui ex primo axiomate (§. pr.) fequi mecum iudicent: (1) ut ciuitas *contrahere*, (2) bona *acquirere* & (3) *alienare*, nec non (4) acquifita posfidere, atque (5) qui adminiftrent ea, conftituere, ut & (6) *delinquere* posfit. **gaudens priuatorum iuribus**

§. CLX.

Ex fecundo (§. CLVIII, 2.), ni fallor, conftat, ciuitatem posfe (1) communem *arcam* (2) communeque *figillum* n) habere; (3) locum determinare, ubi, fi foret opus, coire, & (4) de rebus ad fuam utilitatem pertinentibus deliberare, (5) quæque ad finem conducere putat, *ftatuere* * posfit. Locus ille dicitur *curia*. **& facultate agendi ea, fine quibus finis obtineri nequit,**

* Quod tamen ius ftatuta condendi denegatur ciuitatibus præfectoriis, denen Amts-Städten.

§. CLXI.

Ut falus ciuitatis eo melius promoueatur, conftituitur *fenatus* *, cuius caput *con-* **non folum fenatus**

n) GOSSEL d. *de eo quod iuftum eft circa figilla uniuerfitatis.*

conſul eſt. Ab initio ex delegatione agebat, poſt iure proprio agere & directionem in iurisdictionem imperiumque mutare *o*) cæpit ſenatus. Quo factum eſt, ut (1) *patriciis doctoribusque*, qui olim ſoli in ſenatoribus fuiſſe uidentur *p*), *mercatores*, *opifices* immo alii ſæpe ex *plebe* adiungerentur, aut *tribuni plebis* conſtituerentur; quid? quod alicubi (2) quotannis duo conſules eligerentur, unus ex nobilium, alter ex ciuico ordine deſumendus *q*).

* In urbibus municipalibus ſenatores, ſicut principis auctoritate eliguntur, ita quoque eo demum uolente remoueri poſſunt.

§. CLXII.

Hodie ſenatus eſt (1) *coire*; (2) de rebus ad municipii utilitatem pertinentibus deliberare; (3) *mercatores*, opifices protegere; (4) *rerum politiæ*, ſiue earum, quæ uitam humanam reddunt ſuauiorem commodioremque *, curam ſuſcipere, propterea que (5) earum, quæ ueneunt, *pretia*, *pondera*, *menſuras*, *propolium* &c. attendere; (6) eos, quibus ne-

o) HERTIVS d. *de ſpecial. R. G. Imp. rebus publ.* §. 22.
p) HEINECCIVS *El. I. G.* lib. I. §. 112.
q) LVDOLFF obſ. 114.

nomen eſt der Marckmeiſter, conſtituere; (7) ciuitatis nomine contrahere *r*); (8) *arcam*, *ſigillum* & *documenta*, quibus iura ciuitatis probari poſſunt, cuſtodire, & (9) *ciues* recipere.

* Quæ eo pertineant, disquirit SCHREIBER d. *de cauſar. politiæ, & earum, quæ iuſtitiæ dicuntur, conflictu & differentia* ſect. 1 §. 5. qui ſimul ſect. 2. docet, quid circa politiam principibus, horumque ſanctioribus conſiliis ſit reſeruatum.

§. CLXIII.

Porro illius eſt (10) *muros s*), *portas*, *uias*, *pontes*, *fontes* *, aliaque opera publica curare, (11) ab interitu defendere, & (12) deſtructa collapſaque reficere.

* Hinc poteſt (*a*) publicare Brunnen-Ordnungen, (*b*) conſtituere Röhren- und Brunnen-Meiſter, (*c*) nominare fontium cuſtodes, (*d*) fontibus deficientibus exſtruere hydraula, Waſſer-Künſte.

§. CLXIV.

Sic quoque ſenatus debet (13) *incendium* ab urbe defendere, proptereaque (*a*) ædificia ad unum omnia, præſertim fabricas illas, ubi ignes continui iique magni aluntur, ſæpe uiſitare, & (*b*) ſi quæ

r) MEICHSNER *deciſ. cameral.* XXII. nr. 204.
s) CRELL c. d. p. 27. ſeq.

quae fuligine repleta deprehendit, ea purgari iubere; (c) uigiles Nacht-Wächter, constituere t); (14) *incendium*, si quod *ortum*, populo citius significari, & (15) aquam, siphones, aliaque, quibus ad restinguendum incendium opus est, ad locum incendii apportari, ac alia curare necessaria.

§. CLXV.

Denique senatus non potest non (16) bona ciuitatis *administrare*, uel (17) si ipse ea administrare nequeat, administratores constituere, atque (18) ab his rationes exigere; (19) *syndicum*, *actuarium*, Wachtmeister, Raths-Diener, aliosque officiales denominare &c.

§. CLXVI.

directioni, Quia senatus curare debet salutem municipii (§. CLXI. seq.): non potest non illi competere (20) potestas *controuersias*, si quae inter ciues de rebus ad municipium spectantibus ortae fuerint, decidendi, (21) *acta* consignandi, (22) *statuta* condendi de rebus utilitatem municipii attingentibus u); de aliis uero minime, nisi de quibus statui princeps specialiter per-

t) Linck d. *de incend.* c. 2. §. 9. seq.

u) WERLHOFII *ius, quo in foro germani utimur, enucleatum*, procem. c. 2. §. 16. c).

permiſit. Ab initio autem an poſtea, expreſſe an tacite, permiſerit illud princeps, perinde eſt.

§. CLXVII.

Statuta rite condita quoſuis *burgenſes obligant* a die, quo quilibet ea cognoſcere potuit (Prol. §. X.). Ne uero quiſquam de eorum ignorantia iure poſſit excipere, ſtato die quotannis prælegúntur.

§. CLXVIII.

Complexus ſtatutorum cuiusque ciuitatis dicitur *ius municipale*, Willkühr. Huius iuris eadem eſt obſeruantia *x*), ratio & interpretatio, quæ legum. Hinc falſum habeo brocardicon illud: *Statuta ex iure ciuili Rom. interpretanda, limitanda & reſtringenda eſſe y*). **ſtatutisque**

§. CLXIX.

Quibusdam in locis ſenatus ſtatuta conditurus nullius burgenſis conſilio conſenſuque indiget; alibi uero *omnes ciues*, uel uoce præconis uel pulſu campanæ, conuocare, a præſentibus uota colligere, at- **rite conditis,**

G 2

x) ZIMMERMANN d. *de obſeruantia ſtatutorum municipalium in municipiis non probanda.*

y) GASSERI d. de brocardico; *Statuta ex iure communi interpretanda eſſe.*

atque maiora sequi* tenetur. Deliberationi autem interesse debent ad minimum duae tertiae ciuium; &, si singulorum res agatur, omnium necessaria est praesentia.

* Olim fere ubique statuta condi debebant ex consilio der witzigsten Bürger, qui hodie in paucis supersunt ciuitatibus. RICHEY *histor. statut. Hamburg.* c. 1. §. 23. KRESS *uindic. iudic. recup.* c. 2. § 6.

§. CLXX.

sed & principis uoluntati subest.

Ex tertio (§. CLVIII, 3.) denique colligo, principem posse (1) *statuta* a senatu condita sub examen reuocare, & (2) quae reprobanda putat, reprobare; (3) uires *aerarii communis* explorare, & (4) rationes ab administratoribus bonorum ciuitatis redditas discutere, si uel maxime eas iam discusserit senatus z); (5) causam, cur hunc & illum *ciuem recipere* nolit senatus, cognoscere *a*); (6) electa *senatus membra* tam confirmare, quam reiicere.

§. CLXXI.

De iurisdictione municipali

Quia Reges Germaniae per *Comites, aduocatos, scultetosque* suos iurisdictionem ex

z) LVDOLFF *obs. for.* 197. STRYK d. *de iur. principis circa rat. ciuitat.*

a) MVLLER *pr. ciu. March.* resol. 18. nr. 12.

explicare ſoliti fuerunt b), eamque ciuitatibus municipalibus qua talibus nullo unquam conceſſerunt tempore: nec ciuitates in ſenatus ſuos iurisdictionem aliquam transferre potuerunt. Succedente uero tempore ciuitates quædam pacto, præſcriptione alioue titulo *iurisdictionem*, & cum ea *ius prætorem conſtituendi* conſecutæ ſunt, aſt diuerſimode.

§. CLXXII.

Unde quilibet dignoſcere poteſt cauſam (1) cur olim *ſcabinatus* in celebrioribus germaniæ urbibus a rege uel principe conſtituti fuerint; (2) cur *ſtatuæ*, ut uulgo dicuntur, *Rolandinæ* *, ad curias & in foris poſitæ conſpiciantur; (3) cur, conceſſo *iure ciuitatis*, iurisdictio conceſſa non uideatur; (4) cur ciuitas, quæ *iurisdictionem* exercere contendit; priuilegium, præſcriptionem, emtionem, alimue *titulum docere* debeat; (5) cur hodie ciuitatum aliæ ciuili tantum, aliæ criminali quoque gaudeant *iurisdictione*, propter eaque (6) aliæ poſſint, aliæ nequeant *fiſci* adfectare *commoda;* (7) cur aduocati & ſculteti, qui hic & illic ſuperſunt, non eodem conſtituantur modo, nec iisdem gaudeant iuribus. quæ ſint notanda?

G 3 * Hæ

b) HEINECCIUS *Elem. I. G.* lib. I. §. CIX.

* Hæ ſtatuæ non libertatem & αὐτονομίαν urbis, ſed locum iudicii, denotare uidentur mihi.

MEMBR. II.
DE
BVRGENSIVM RECEPTIONE MVNERIBVSQVE.

§. CLXXIII.

Ciuitate donatus

Quos uult, ciuitate recipit ſenatus (§. CLXII, 9.). *Hæreticos* tamen, *bannitos c)*, *iudæos* *, *hominesue proprios* ** recipere nequit. Reliquos hoc modo recipit, ut, ubi iuſtum ſoluerunt *pretium d)*, *ſubiectionisque* præſtiterunt *iusiurandum e)* ***, eorum nomina ciuium inſcribat *matriculæ*.

* Neque olim, quod ſtatuit b. de LVDEWIG *ad A. B.* tit. IX. p. 849., iudæos ciuitate germanica donatos fuiſſe, docet SPENER T. *Iur. publ.* lib. II. c. 7. §. 6. f). Hodie ſub certis conditionibus, LVDOLFF *obſ. for.* cont. app. 2. p. 370. ſeq. hinc inde, permittente principe, recipiuntur incolæ, propptereaque uocantur Schutz-Ju-

c) *Ord. Cam.* de A. 1555. p. II. tit. 10. §. 3.

d) RHETII d. *de iur. ciuici præcogn.* c. 1. §. 8 ſeq. & c. 3. §. 5. MVLLER c. l. *reſol.* 17. nr 16. ſeq.

e) MENCKENII d. *de iureiurando ciuium.* De formulis autem huius iurisiurandi agit GOEDDAEVS Bericht der Reichs-Stadt Friedberg c. 5, 6.

Juden, R. I. 1548. von Juden. Ill. AYRER tr. de iure recipiendi Iudæos c. 3 §. 10.

** Germanus dicit: keine Henne fleugt über die Mauren. HERTIUS lib. II. paroem 11. Hinc quilibet, qui in numerum ciuium recipi petit, producere debet seinen Abschied, Laß-Brief, Mann-Recht, oder Geburths-Brief, ex quibus constet, daß er keinem Herrn mit Leibeigenschaft verwand, oder sonst Wachszinsig sey. SPENER l. c. p. 40.

*** Quibusdam in locis illud adhuc requiritur, ut ius ciuitatis impetraturus docere debeat, se tot uel tot bona posſidere.

§. CLXXIV.

Uariæ ciuitates olim id impetrauerant priuilegii, ut, ſi qui *hominum propriorum* per certum temporis ſpatium in iis uixerint liberi, domino iſtos repetenti, *præſcriptionis* exceptionem opponere posſent *f*); aſt ſucceſſu temporis iſti priuilegio uel in totum uel in tantum renuntiarunt, propterea quod, quum nimis diffugerent & in urbes prouolarent homines proprii, *mox* de priuilegiis contra hanc urbium libertatem ſolliciti eſſent, *mox* mancipia ſua ab urbe flammis ferroque repeterent, domini.

§. CLXXV.

munera tam perſonalia

Ciuitate receptus uaria ſubire debet *munera*, *realia* non minus ac *perſonalia*.

f) *Stat. Hamb.* I, 2, 2. HEINECCIUS d. *de præſcriptione annali l. Lub.* §. 9. ſeq.

lia g). *Perſonalia* uel *boneſta* uel *ſordida* eſſe dicuntur, quorum *ea*, ſunt munera, quibus honores annexi ſunt: *hæc* uero, quæ ſolo labore, quem uulgus uilem habet, expediuntur. Sic u.c. ciuium eſt (1) *uigiles* (*a*) in curia, (*b*) in portis & uallis, ſi urbs nullis inſtructa ſit præſidiis, (*c*) in plateis nec non ad ædes priuatorum, incendii furtiue tempore &c. excubias *agere h*); (2) *turbas*, ſi ordinariis ſedari nequeant mediis, ad magiſtratus iuſſum, *ui iuſta pellere*; (3) *incendia*, ſi quæ in ciuitate orta, pro uiribus *reſtinguere*; (4) *puteos foſſasque* urbis *purgare &c.*

§. CLXXVI.

quam realia ſubire debet.

Ciuis, ubi ad ferenda onera publica contribuit, munus reale ſubit, ſeu ſoluit Schoß, quod diuiditur (1) in Erb-und Gewerb-Schoß, quorum *illud* de immobilibus *, *hoc* de commerciorum, opificiorum & artificiorum exercitio præſtatur; (2) in Vor- und Nach-Schoß. Hoc exacturus, titulum poſſesſionis ſuæ laudare tenetur *i*).

* Itaque, qui talia intra urbem, uel territorium ad eam pertinens, posſidet, ſit nobilis, doctor an

g) BEYER *delin. I. G.* lib. 1. c. 13.
h) FRITSCH tr. *de excubiarum iure.*
i) KRESS *de iure perſonarum* p. 72.

an clericus, reale tributum ſoluere tenetur, a quo tamen conſules & ſenatores immunes ſunt, non uero eodem ubique modo, ſiue prædia, quorum intuitu, ſiue tempus, ad quod usque gaudent immunitate, reſpicias.

§. CLXXVII.

Burgenſes ſolemniter recepti (§. CLXXIII.) iura ciuitatis amittunt exitu, ſpeciatim (1) *delicto*, quod *relegatio* famoſa aut *bannum* ſequitur; (2) *emigratione* ſuo tempore facta i. e. ſine damno ciuitatis, ſolutaque gabella. **Quando ciuitatis iura amittantur**

§. CLXXVIII.

Contra ciuitatis iuribus non priuantur (1) feminæ exteris nubentes, (2) ii, quos alibi domicilium figere iubent officii ratio, literarumue ſtudia; (3) qui emigrationis tempore ea per pactum cum ciuitate initum ſibi retinuerunt, & poſt exitum munera ſubire nulli dubitarunt *k*). **uel non?**

MEMBR. III.

DE

VARIIS BVRGENSIVM SPECIEBVS.

§. CLXXIX.

Vrbem inhabitant *alii* ſola ſecuritate & commoditate, quæ in urbibus maior **Burgenſes**

k) HILDEBRAND d. *de iure ciuium origin.* c. 2. §. 2. ſeq.

ior atque alibi ſolet eſſe, ducti; *alii*, ut ex opificio, arte aliqua elegantiore, mercatura uel cereuiſia coquenda uendendaque lucrum facere posſint; *alii*, ut occaſionem nanciſcantur, uilioribus ſordidisque operis uictum ſibi quærendi quotidianum; *alii*, ut militando mereantur ſtipendia. *Primi* dicuntur frey- uel Pact-Bürger *l*), Schutz-Verwandten, *ſecundi* burgenſes in ſpecie, *tertii* incolæ Zettul-Leute, *ultimi* Cleuennes *.

* Deſcribuntur alias milites haſtis inſtructi lanceisque. Quod uero inter *Cleuennes* & *Cleuenburgeros* ſit diſtinctio, atque illi ex nobilibus, hi ex ciuibus eligantur, luculenter docuit WENCKER disqu. *de Cleuenburgeris*.

§. CLXXX.

muneribus Quos primo nominaui loco, tributum illud, quod Schoß dicitur, non ſoluunt, niſi prædia in ciuitatis territorio ſita posſideant, aut quæſtum municipalem faciant.

§. CLXXXI.

Minutam tamen *penſionem* ſingulis annis *pro tutela* præſtita ſoluere debent. A qua, præter miniſtros principum nobilesque, profeſſores, doctores, immo ad unum omnes academici immunes ſunt

l) FRITSCH ad BESOLDUM h. u.

ſunt *m*) in urbibus, quibus florent academiæ.

§. CLXXXII.

Burgenſes in ſpecie ſic dicti uel eam urbem, ubi ius ciuitatis conſecuti ſunt, inhabitant, uel alibi degunt. Alibi degentes uel *Pfalburgeri n*), uel *Usburgeri o*) dicuntur. De quorum natalibus, fatis, iuribus &c. multum proferre, fruſtraneum eſſe duco, quia hodie nil niſi nomen eorum ſupereſt. De eorum autem, qui urbem, ubi ius ciuitatis conſecuti ſunt, inhabitant, & *patriciis*, *mercatoribus*, *opificibus &c.* annumerantur, ſtatu iuribusque, tit. VII. ſeq. acturi ſumus.

nominibusque differunt.

MEMBR. IV.

DE SVBVRBIIS.

§. CLXXXIII.

Suburbiorum *alia* peculiari gaudent magiſtratu, *alia* a ciuitate reguntur, *alia* ſubſunt præfecturæ cuidam principis. *Iſta* iure proprio ſtatutario, *illa* quibusdam, ſed non omnibus burgenſium, *hæc*

Suburbiorum ſtatus

m) BEYER c. l. I, 12, 33.

n) WENCKER d. *de Pfalburgeris*,

o) IDEM diſquis. *de Vsburgeris*.

hæc uero communibus ciuium gaudent iuribus *p*).

§. CLXXXIV.

in decidendis uariis quæstionibus attendendus est.

Quem diuerſum ſuburbiorum ſtatum attendere debet, has deciſurus quæſtiones: (1) an ex urbe *relegatus* in ſuburbio commorari queat? (2) an in portis urbicis *excubias* agere, & (3) de *delictis burgenſium* reſpondere debeant ſuburbarii? (4) an *transactio*, nomine ciuitatis inita, obliget quoque ſuburbium? (5) an in ſuburbio *natus* in urbe ſit extraneus? (6) an *bonorum*, *cereuiſiam coquendi aliaque iura* ad ſuburbarios quoque pertineant? (7) an & quando ſuburbani ſubſint dem Bauermeiſter, & præſtare debeant ſeruiles *operas q*)?

MEMBR. V.

DE NVNDINARVM STAPVLAE ALIISQVE IVRIBVS.

§. CLXXXV.

Quia *emporii*, *nundinarum*, *ſtapulæ* aliaque iura quibusdam urbibus conceſſerunt imperatores, de iis iam agendum eſſe puto.

§. CLXXXVI.

p) FRITSCH *de iure & ſtatu ſuburbiorum* c. 6.
q) IDEM c. l. c. 9.

§. CLXXXVI.

Urbes, quibus ius emporii competit, aliquid uectigalis mercium ap- & ex-portandarum intuitu exigere *r*), atque, ne eo defraudentur, *libra* uti poſſunt non aliter, atque principes, quibus mercium flumina transportandarum intuitu uectigal exigere licet, utuntur *geranio* uel iure geranii, Krahn-Gerechtigkeit *s*). Ius emporii.

§. CLXXXVII.

Nundinæ uel *hebdomadales* ſunt, uel *annuæ*, prout ſingulis hebdomadibus aut annis recurrunt. In *illis* municipes, dum uexillum aliudue ſignum certum ex curia conſpicitur, ſoli, exteris excluſis, emere poſſunt frumentum, aliumque commeatum. Nundinæ annuæ ſunt

§. CLXXXVIII.

Nundinæ, quæ annis recurrunt ſingulis, *uel* a ſolis principibus inſtitutæ *t*) *uel* ab Impp. confirmatæ ſunt *u*). Hinc diuiduntur in *prouinciales*, Jahrmärckte, quibus ab eo, cuius maior uenit copia, nomen uel ſolemnes uel prouinciales.

r) MARQVARD *de iur. mercat.* II, 6.

s) SCHOTTEL *de ſingularibus quibusd. in Germ. iuribus* c. 24.

t) FRITSCH *tr. de regali nundinarum iure* c. 9. n. 9.

u) *R. I.* 1576. *§.* 117.

men dari solet, & *imperiales* siue *solemnes*, Messen. Unde hæc posterior sit denominatio, disquirunt RVINARTVS *x*) FRITSCH *y*) & alii.

§. CLXXXIX.

Ius stapulæ. *Ius stapulæ*, Stapel-Gerechtigkeit, Niederlage *z*), quod hodie non nisi consentientibus imperii electoribus ab imperatore concedi potest *a*), dicitur ius, quo uectores coguntur ad urbem adpellere, in eaque merces suas uenum exponere.

§. CXC.

Doctrinæ gratia diuiditur (1) in *generale* & *speciale*, (2) in *plenum* & *minus plenum*; (3) in *definitum* & *indefinitum*. Sicut enim res stapulæ subiectæ uariant, ita nec unum idemque est temporis spatium, per quod cursus sistitur, mercesque uenum debent exponi. Quidam addunt diuisionem (4) in *unilaterale* & *bilaterale*.

§. CXCI.

x) *app. ad Gregor. Turon.* p. 1384.

y) c. tr. c. 1. §. 20. seqq.

z) MASCOV & BORN d. *de iure stapulæ ac nundinarum ciuitatis Lipsiæ.* ENGELBRECHT d. *de iure stapulæ.*

a) GERICKEN ad SCHOTTEL. c. 26. §. 2.

§. CXCI.

Quomodo hæc iura amittantur?

Quæ iura (§. CLXXXV. seq.) solent amitti (1) *reuocatione* superioris legitime facta, (2) *renuntiatione* libera; sit ea cæteroquin expressa an tacita, perinde est.

§. CXCII.

Iuuat denique hæc adducere: (1) quod *fœderis hanseatici* hodie nullus fere usus *b*); (2) quod, quia nummi uarii generis ad nundinas apportari solent, debitoribus aliquot dies, quibus pecuniam commutent rationesque melius componant, concedendi sint. Unde ortum trahit die Zahl-Woche; (3) quod in quibusdam emporiis *banca c*), quæ dicuntur, auctoritate publica sint instituta, in aliis uero deprehendantur tantum *mercatores trapezitæ* uel *argentarii*.

TIT. VII.

DE

PATRICIIS.

§. CXCIII.

Patricii

P*atricii* Geschlechter, de quorum origine uarias opiniones fouent Dd. *d*), sunt

b) HAGENMEYER *de fœdere ciuitat. hanseat.*
c) Marpergers Beschreibung derer Banquen und deren Rechte.
d) HEINECCIUS *Elem. I. G.* lib. I. §. XXIV.

BEYER

ſunt *ciues*, *in urbibus imperialibus hanſeaticisque primarii*, *ex quorum familiis ſenatores antiquitus eliguntur.*

§. CXCIV.

unde ſtatum ſuum probare queant?

Quod uero familia aliqua patricialis ſit, ſeu ex ea ſenatores antiquitus fuerint lecti, per *chronica*, *matriculas patriciorum*, quæ in curiis adſeruari ſolent, &c. probari poteſt.

§. CXCV.

Unde ſequentia notes uelim:

I. Patricii inter ciues urbium imperialium hanſeaticarumque primi ſunt.
II. Ex patriciis eligitur ſenatus.
III. Patricius qua talis nobilis dici nequit.

§. CXCVI.

Ex illis, qui inter ciues primi ſunt,

Equidem, primum (§. pr. 1.) cauſam docere, putarem (1) cur patricii a plebe *titulis*, *ueſtitu e*), *iuribusque* diſtinguantur; (2) cur patricius eſſe deſinat (*a*) qui plene emigrat (§. CLXXVII, 2.), aut ſaltem (*b*) ad plebem tranſit; (3) cur dici ne-

BEYER *delin. I. Germ.* I, 12, 2, ſeqq. RHETIVS *diſp. I. publ.* VI. c. 1. §. 28.

e) *Ref. Polit. Aug.* 1530. tit. von unordentlicher und köſtlicher Kleidung.

nequeat, quod *patriciatus* iisdem *amittatur* modis, quibus nobilitatem amitti diximus (§. CXLVI.).

§. CXCVII.

Ex secundo (§. CXCV, 2.) fluit (1) nobilem, ex cuius familia nullus unquam senator lectus est, patricium non posse dici, si uel maxime imperialem hanseaticamue urbem inhabitet; (2) nobiles, urbis cuiusdam imperialis uel hanseaticæ ciues, iure in Rathsfähige & Raths-unfähige diuidi. Quod non ubique eadem sit senatorum electio, inter omnes constat. **eligitur senatus.**

* *Patriciorum fata* uaria fuerunt. Mox enim ciuitatis regimine in tantum, mox in totum, sunt priuati, mox in quædam mox in omnia iura restituti, mox plane extincti.

§. CXCVIII.

Ex tertio (§. CXCV, 3.) denique constat de causa, cur (1) patricii qua tales nullo unquam tempore nobilibus æquiparati *f*), aut (2) ad torneamenta admissi fuerint, nisi auita nobilitate antea probata (§. CXXXI, 1.); (3) cur iis non liceat, eundem cum nobilibus *uestitum* gerere *g*). **Qu. An sint nobiles?**

Con-

f) Conf. CRAMER comment. *de iuribus & prærogat. nobil. auitæ* c. IV. §. 7. p. 249. seq. 257. seq.

g) *Ref. Polit.* tit. von Bürgern und Innwohnern in Städten 11. 13.

Conſtabit porro (4) quid quasdam patriciorum familias mouerit, ut *diplomata nobilitatis* ab Imp. impetrarent *b*); (5) quid cauſæ ſit, cur hodie patricii uel *uulgariter* uel *legaliter tales* eſſe dicantur; (6) cur alii *aperta*, alii *clauſa* utantur galea, & (7) alii ad *dignitates eccleſiaſticas* admittantur, alii reiiciantur.

TIT. VIII.

DE MERCATORIBVS.

§. CXCIX.

Mercatores *Mercator* * eſt, qui merces comparat, ut eas forma non mutatas uendens lucrum aliquod facere poſſit. Itaque mercator non eſt (1) qui merces emit, ut ex iis aliquid operetur; (2) qui nil niſi uinum, oleum & alia, quæ collegit ipſe, uendere ſolet; (3) qui macilentos boues emit pingues uenditurus; (4) qui mercaturæ quidem peritus eſt, ſed eam uel plane non, uel rarisſime, uel alterius facit nomine.

* Olim ex Germanis illi, qui Rhenum attingebant, fere ſoli mercabantur. CAESAR *de B. G.* IV, 3. TACITVS *de M. G.* c. 5. Ad Neruios enim, Sueuos reliquosque, qui Germaniam magnam in-

b) DRACO *de orig. et iure patriciorum* p. 271.

inhabitabant, *uel* nullus mercatoribus erat aditus, *uel* magis eo, ut, quæ bello ceperint, quibus uenderent, haberent, quam quo ullam rem ad se importari desiderarent. CAESAR c. l. II, 15. IV, 2. Postea uero mercaturam magis colere cæperunt Venedi, cultam uero crescere fecit Henricus Auceps.

§. CC.

Sub poena priuationis priuilegiorum suorum *i*) mercatores esse nequeunt (1) *nobiles k*), (2) *clerici*, (3) *milites*. Contra (4) *iudæi l*) (5) *feminæque* a mercatura non arceantur. *Uxor* uero illa *mercatrix* dici nequit, quæ solius mariti negotiatur nomine *m*).

§. CCI.

Priuilegia, mercatoribus concessa, fere hæc sunt: (1) quod illis *ad nundinas euntibus redeuntibusque pax* sancita sit *n*), liceatque a principe cuiusque territorii, quod transeunt, ut se *conducat*, petere. Hoc diffidationum quidem tempore priuilegium dici poterat, non tamen est

1) conduci debent, nec

 ho-

i) STRACHA *de mercator.* p. III. n. 12.

k) ROHRS Haußhaltungs-Rechts p. I. pag. 1336.

l) *R. I.* 1551. §. diesem zu begegnen 79.

m) REBHAN d. *Quæ uxor proprie mercatrix dicatur.* MANTZEL *de femina mercatrice.*

n) *Ref. Imp. Franc.* 1442. tit. wer in ofnen Fehden gefreyet seyn soll. TENZEL d. *de iure mercator. singul.* §. 7.

hodie*, quo quilibet per uiam regiam, tempore quo uult, peregrinans conducitur.

* Diff. WILDVOGEL d. *de conductor. mercator.* inter mercatores priuilegiatos & non priuilegiatos distinguens.

§. CCII.

2) arresto detineri queunt, nundinarum tempore.

Secundum hoc est (2), quod, quoadusque durant solennes nundinæ, sub prætextu æris alieni, *arresto* detineri nequeant o), nisi (*a*) *debitum* contraxerint *publicum*, aut (*b*) priuilegio immunitatis ab arresto, der Meß Freyheit, *renuntiauerint;* aut (*c*) de *fuga* fraudulentaue bonorum *dissipatione* sint suspecti p); aut (*d*) in loco, quo celebrantur nundinæ, ui priuilegii aut consuetudinis aliud obtineat usu q).

§. CCIII.

3) præsumuntur integræ fidei,

In priuilegiis mercatorum porro (3) & illud est, quod in eorum *contractibus* magis b. f. quam apices iuris spectentur; (4) quod adeo integræ præsumantur fidei, ut eorum codici primario, qui dicitur das mastro, Haupt-Buch r), in rebus mer-

o) SCHWENDENDÖRFERI d. *de priuil. mercat.* c. 4. §. 4.

p) TENZEL c. d. §. VIII.

q) KLOCK *de contrib. & collect.* c. 3. nr. 83.

r) BODINI d. *de libris mercator. suspectis* c. 2. §. 2.

mercaturam concernentibus uis ſemiplenæ probationis* adſcribatur, dummodo nulla falſitatis ſuſpicione laboret *s*), ſed (*a*) accurata diligentia ſit compoſitus, (*b*) contineatque *data* & *accepta*, ac (*c*) ſingularum *partitarum*, quas uocant, *annum & diem*, nec (*d*) contrarietur aduerſariis ſeu *diario t*).

* Libris derer Gewand-Schneider und Krämer de I. Lub fides tribuitur, ſi debitum XXX. marcas ſeu X. imperiales non excedat. MEVIUS *ad I. Lubec* p. V. tit. 6. art. 4. nr. 7. ſeq. STRYKII *ius Lubec.* c. XIV. n. 60.

§. CCIV.

Denique ſi non in omnibus, multis tamen in locis, mercatores (5) proprium *collegium* inſtituere *u*), *ſyndicum* eligere, *arcam communem burſamque** habere, & (6) ex *matricula*, quis in eorum numero ſit? probare poſſunt; (7) ſunt a *literatis*, quos honor academicus ornat, *proximi;* (8) adiunguntur *ſenatoribus* (§. CLXI.); (9) gaudent *foro priuilegiato* &c. ** — aliisque gaudent iuribus.

* Eſt locus, quo fides & exiſtimatio mercatorum ſeſe explicat.

 **Sic

s) HEINECCII d. *de mercatorum, qui foro ceſſerunt, rationibus & codicibus* §. 19.

t) KLEIN d. *de probat. quæ fit per libros mercat.* ROESENER *de libris mercatorum.*

u) MARQVARD *de iur. mercat.* III, 1, 38. ſeq.

** Sic celebrantur *iudicium admiralitatis Hamburgense*, *hansgrauius Ratisponensis*, das Kauf- und Handels-Gericht zu Leipzig, das Kauf-Gericht zu Braunschweig ꝛc. WERLHOF. d. *de iudicio admiral. Hamb.* Rohr Haußhaltungs R. p. I. p. 1643. Lubens iam prætereo *consules*, qui mercatoribus dantur in regnis exteris. Cel. MASCOV. d. *de foederibus commerciorum* §. 12.

§. CCV.

Quinam iis destituantur?

Quæ tamen iura non competunt (1) propolis, & (2) quibus mercaturam faciendi ius nullum est; (3) malitiosis *decoctoribus* x). Horum itaque nullius codici fides tribuitur y), nullique in bursa datur locus. Sic quoque praxis uim semiplenæ probationis negat codici mercatoris iudæi, ubi contra christianum producitur z).

§. CCVI.

Bibliopolarum

Bibliopolæ sunt librorum mercatores. Unde (1) in *senatum* sæpe leguntur (§. CCIV, 8.); (2) dum solemnes durant *nundinæ*, debitores *arresto* retineri nequeunt (§. CCII.); (3) eorum *libri*, ubi rite sunt conditi, semiplene probant (§. CCIII, 4.).

§. CCVII.

x) MARQVARD c. l. IV, 9.
y) HEINECCIVS c. d. §. 20. seq.
z) IDEM c. d. §. 31.

§. CCVII.

Præterea notandum, quod (4) alicubi sint *ciues academici*, & propterea priuilegiato foro gaudeant, neutiquam uero omnibus studiosorum priuilegiis; (5) quod iis nullibi liceat *libros improbatæ lectionis* imprimere, uel alibi impressos uenum exponere, aut (6) *priuilegium*, quod uocant *impressorium*, iactare, quando eo destituuntur *a*). iura.

TIT. IX.

DE OPIFICIBVS.

§. CCVIII.

Opifices distinguuntur hodie (1) in *uulgares* & *artifices* *, non uero amplius (2) in geschenckte und ungeschenckte. Hæc enim distinctio sæpe impugnata *b*), Anno MDCCXXXI. communibus ordinum imperii suffragiis abolita est *c*). Opifices

* Quae distinctio olim plane fuit incognita Opificia enim, luxus instrumenta, non admodum colebant maiores nostri. TACITVS *de M. G.* c. 16. HEINECC. d *de colleg. opif.* cap. 2. §. 2. seq. HILLER *de abusib. in colleg. opif.* p. 7. Creuit au-

a) FRITSCHII *tr. de bibliopolis* c. 5.

b) *Ord. Pol.* 1530. 1548. 1559. tit. von Handw.

c) Reichs-Schluß wider die Handwercks-Mißbräuche art. 7.

autem numerus opificum sub Francis, & illo præsertim tempore, quo urbes exstrui & in iis quæstum ex opificiis quæri uoluit Henricus (§. CLIII, 3.). STRVV *syst. iurispr. opif.* To. I. lib. III. c. 4. §. 15. Quæstus ille quia non exiguus erat, opifices succedente tempore in collegia seu *gildas*, *uniones*, Innungen ꝛc. coierunt. DITHMAR d *de collegiis opificum apud germanos emendandis* §. 5. Döhlers Beschreibung der Handwercks-Rechte art. IV. §. 16. seq. & quum honoratiori loco haberentur, eo creuerunt numero, ut (1) uix quisquam omnes recensere possit BEIER *de colleg. opific.* p. m. 71. propterea que (2) principes non potuerint non de re opificiaria uarias leges ferre, quarum historiam delineauit STRVV c. l. c. 5.

§. CCIX.

Iuribus collegii gaudent.

Opifices cuiuscunque generis, ubi principis consensu *d*) in societatem coierunt, (1) gaudent *iuribus collegii* liciti, eines Amtes, Gülde, Zunft ꝛc. *e*); (2) possunt, ne quis in collegium non receptus, idem cum iis exerceat opificium, *prohibere*, contra (3) iubere, opifices sui generis *ex pagis exules* esse. De quibus sigillatim agere apud animum constitui.

MEMBR.

d) ADR. BEIER *de colleg. opific.* c. 14. n. 1105. seq. STRVV c. l. c. 6. p. 182.

e) ID. c. l. c. I.

MEMBR. I.
DE
COLLEGIIS OPIFICVM.

§. CCX.

Unde Syndicum constituere &c.

Opifices collegium constituere diximus (§. pr.). Itaque (1) *contrahere*, (2) bona ex contractu *quaesita possidere*, eaque (3) per alios *administrare*, (4) *arcam* reditusque communes habere *f*), (5) *sigillo* uti *g*), (6) *syndicum* constituere *h*), (7) noua *membra adsumere i*), (8) *delinquere possunt*.

* Differentia, quae olim fuit inter arcas opificum primarias & secundarias sublata est. Reichs-Schluß wider die Handwercks-Mißbräuche art. 6.

§. CCXI.

directores eligere &c.

Porro in eorum potestate est (9) *conuentus* instituere *k*), & (10) de rebus ad opificium spectantibus *deliberare*; (11) per maiora concludere, aut (12) alium ordinem in conuentibus suis seruandum determinare; (13) *directorem*, uel ad tempus

H 5

f) ID. c. l. c. XII. n. 1045. seq.
g) ID. c. l. nr. 987. seq.
h) ID. c. l. c. XIV. n. 1148.
i) ID. c. l. nr. 1110. seq.
k) STRVV c. l. To. II. lib. V. c. 12.

pus uel in perpetuum, prout lubet, eligere *l*); (14) *assessores* aliosque officiales constituere *m*); (15) constituendis modum ponere.

§. CCXII.

statuere

Ex eodem denique (16) sequitur, ut opifices de rebus artis uel professionis suæ statuere, statutorumque uiolatores coercere possint *n*). Statuunt (*a*) de qualitatibus eorum, qui in tyronum, boethorum magistrorumue numerum petunt recipi, (*b*) de annis doctrinalibus, (*c*) de didactro, (*d*) de *marchis mechanicis o*), & (*e*) characteribus *p*), cuique rei artis suæ imprimendis, nec non (*f*) iusto cuiusque pretio, (*g*) & de materia, ex qua hæc uel illa res conficienda &c. De hereditate uero, dote, politia aut delictis communibus statuere nequeunt.

§. CCXIII.

& statutorum uiolatores coercere possunt,

Modi, quibus opificum collegia, suorum statutorum coercent uiolatores (§. pr.) *, duo sunt; alter, *ceræ* in poenam præ-

l) BEIER c. l. c. VI. & c. XIV. nr. 1131.
m) ID. c. l. c. VII.
n) STRVV To I. lib. III. c. 6. p. 238.
o) ID. c. l. To III. libr. II. c. 8. seq.
p) ID. c. l. c. XII. nr. 1005. seq. ROTHII d. *de characteribus*.

præſtatio, alter a conſortio *excluſio q*) **. Hæc in magiſtris alia, alia in boethis, alia in tyronibus. Magiſter u. c. ad conuentus, aut ſortem ſuper ſtatione forenſi ducendam, non admittitur, nec iis ſocios tyronesque alere permittitur.

* Quæ iurisdictio ad cauſas artis & profesſionis reſtringenda eſt, nec complectitur ius arreſtandi, uiſitandi, pignus capiendi &c. STRVV c. l. To. I. lib. IV. c. 5.

** Poena irregularitatis antiquitus manſit eos, qui iniurias non uindicauerant, excommunicatis conſueuerant, boethum maledicum aut tyronem profugum receperant &c. STRVV. c. l. To. III. lib. V. c. 3.

§. CCXIV.

Quia ad unum omnia collegia ſubſunt directioni principis *r*): conſtabit (1) de cauſſa, cur opifices, quæ ſtatuerunt, principi offerre debeant, ſubmiſſe rogantes, uelit ea *confirmare* (§. CCIX.); (2) quod principes, ſtatuta confirmantes, ſibi, ut ſolent, liberam ea *mutandi & reuocandi poteſtatem s*) reſeruare, & (3) ſi quæ ſanæ *rationi*, *regalibus aut totius ciuitatis iu-* ſalua tamen auctoritate principis,

q) BEIER c. l. c. XXI.
r) *R. I. nou.* §. 106.
s) BEIER c. l. c. III. n. 130. ſeq. Reichs-Schluß wegen der Handwercks-Mißbräuche, de An. 1731. art. 1. ibique STRVV p. 188. & lib. IV. cap. 6. §. 13. Döhler c. l. art. 6. ſeq.

iuribus contraria * putant, ea nulla, irrita & inualida declarare *t*); (4) *prouocationes* ad extranea opificum collegia factas reiicere *u*); (5) *operas* inter opifices distribuere; (6) *sumtibus*, quos tyrones boethi magistriue facere debent, modum ponere *x*); (7) potestatem membrum aliquod *coercendi*, speciatim *infamia* notandi *y*), aut ab omni *consortio* excludendi, denegare &c. merito possint.

* Abusus, quibus antiquiora referta fuerunt, WERLHOF *iur. enucl* p. 243. HILLERI tr. *de abusibus, qui in germania nostra in collegiis uigent opificum*, sustulit tandem Reichs-Schluß wider die Handwercks-Mißbrauche, cuius analysin exhibet STRUV c. l. To. I. lib. III. c. 6.

§. CCXV.

magistratusque oppidani. Quandoquidem magistratus oppidanus opifices protegere, & rerum, quae ueneunt, pretia attendere debet (§. CLXII, 5. 6.): in illius potestate sit, necesse est (1) aliquem ad opificum *conuentus* delegare *z*); (2) *pretium*, quod rebus suis statuerunt opifices, comminuere *a*); (3) *se-*

t) cit. Reichs-Schluß art. 13. n. 2.
u) Ibid. art. 6.
x) Ibid. art. 7.
y) Ibid. art. 13.
z) BEIER c. l. c. III. n. 142.
a) ID. *Syntagm. prudent. iur. opif.* nr. 563. seq. & cit. Reichs-Schluß art. 13. n. 3.

seniorum a collegio constitutorum alios iureiurando obstringere & confirmare, alios uero reiicere.

§. CCXVI.

Qualificatus.

Ad *tyrocinium*, per quod quis intrat opificum aliquod collegium, nemo nisi masculus *b*), qui ingenuorum est natalium *c*), admittitur. De *natalibus* uero quo constet, *literas* suas *natalitias* *d*)* exhibere tenetur, qui tyro petit recipi.

* Quas in arca magistrorum ad illud usque tempus, quo ad magisterium adspirat is, de quo loquuntur, conseruari iubet cit. Reichs-Schluß art. 2.

§. CCXVII.

Olim ad tyrocinium adspirans & illud probare debebat, quod ex legitimo thoro eorum, quorum professio semper honesta, nec sordida fuit, prognatus sit *e*). Hodie uero cuiuscunque generis hominum liberi debent admitti. Solos

b) BEIER *tyrone* c. IV. §. 2. STRVV c. l. To. II. lib II. c. 4. §. 5. seq.

c) LEHMANN *Chron. Spir.* II, 20. BEIER c. l. c. V. n. 140.

d) LINCKII d. *de literis natalitiis* BEIER c. l. c. VII. §. 5. n. 388. seq.

e) BEYER *delin. I. Germ.* lib. I. c. 15. §. 12. seq.

los excoriatorum liberos primae generationis * excipias uelim *f*).

* Liberi uero secundae generationis, quorum parentes per 30 a. sordidum uitae genus deseruerunt, admittendi sunt. STRVV c. l. To. I. pag. 214.

§. CCXVIII.

ubi in disciplinam rite traditus

Qualitatibus legitimis (§. CCVI.) praeditus, ubi *tentamen* fecit, & cum magistro, quem elegit sibi, de *annis doctrinalibus* *, *didactro* &c. conuenit, suo tempore se sistere debet *arcae*. Ibi, solutis sportulis, se *matriculae* inscribi *g*) **, & magistro suo in disciplinam tradi, decenter petit. Ut de fuga non capessenda praestetur cautio, quorundam *h*) tantum collegiorum statuta uolunt.

* Vbi de breuiori doctrinae spatio conuentum est, hoc reliquis magistris non debet esse nocumento. Itaque per tempus illud, quod praeoccupauit, alii erudiendo operam artemue locare nequit ADR. BEIER *tyrone* c. IX. §. 3. n. 489. seq.

** Formulam eines Aufding-Briefs sistit BEIER c. l. p. 191.

§. CCXIX.

per iustum tempus dicit,

Tempus, per quod discere debet tyro, uel *statutarium*, uel *conuentionale* est, prout de-

f) cit. R. Schluß art IV. STRVV c. l. To. I. lib. III. c. 6 p. 211. seq.

g) BEIER *tyrone* c. VII. §. 5. n. 389. seq. STRVV c. l. To. II. lib. II. c. 7.

h) ID. c. l. §. 8. n. 426.

determinationem ſuam habet ex ſtatutis collegii (§. CCXII. b.) conuentioneue cum magiſtro inita (§. pr.). Utrumque tempus debet eſſe *continuum i*), a die præſentationis & inſcriptionis computandum *k*).

§. CCXX.

Ubi doctrinales anni præterlapſi ſunt, tyronem collegio ad hunc actum congregato ſiſtit magiſter, petens rogansque, ut ille liber declaretur, eique tradatur teſtimonium de tyrocinio rite exacto. Hoc, quod ultra limites opificii extendi nequit *l*), peculiari honorario redimendum eſt. **declaratur liber**

§. CCXXI.

Miſſus, ubi ſub uariis ritibus* & conceptis in hanc rem ſolemnibus formulis in conſortium ſtatus iuriumque receptus eſt a boethis *m*), his gratuitum epulum præbere debet. **boethusque.**

* Iniurioſos & ſcandaloſos, qui antiquitus in omnibus fere opificum collegiis ſunt adhibiti, reprobauit R. Schluß art. 9.

§.CCXXII.

i) ID. c. l. c. IX. §. 7. n. 533. ſeq. STRVV c. l. To. II. lib. II. c. 9.

k) ID. c. l. § 6. nr. 525.

l) ID. c. l. c. XII. §. 2. nr. 705. *Formulas* V. apud *Eund.* c. l. p. 193. ſeq.

m) BEIER *boetho* c. 3.

§. CCXXII.

Tunc uariis gaudens iuribus

Boethi, qui a tyronibus distinguuntur symbolo, iure arcæ adsidendi &c., quandoque arca, a communi distincta, singulari matricula, Gesellen-Buch, gaudent, & iure conuentus *n*) instituendi, nunquam uero potestate diiudicandi & puniendi magistros *o*), nec iure gladium gestandi, nisi in itinere *p*).

§. CCXXIII.

quærit operas,

Statim atque quis declaratus est boethus, in eadem urbe, qua didicit, quærit magistrum, cui operas suas locare possit. Si aliquem inuenit, illi per tempus statuto determinatum *q*) operas in opificio dare tenetur. Quo tempore præterlapso, ubi non dimittitur, magistrum *ualere*, die solis dicere potest, si lubet; & tunc, ubi functionem collegii sustinet, eam resignare, sociis discessus sui terminum significare *r*), atque attestatum * uitæ opificiique a collegio petere, debet.

* *Sa-*

n) BEIER *Boetho* n. 131.
o) cit. R. Schluß art. 2. *Constit. Georg. Guilielm.* D. Brunsu. de An 1692.
p) BEIER c. l. num. 635. STRVV lib. IV. cap. I. § 7. seq.
q) ID. c. l. nr. 265. 271.
r) ID. c. l. n. 275.

* *Salutis dictionem*, quæ olim nimis neceſſaria & uerbis ſollemnibus concepta erat, ut docet BEIER *boethô* nr. 276. 282. 292. & alibi, iure maximo reprobarunt ordines imperii. R. Schluß art. 9. Formulam atteſtati ſiſtit BEIER c. l. c. 6. & in *aduoc. opific.* c. 32. §. 21.

§. CCXXIV.

Atteſtato munitus abit extraneis magiſtris operas ſuas locaturus uel ſaltem eorum officinas frequentaturus, ut ſic artem ſuam perficiat. Vide itaque cauſam, cur magiſtris, repugnante licet ordinum imperii decreto *s*), adhuc odio ſint, qui peregrini non magiſtris præſtiterunt operas, ſed aliis famulati ſunt. peregrinatur,

§. CCXXV.

Boethus peregrinans, urbem aliquam, quam ſui opificii inhabitant magiſtri, ingreſſus, diuerſorium petit a collegio conſtitutum *t*). Ibi ad ſe accerſit eum, quem iſtius loci opificum ſtatuta iubent circumſpicere, adſit magiſter, alicuius operis indigens nec ne *u*). Accerſitus, ubi peregrinum ſolemnibus formulis & ad urbem ueniens luſtrationem curat,

s) cit. R. Schluß art. 9.

t) BEIER c. l. n. 321. STRVV c. l. To. II. lib. III. c. 6.

u) ID. c. l. p. 85. STRVV c. l. To. I. lib. III. c. 6. p. 200.

lis *x*), hospitio, cibo potuque *y*) modum non excedente *z*) excepit, lustrat suo ordine *a*).

§. CCXXVI.

operas, prout decet,

Conductis a magistro quodam boethi peregrini operis, hic (1) *attestata* sua, usque discedat iterum, ad arcam deponere *b*), & (2) *diurnas operas*, quod apud omnes fere opifices obtinet usu, hora 4. matutina inchoare, & septima sub uesperam finire debet. Saturni tamen lunæque diebus cuilibet boetho unam horam anticipare licet *c*).

§. CCXXVII.

pro mercede præstiturus.

Pro quibus operis præter edulia hospitiumque, singulis hebdomadibus *mercedem*, eamque mox per auersionem, Wochen-Lohn, mox pro elaboratorum operum numero quantitate & qualitate, Stückweiß, præstandam petit *d*).

§. CCXXVIII.

Sociorum nemini licet (1) ubi ad *conuentus collegii* uocatur, sero comparere, (2)

x) ID. c. l. n. 402.
y) R. Schluß art. 7.
z) STRVV c. l. p. 229.
a) BEIER c. l. n. 518. seq.
b) cit. R. Schluß art. 2.
c) BEIER c. l. cap. 9.
d) ID. c. cap. §. 2. 3. Döhler c. l. art. 26.

(2) *functiones* sibi concreditas negligere, (3) *magistrum ualere*, intempestiue dicere, (4) *iura magisterialia turbare*, aut (5) *operas* suas locare magistris irregularibus *e*).

§. CCXXIX.

Boethus ad magisterium adspirans debet (1) nomen suum * coram arca, tessera deposita, profiteri *f*), idque (2) honorario soluto, matriculæ inscribi ** petere; (3) documenta, quibus integros suos *natales*, & exactos *tyrocinii annos* demonstrat, producere, & (4) se per tot, quot statuta requirunt, annos *peregrinatum* esse, docere; (5) annum probatorium rite *** subire *g*), eoque exacto, (6) sub poena nullitatis per tria distincta eaque stata interualla, explicite *sollicitare*, muthen *h*), *arrhamque* offerre *i*); (7) *specimina artis* †, non tamen sumtuosa & inutilia, suo loco & tempore *k*), (8) sua manu & citra suggestiones, (9) iis, quos collegium ad hunc actum deputauit, præsen- **Magistri.**

e) ID. c. l. cap. XI.
f) BEIER *magistro* c. VII. n. 248.
g) ID. c. l. c. V. §. 2. n. 193. & in *boetho* c. 2. n. 113. STRVV c. l. To. II. lib. IV. c. 4.
h) BEIER *magistro* c. V. nr. 196. & VI. nr. 223.
i) BEYER. *delin. I. G.* I, 15, 45.
k) BEIER c. l. c. VIII. §. 7. n. 307.

ſentibus ††, ita conficere, ut defectibus careant *l*); (10) totum collegium *conuiuio* quodam excipere *m*); (11) denique pecuniam magiſterialem das Meiſter-Recht, reliquosque ſumtus Laden-Gebühre ſoluere *n*). Quibus omnibus peractis magiſtrorum nomen iuraque conſequitur.

* In quorundam opificum collegiis candidatus *ſponſæ* ſuæ nomen ſimul profiteri tenetur, propterea quod ſtatuta uxoratum arcent, & illum tantum admitti uolunt, qui magiſtri cuiusdam filiam uiduamue ducit. Id quod tamen reprobarunt imperii noſtri ordines. R. Schluß wider die bißherigen Handwercks-Mißbräuche art. XIII. n. 6.

** Tempus *inſcriptionis* accurate annotandum eſt. Dat enim illud prærogatiuam unius candidati præ altero.

*** Sartorum aliorumque opificum collegia criticos hic ſeruant dies.

† Narrat ea LIMNAEVS *I. publ.* To. I. *addit.* ad IV, 8. nr. 298. Sunt tamen quædam collegia, quæ opificii ſui ſpecimina in ſcrinio ſeruant pectoris, eaque propterea heimliche Muſter uocare ſolent, teſte BEIERO *magiſt.* c. VIII. th. 3. Illud adhuc notes uelim, quod apud quosdam opifices abſolute, apud alios ſecundum quid, a ſpe-

l) BEIER *magiſt.* c. VIII. WILDVOGEL d. *de balneat.* p. 130.

m) ID. c. l. c. IX. §. 5. nr. 365. ſeq. STRVV c. l. c. 8.

n) BEYER *delin. I. G.* c. l. §. 51. BEIER *magiſtro* c. 10. STRVV c. l. c. 9.

speciminum editione immunes sint *magistrorum filii.* STRVV c. l. To. II. lib. I. cap. 5. §. 24. seq.

†† Hos conuiuio quodam, quod dicitur das materien-Essen, excipere debet candidatus. BEIER c. l. c. IX. §. 5 n. 362.

§. CCXXX.

Magistrorum autem iura fere hæc sunt: (1) possunt ea omnia, quæ sui sunt opificii, libere peragere, (2) *officinam*, quam nemini cum alio magistro communem habere licet *o*), exstruere, (3) exstructamque *signo* opificii sui, ita, ut illud prætereuntes probe intelligant *p*), notare, (4) *pueros* docere, (5) *boetbos* adsciscere, (6) res opificii, extra officinam *q*) non minus atque in ea, peragere, & (7) *negotiari r*), propterea que (8) *tabernam* habere *s*), (9) *forum* ** nundinasque frequentare *t*). qui, quæ sui sunt opificii, peragere, &

* Officinæ, ex quibus impurus aer aut ignis periculum imminet urbi, extra muros exstrui debent.

 **Ibi,

o) BEIER *aduoc. opific.* c. V. §. 17.

p) WILDVOGELII d. *de balneatoribus* cap. V. th. 15.

q) ID. *magistro* c. XII. nr. 503. BEYER *delin. I. Germ.* c cap. §. 69.

r) BEIER *de iure prohibendi* c. 7. th. 15. nr. 414.

s) STRVV c. l. To. III. lib. II. c. 14.

t) BEIER *magist.* c. XII. nr. 517.

** Ibi, si plures concurrant unius eiusdemque opificii magistri, mox sors, mox turnus, mox aetas suum cuique adsignat locum. STRUV c. l. To. I, lib. IV. c. 9. §. 4. seq.

§. CCXXXI.

ab aliis peracta iudicare, nec non

Porro (6) sui opificii habentur *competes*. Hinc de rebus opificii sui tale testimonium iudiciumque ferre dicuntur, quod iudices, sententiam inter partes de opificiaria causa litigantes pronuntiaturi, sequi teneantur *u*).

§. CCXXXII.

commoda collegii petere possunt,

Denique (10) collegii, illiusque emolumentorum sunt sodales nehmen Theil an der Lade, (11) in *conuentibus* suffragium ferre, & (12) *honores* collegii ambire, nec non (13) *conuiuiis* interesse possunt.

§. CCXXXIII.

uel munere aliquo n. c. primicerii

Non omnium tamen magistrorum in collegio eadem est conditio. Adsunt enim *directores*, *adsessores*, aliique *officiales* (§. CCXI, 13. 14.). *Isti*, qui primicerii, seniores, Ober- Handwercks- Zunft- Gülde- Gaffel- Aelter- Meister ut uulgo uocantur *x*), a collegio ad id eliguntur*, ut (1) *arcam*, ubi priuilegiorum statuto-

u) BEIER c. l. c. XII. nr. 515. seq. 528.

x) Döhler c. l. art. 10.

torumque codices, actorum libri, Zunft-Bücher, documenta natiuitatis, doctrinae uitaeque transactae (§. CCXXVI.), sigilla, pecunia, quam suo tempore ad ferenda collegii onera, soluunt opifices y), mulcta pecuniaria &c. conseruantur, bene custodiant; (2) ut, ubi deficiunt *oeconomi*, bona, si quae collegium habet, administrent, rationesque reddant; (3) ut *domum*, qua uel consultant, uel operantur, uel negotiantur opifices z), ab interitu liberent; (4) ut curent *supellectilem*, siue conuiualem adparatum funebremque a); (5) ut *conuentus* sodalium dirigant, &, si necessitas utilitasque collegii postulet, extra ordinem collegas conuenire iubeant.

* Alibi eos electos esse sufficit, alibi magistratui adhuc praesentari debent, ut iureiurando praestito (cui, quae eorum partes sunt, inseruntur) confirmentur (§. CCXV, 3.) BEIER *magistro* c. VI. §. 12. nr. 571. MEVIVS *ad Ius Lubecense* lib. IV. tit. 13. nr. 23.

§. CCXXXIV.

Diuiduntur (1) in *temporales* & *perpetuos*, prout uel ad tempus uel in perpetuum

I 4

y) BEIER *de colleg. opific.* c. XII. §. 15. & k) p. 454. STRVV c. l. To. II. lib. V. c. 13.

z) ID. c. l. §. 10. seq.

a) ID. c. l. §. 15. nr. 1047.

tuum isti muneri præficiuntur (§. pr.); (2) in *ordinarios* & *suffectos*. *Hi* dicuntur, qui ordinario iam impedito surrogantur *b*).

§. CCXXXV.

adsessoris

Quilibet *adsessorum*, qui in diuersorum opificum collegiis, diuersisque in locis, diuersi numeri sunt *c*), nec ubique iurati, primicerio adsistere & claues, quibus clauditur recluditurque arca (§. CCX, 4. CCXXXIII, 1.), sibi retinere debent.

§. CCXXXVI.

lustratoris

Lustratorum est, curare, utne sui collegii sodales alios fraude & negligentia circumueniant. Attendunt itaque *rei* ad opificium spectantis, iam uenalis, *materiam*, *formam*, *pondus*, *mensuram*, *colorem* & similia *d*). Pro qua diuersa inspectione diuersa sortiuntur nomina. Audiunt Köster, Stichler, Angüsser *e*), Blau- und Schwartz-Schauer ꝛc.

§. CCXXXVII.

cerarii,

Munus *oeconomorum*, *cerariorum* * Kertzenmeister, in dispensatione bonorum col-

b) ID. c. l. c VI. §. 6. nr. 528.

c) ID. c. l. cap. VII. §. 1. nr. 603. Döhler c. l. art. XI.

d) ID. c. l. c. VII. §. 5. nr. 626.

e) ID. c. l. §. 2. nr. 608. seq.

collegialium confiſtens *f*), ambulatorium eſt *g*).

* Ita dicuntur, quod papatus tempore primario curabant cereos, quibus in proceſſionibus & oblationibus indigebant opificum collegia.

§. CCXXXVIII.

In illis opificum collegiis, ubi bidellus deeſt *h*), nec munus luſtrandi ad boethos eorumue ſeniorem ſpectat *i*), *iunior magiſter* (1) ſodales ad conuentus uocare, (2) uocatis in conuentibus collegialibus epulisque miniſtrare, & (3) peregre aduentantes boethos excipere tenetur *k*). Propterea a *ſymbolo* ferendo immunis eſt, & *mercedem* qualemcunque accipit ab eo, qui collegium conuocari petit *l*).

§. CCXXXIX.

Reliqui magiſtri dici ſolent Compen, Mitmeiſter, & præferuntur extraneis non in ſtationibus *m*) ſolum, ſed & in aliis iuribus exercendis. Extranei uero, quando ſpecimina & pecuniarias præſtationes

 ſubi-

f) ID. c. l. §. 6.
g) ID. c. l. §. 7. nr. 643.
h) ID. c. l. §. 9. nr. 658.
i) ID. c. l nr. 665.
k) ID. c. l. §. 8.
l) ID. c. l. §. 9.
m) ID. c. l. c. X. *d*).

ſubire nulli dubitant *n*), ad collegium adſpirare, ſicque eorundem iurium participes fieri poſſunt.

§. CCXL.

Quibus modis iura magiſterii

Ab exercendis magiſtrorum iuribus *ſuſpenditur* qui ſub inquiſitione eſt *o*). Ex illis uero plene *excidit* is, de quo conſtat (1) quod *famæ labem* irregularitatemue facto contraxerit ſuo *p*), quodue (2) iuribus ſuis *renuntiauerit* uel *expreſſe* uel *tacite*. *Tacite* renuntiat, (*a*) qui ex loco, ubi iura magiſterii impetrauit, migrat ſine reſeruatione tribus *q*), (*b*) detrectat onera conſueta den Quartal-Groſchen; (*c*) conuentus, nulla uenia impetrata, negligit; (*d*) aliud uitæ genus, cum opificio pugnans eligit &c. Neutiquam uero (3) iuribus magiſterii priuandus eſt (*a*) qui ignorans cum carnifice edit bibitque, aut (*b*) torturæ ſubiectus purgauit criminis indicia *r*), aut (*c*) ab alio impraegnatam duxit.

§. CCXLI.

& ipſa collegia extinguantur?

Extinguuntur opificum collegia (1) ubi ad unum omnia membra iuribus ſuis re-

n) ID c. l. c. X. §. 2. nr. 918.
o) BEIER c. l. c. XXI. *d*).
p) ID. c. l. c. V.
q) ID. *magiſtro* c. XIII. th. 2. nr. 590.
r) ID. *de colleg. opif.* c. XXI. §. 4. nr. 1685. R. Schluß art. XIII. nr. 4.

renuntiarunt, aut (2) decesserunt; (3) ubi priuilegia, quibus collegia fundata sunt, uel in pœnam uel ob urgentem salutem publicam *reuocat* princeps; (4) præterlapso *tempore*, ad quod a principe fuere confirmata *s*).

MEMBR. II.

DE IVRE BANNARIO SEV PROHIBENDI AD OPIFICES SPECTANTE.

§. CCXLII.

Collegia rite costituta sunt clausa, seu *iure bannario* munita. Unde uidemus quotidie, ab hoc illoue collegii membro interdici iis, qui de collegio non sunt, ut ne opus quoddam ad res collegii spectans, aliis pro mercede faciant. Sibi uero quilibet opus, quid? quod & aliis, si nullam mercedem stipuletur accipiatque, facere potest. **Opifices collegiati sui opificii exercitium prohibent**

§. CCXLIII.

Prohibent autem opere faciendo non solum (1) eos, qui *nullius*, sed (2) eos etiam, qui alicuius, *diuersi* tamen, opificii **iis, qui diuersum**

s) FRITSCH tr. *de colleg. opific.* p. I. c. 6. BEIER c. I. c. XXII. Döhler c. I. art. f.

ficii gnari ſunt & compotes. Differunt opifices *ſpecie graduue t*). Sic uaria ſunt fabrorum ferrariorum genera. Sic opificum alii quasdam operas inchoant tantum, inchoatas autem poliunt, ornant ac perficiunt alii *u*). Quæ omnia perpetuas lites fouent inter opifices. Poſſem, ſi uellem, res de quibus *pannifices* cum linteonibus *x*), textoribus *y*), tinctoribus *z*), aliisque; itidem res, de quibus *ſutores* cum coriariis *a*), *clauarii* cum reliquis fabris ferrariis, *pollinctores* cum ſartoribus, *ephippiarii* cum lorariis *b*), *reſtiones* cum oleariis *c*), *tubicines* cum cornicibus *d*), *bibliopegæ* cum typographis *e*), *pileari* cum pellionibus *f*), *tonſores* cum balneatoribus *g*), litigare * ſolent, recenſere. Aſt

t) BEIER *de iure prohibendi* c. 2. th. 2. nr. 60.

u) ID. c. l. nr. 61.

x) G. A STRVVII d. *de opificibus* §. XXXI.

y) BEIER c. l. c. VII. th. 5. nr 379. th. 7. n. 388. & d. *de litibus textorum mechanicis.*

z) ID. c. l. c. VIII. th. 7. nr. 440.

a) ID. c. l. th. 4. nr. 433.

b) ID. c. l th. 7. nr. 439. STRVV c. l. To. III. lib. IV. c. 3. § 9.

c) ID. c. l. cap. III.

d) ID. *magiſtro* c. XIV. nr. 675.

e) ID. tr. *de iure prohib.* c. VIII. th. 9. nr. 445. LYNCKER dec. 86.

f) ID. c. X. th. 5. nr. 519.

g) Ill ESTOR kleine Schriften p. IV. nr. 9. pag. 884. ſeq. STRVV l. c. §. 7.

Ast nimis longa ea fabula est, quam, si lubet, laudatis locis & apud STRVVIVM *b*) deprehendere potes.

* Sæpe etiam inter se litigant de ui huius & illius uerbi, quod in statutis legitur. Sic disputant *coriarii*, quid uox: Loh-Gahr-Leder significet; *scriniarii* & fenestrarii, quid sint ausgeworfene und gefültterte Rahmen; *lanii*, quid innuat phrasis: von der Stadt wandern, quidque denotet uox: frisch Fleisch; *pistores*, quid intelligatur per v. Herren-Brod. STRVV *system. iurispr. opif.* To. I. lib. IV. c. 9.

§. CCXLIV.

Porro (3) eos, qui *ad magisterium nondum plene adspirarunt*, arcent ab opificii exercitio, negotiatione aliisque commodis. Hinc interdicunt, ut ne boethi aut magisterii candidati negotientur, aut alii atque magistro suas locent operas. Quandoque tamen boethis, qui in eo sunt ut ad magisterium adspirent legitime, ante quam ea omnia, quæ peragi statuta iubent, præstiterunt, ad tempus aliquod datur ut opificium exerceant, dummodo nullos alant socios, puerosue doceant *i*).

aut idem didicerunt opificium, sed uel plane non

§. CCXLV.

Ubi ipsi ciuium usibus satis consulere possunt, iure (4) impediunt, quo minus ex

uel alibi illius prodiderunt peritiam.

b) STRVV. c. l. To. III. lib. II. cap. 7. & lib. IV. c. 3. seq.

i) BEYER *delin. I. G.* I, 15, 62.

exteri eiusdem opificii magiſtri, ſed diuerſi collegii ſodales, (*a*) accedant operas ſuas ciui cuidam locaturi *k*); (*b*) merces ſuas extra nundinarum tempus inuehant *l*); (*c*) nundinis durantibus a foro diſcedant, oſtiatim ambulent *m*), aut ad tabernas popinasque dilabantur *.

* Sibi, ne merces inuectas, quas diebus nundinalibus diſtrahere non potuerunt, exportent iterum, interdictum, utque domeſticis magiſtris pro æquo pretio uendant iniunctum, non eſt, cur putent exteri. Inter ſolos enim *figulos* id obtinet uſu.

§. CCXLVI.

Unde pignorant turbones,

Hinc quandoque indagant pignorantque turbones, Stöhrer, Fretter, Böhnhaſen, Pfuſcher *n*), quibus olim id corporis membrum corrumpebant, quo ad opificium exercendum quam maxime opus erat. Id quod reprobatum eſt hodie *o*).

§. CCXLVII.

non uero omnes opificium exercentes,

Turbonibus autem ne annumeres uelim eum (1) qui *exercitii* cauſa, aut (2) *gratis*, aut (3) in ſuæ ipſius *familiæ* uſum (§.

k) BEIER *de iure prob.* c. IV.
l) ID. *de collegiis opif.* c. X. not. *b*).
m) ID. c. l. §. 6. nr. 943. & *magiſtro* c. XV.
n) ID. *magiſtr.* c. XIV. nr. 600. ſeq. BEYER *del. I. Germ.* I, 15, 64. STRVV c. l. To. II. lib. IV. c. 12. ſeq.
o) BEIER *magiſtr.* c. l. nr. 677.

(§. CCXLII.), aut (4) in aliorum usum pro mercede quidem operatur, sed eo in loco sedem suam fixit, qui *priuilegiatus* est, nec iurisdictioni subest oppidanæ *p*); (5) eos, qui *analogatum* opificii exercent ignobilius, quod, uel principe iubente uel cousuetudine permittente, exercere possunt. Quo refero die Hosenköche, Altreisen, Wetzschelbecker, Lästerer.

§. CCXLVIII.

Sic quoque in turbonibus non erunt (6) magistrorum *uiduæ*, opificium continuantes. Nam ui statutorum collegialium, non solum opificium continuare *q*), sed &, ubi experto boetho * sunt instructæ, tyrones docere *r*) plerumque ** iis licet. nec magistrorum uiduas.

* Boethus ille, quem uiduæ ex quauis officina eligere possunt, non uno eodemque a uariis opificibus uocatur nomine. Sartoribus dicitur ein Tafelschneider, sutoribus Bretmeister, fabris lignariis Polierer, fabris ferrariis Werckmeister, pharmacopolis Prouisor &c.

** Viduas opificium continuare non permittunt ii, qui extra officinam operari solent.

§. CCXLIX.

p) BEIER *de artificibus palatinis.*

q) ID. *tyrone* c. III. §. 2. nr. 59.

r) ID. c. I. nr. 55. seq. 60. seq.

§. CCXLIX.

Ius prohibendi conuentionale.

Aliquem opificium exercere in *tantum* prohibent, ubi, inter se u. c. *de sellis opeT rariis ad certum numerum restringendis s*), *de animalium maiorum minorumque intra certum tempus mactandorum numero t*) &c. conuenerunt.

MEMBR. III.

DE

OPIFICE EX PAGIS EXVLE.

§. CCL.

In pagis nulli opifices

Quia, quod supra (§. CLIII.) diximus, legem: *de collegiis opificum neque instituendis, neque habendis, nisi in urbe*, tulit Henricus Auceps: iura opificiorum postea urbium fuerunt ordinaria *u*).

* Opifices olim seruos fuisse & in pagis segreges atque soliuagos uixisse, prout solet, erudite docuit de LVDEWIG d. *de opifice exule in pagis* diss. 1. cap. 3.

§. CCLI.

nisi summe necessarii.

Nihilo tamen minus hodie pagis competit ius *x*) eos habendi opifices, quibus in-

s) ID. *de iure prob.* c. V. th. 1. nr. 203. & c. IX. th. 1. nr. 469.

t) ID. c. l. c. V. th. 8. nr. 224.

u) de LVDEWIG *reliqu. MSt.* Tom. VI. lib. I. p. 41. seq. & d. *de opif. in pagis exule* p. 29.

x) ID. *reliqu. MSt.* Tom. VI. lib. 5. dipl. 62. & cit. Disp. p. 27.

indigent maxime; quid? quod amplioribus, & qui ultra milliare y) ab urbe diſtant, pagis, hoc facile indulgetur, ut & alios alant opifices, hac tamen ſub lege, ut recipiendi ſe collegiis in urbe adſcribi petant z), nec tyrones doceant, ſociorumue utantur auxilio a).

MEMBR. IV.
DE
TYPOGRAPHORVM, PHARMACOPOLARVM, BALNEATORVM ETC. IVRIBVS SINGVLARIBVS.

§. CCLII.

Typographi ſunt in artificum numero, gaudentque alicubi foro priuilegiato b). Eorum officinæ, quæ erigi nequeunt, niſi in urbibus imperialibus, uel illis, quibus reſident principes aut florent academiæ c), ſæpius uiſitari debent. Dum recipiuntur, plerumque iurare tenentur d) de non imprimendis libris im- Typographi.

y) BEIER *de iure probib.* c. 4. th. 3. nr. 175.
z) HOFFMANN *ſelect. quæ ad uſum fori ſpectant, obſeruationum ſylloges* diſp. 2. nr. 17.
a) BEIER *boetbo* nr. 533. ed. uet.
b) FRITSCH *de typographis* c. 8.
c) *R. I.* de A. 1579. §. 155.
d) FRITSCH c. l. c. 3.

improbatæ lectionis *e*), aut a censore reiectis.

§. CCLIII.

Pharmacopolæ.

Pharmacopolæ (1) non raro literatis annumerantur, (2) foroque subsunt priuilegiato; (3) impedire queunt, quo minus materialistæ aliqua, aut medici alia quam secreta, medicamenta præparent uendantque; (4) abstinere debent ab ægrotis uisitandis, præscribendis formulis &c. Eorum *officinæ*, quarum aliquæ bannariæ sunt, sæpe & summa cum diligentia uisitari debent *f*).

§. CCLIV.

Balneatores.

Balneatores ex beneficio Wenceslai gaudent (1) iure tribus, (2) insignibus & (3) potestate cera alba utendi *g*). In eorum, qui magistri nomen petunt, peritiam inquirendum est physico præsente *h*). Probati & in magistrorum numerum recepti possunt (1) quemuis ad balneum inuitare publice, (2) desiderantibus curbitulas figere, (3) uenam secare, (4) barbam radere, in officina scilicet, quod dici-

e) IDEM c. l. c. 5

f) THOMASII d. *de iure circa pharmacopolia ciuitatum*.

g) GOLDAST R. Sam. To. II. p. 82. WILDVOGEL d. *de balneis ac balneatoribus* c. V. th. 5.

h) IDEM c. l. th. 10.

citur das putzen auf nassen Bäncken *i*). Alicubi plus iuris, præscriptione priuilegio alioue modo quæsitum exercere possunt. u. c. trucken putzen, Becken aushängen, frische Wunden heilen ꝛc.

§. CCLV.

Pictores iis priuilegiis, quibus gauisi sunt apud Romanos, in Germania destitui, tralatitium est *k*). **Pictores.**

§. CCLVI.

De *tinctoribus* hæc notanda iudico: (1) quod diuidantur in uulgares, Schwartzfärber & eximios, Schönfärber; (2) quod quædam *officinæ* tinctoriæ sint gentilitiæ, & (3) nullæ sine speciali principis consensu exstrui queant; (4) quod *principis* sit curare, ut ne tinctores ligna omnino consumant, *aut* puri aeris usu priuent alios, *aut* aqua utantur unde cereuisia coquitur, *aut* adferant pericula incendiis &c.; (5) quod *spectatorum* sit, pannos tinctos infectosque explorare, rebusque probe tinctis sigillum appendere; (6) quod *tinctores falsarii* sæpe priuentur (*a*) iure officinam habendi, (*b*) fama, aut (*c*) includantur ergastulo uel fustigentur &c. *l*). **Tinctores.**

 §. CCLVII.

i) IDEM c. l. th. 18. seq.
k) MVLLERI d. *de pictura* c. 3.
l) LVDEWIG *differ. I. Ro. & Germ. in re bafiaria tinctorum.*

§. CCLVII.

Denique quin illud adducam nequeo, quod hi & illi opifices ſuos habeant *protectores*. Sic Comitis Palatini, Marchionum Brandenb. & Comitum Hohenloicorum eſt *cuprarios*, nobilium uero ab Offenburg *figulos &c.* protegere.

TIT. X.

DE

IVRE COQVENDI VENDENDIQVE CEREVISIAM.

MEMBR. I.

DE

MODO, QVO ILLVD BVRGENSIBVS COMPETIT.

§. CCLVIII.

Cereuiſiam coquunt uenduntque burgenſes

In municipum iuribus & illud eſt, quod iuſto ſeruato ordine *cereuiſiam coquere, coctamque uendere* poſſint m) (§.CLIII,4.).

* Cereuiſiam in domeſticum uſum coquere alibi permittitur omnibus Bayer. L. R. *lib* III. *tit*. 2. art. 4. HART. PISTOR. *obſ*. 49. alibi quibusdam tantum ciuibus u. c. nobilibus *Ord. Sax.* tit. brauen, ſchencken ꝛc. *Conſt. Brandenb.* p. IV. tit.

m) *I. P. S.* III, 66. S. L. O. tit. brauen. Anhalt L. O. tit. 25.

tit. 13. §. 4. paſtoribus *Conſt. Brandenb.* c. l. tit. 17. §. 4. nr. 4.

§. CCLIX.

Non tamen unicuique burgenſi cereuiſiam coquere & coctam uendere licet, ſed illis tantum, quos ſtatuta municipalia uocant *. Quæ quum nimis uarient, mirari deſine, quod alibi certis alibi omnibus *ædificiis* alicuius momenti, alibi certo *agrorum* numero ius illud cohæreat *n*). non tamen ſinguli.

* Hi coniunctim ſumti quibusdam in locis exercere poſſunt iura licitorum collegiorum. SCHOEPFFER c. l. p. II. c. 2.

§. CCLX.

Unde hic notes uelim ſequentia:

I. Ius cereuiſiam coquendi uendendique ad municipes ſpectat.
II. Huius iuris auctor princeps eſt.
III. Ius braxandi reale eſt.

§. CCLXI.

Ex primo (§. CCLX, 1.) facile eſt ad cognoſcendum (1) cur cereuiſiæ præparatio uenditioque dicatur *negotiatio municipalis*, ſitque (2) *bannario iure* munita *o*); (3) cur in parœmiam abierit: das Brauen Ius iſtud, quod burgenſibus

n) SCHOEPFFER tr. *de braxandi, eidemque annexis iuribus* p. I. c. 4. nr. 20. ſeqq. 99. ſeqq.
o) BERGER *El. proc. poſſeſſ.* § XIII. p. 92.

Brauen bringet den Bürgern eine güldene Nahrung; (4) cur *ruri degentes p)*, nobiles *q)* ſint an ruſtici *r)*, cereuiſiam coquere & uenalem habere nequeant, niſi id ſibi ſpeciali priuilegio conceſſum *s)*, aut præſcriptione *t)*, transactioneue cum ciuitatibus inita *u)* acquiſitum doceant; (5) cur burgenſes, neutiquam uero ruri degentes, *polentam* præparent; (6) cur neque obſcuritate neque amplitudine urbis hoc ius alteretur *x)*.

§. CCLXII.

ex gratia principum competit,

Ex ſecundo (§. CCLX, 2.) diſcimus (1) non quidem in *magiſtratus oppidani*, attamen (2) *principis* arbitrio eſſe, quem uelit modum huic iuri ſcribere. Sic princeps poteſt (*a*) *leges* ferre *cereuiſiarias*, quibus tempus, locum, modum & ordinem *, quo burgenſes polentam conficiant, cereuiſiamque coquant, itidem pretium, quo coctam uendant, aliaque de-

p) CARPZOV II, 6, 4. 5.
q) FRANC. PFEIL *Vol.* II. *conſ.* 202. nr. 30. SCHOEPFFER c. l. c. 2. nr. 201. HAHN *de iure colon.* concl. 138. ſeq.
r) *Conſt. Prou. Anhalt.* tit. 25. BRVNNEMANN *conſ.* 58.
s) BERLICH p. 1. *dec.* 31. nr. 7.
t) SCHOEPFFER c. l. nr. 203. ſeq.
u) ID. c. l. nr. 209. ſeq.
x) BERGER c. l. p. 90.

determinat; (*b*) *cereuifiæ coctores* conftituere & iureiurando obftringere; (*c*) *ius cereuifiarium* exigente reip. utilitate *reuocare*, aut (*d*) aliis fimul *concedere*.

* Alibi *ordo* femper idem feruatur ufu, alibi per fortem res dirimitur. Cocturam cereuifiæ nemo anticipare aut differre poteft fub pœna iuris fui pro hac uice amittendi. SCHOEPFFER c. l. p. I. c. 4. nr. 20. feq. p. III. c. 2. nr. 85. feq.

§. CCLXIII.

Ex tertio (§. CCLX, 3.), ni fallor, fequitur (1) ut ius cereuifiarium fequatur *ædium*, quibus cohæret, poffeflorem *y*), & (2) neque pro parte neque in totum ab ædibus feparatum queat uendi *z*), nifi illud fpecialis loci permittat confuetudo *a*); (3) ut *expiret* re exftincta. reale eft, &

§. CCLXIV.

Onus, quod ferre debent, qui cereuifiam coquunt uenduntque, non quantitate, licet nomine, ubique idem eft. Audit Tranck-Steuer*. Quo tributo ne defraudentur principes, ipfi fæpe domum, ubi polenta præparetur, & aliam, ubi coquatur cereuifia, exftrui curant. Quo facto fub oneris lege exercetur.

y) CARPZOV c. l. def. 6. nr. 7.

z) IDEM II, 41, 15. nr. 6.

a) HAHN *de iure colonar.* concl. 355.

facto exigunt Maltz- oder Darr-Geld & Pfannen- oder Brau-Geld *b*).

* Immunitas ab hoc onere, titulo onerofo quæfita plerumque in unum uel alterum liberorum transferri poteft, quandoque tamen aliud loquuntur uerba priuilegii.

§. CCLXV.

Quibus amittatur modis?

Hoc ius una cum ciuitate perit. Singula uero ciuitatis membra illud amittere poffunt (1) *renuntiatione*, (2) *abufu*, aut (3) *ufu*, per tempus lege definitum, ex libera uoluntate *c*) *intermiffo*, (4) *re*, cui cohæfit, penitus *extincta* (§. CCLXIII, 3.) *d*), uel translata *e*), (5) *qualitate*, ob quam indultum, *ceffante*.

MEMBR. II.

DE

OENOPOLIO vom Weinschanck.

§. CCLXVI.

Oenopolium, quod exercent

Oenopolium nihil aliud eft, quam ius, quo, fub uectigalis onere, municipibus uini negotiationem facere liçet *f*).

§. CCLXVII.

b) KLOCK *de ærario* II, 11, 13.

c) BERGER c. l. p. 101. LYNCKER *dec.* 979.

d) SCHOEPFFER c. l. p. III. c. 2. nr. 51. feq.

e) IDEM c. l. nr. 10. feq.

f) AH. FRITSCHII tr. *de iure Oenopol.* c. 2.

§. CCLXVII.

Unde illud nobilibus, clericis, rusticis non competit *g*), nisi se priuilegio, inuestitura, præscriptione &c. id acquisiuisse doceant; (2) quemlibet uinum *sibi natum* uendere, & *extraneum* ad domesticum usum emere posse *h*). **burgenses**

§. CCLXVIII.

Uectigal, quod oenopolæ soluere debent, & sub nomine eines Wein-accis, Steuer, Zehend, Zoll ꝛc. Ungeld uenire solet, pro locorum uarietate uariat *i*). **sub uectigalis onere,**

§. CCLXIX.

Senatus oppidani officium circa oenopolium hoc est, ut curet (1) ne uinum melius cum deteriore *misceatur*, aut (2) materia *corrumpatur* alia *k*). Hinc constituit Visirer, Weinmeister *l*), qui uina **dirigit senatus.**

K 5 pro-

g) KLOCK *de contribut.* c. XII. nr. 265. seq. *Resol. grau.* de A. 1653. 1657. tit. von Justitien-S. §. Als sich zum hundert ꝛc. in *Corp. I. Sax.* p. 1059. seq. LEISSER *iur. Georg.* III, 20, 6. seq.

h) LEISSER c. l. n. 16.

i) FRITSCH c. tr. c. IV. nr. 10. WEHNER u. Ungeld.

k) *Rec. Imp. Frib.* 1497. seu Satzung und Ordnung über Weine rubr. von Fuhrleuten der Weine ꝛc. von den Kräuter-Weinen *Ref. Pol.* 1577. rubr. von den Schiff- und Fuhrleuten.

l) Rohrs Vorr. von allerh. *contr.* p. 524.

probent *m*), exigantque den Bodenschatz *n*). Curret porro (3) ne oenopolium in *monopolium*, quod LL. *o*) prohibent, degeneret; (4) ne *falsum* in mensura committatur &c.

MEMBR. III.

DE
DIVERSORIIS SEV HOSPITIIS PVBLICIS.

§. CCLXX.

Diuersoriorum, quae

Per *diuersoria* illa intelligo aedificia, ubi ex principis permissu tam ciues quam peregrini recipi, receptisque cibus, potus & quae ad quietem capiendam faciunt, die nocteque pro mercede iusta praeberi solent. Ille uero, qui in diuersorium peregrinos recipit, *caupo* dicitur.

* Olim quilibet maiorum nostrorum hospitalis erat. TACITVS de M. G. c. 21. CAESAR *de B. G.* VI, 21. ALEX. ab ALEXANDRO IV, 10. CLVVER *German. antiq.* I, 19. p. 171. & si quis minus hospitalis esset, mulcta coercebatur *LL. Burgund.* tit. 33. §. 1. *Capit. R. Franc.* I, 75. SCHEID *de iure erigendi cauponas* §. 7. Ex quo uero causarum peregrinationis, sicque peregrinantium, numerus creuit; loca publica consti-

m) LEISSER c. l. n. 28. seq.
n) IDEM c. l. nr. 37.
o) *R I* 1512. §. und nachdem 1542. §. item dieweil 1592. §. Nachdem die monopolia.

ftituta funt, in quæ peregrinantes diuerterent, uictum & quietem pro mercede petituri. En *diuerforiorum* originem

§. CCLXXI.

Unde hæc deriuo axiomata:

I. Voluntas principis facit diuerfo-ria.

II. Qui in domum, quæ diuerforii iure gaudet, hofpites fufcipit, caupo eft.

III. Caupo receptis cibum potumque præbere &

IV. fecuritatem ab omni iniuria præftare debet *p*).

V. Iuftam propter ea mercedem exigit.

§. CCLXXII.

principis auctoritate conftituuntur.

Ex primo (§. CCLXXI, 1.) intelligere potes caufam (1) cur diuerforia loca dicantur *publica*, nec (2) a quolibet posfint erigi *q*); (3) cur nemini ius diuerforium habendi concedere posfit folius *iurisdictionis dominus r*), nifi hoc particularis loci confuetudo uelit *s*); (4) cur *princeps* ex-

p) *I. P. S.* III, 78.

q) Würtenb L. O. tit. von Wirthen und Gastaeb. KLOCK *Vol* 1. *conf.* 8 nr. 125

r) BARTH *diffenfu* 335 nr. 2 & d. 588. Beck vom Gast-R c. 3. §. 14. feq

s) BESOLD *thef. pract.* voc. Gast. MAGER *de aduocat. armat.* c. X. nr. 263.

exſtructionem diuerſorii huic negare, alii uero permittere poſſit; (5) cur qui ſibi aut domui ſuæ ius diuerſorii tribuit, conceſſionem principis expreſſam tacitamue docere debeat *t*).

§. CCLXXIII.

Ex eo, quod princeps priuilegiis modum, quem uelit, ponere poſſit; uideor mihi uidere, (1) cur huius ius diuerſorii *reale*, illius *perſonale*, iſtius *mixtum* ſit; (2) cur unus queat, alter nequeat, ius diuerſorii de domo in domum *transferre* *u*); (3) cur unus & alter, ſed non omnes, *iure probibendi* gaudeant *x*).

§. CCLXXIV.

inhabitatores, ubi cauponantur

Ex ſecundo (§. CCLXXI, 2.) conſtare puto, cauponem non eſſe (1) qui nundinarum aliisque temporibus peregrinantes ſuſcipit in domum, cui ius diuerſorii non magis atque recipientis conceſſum eſt perſonæ; (2) qui domum quidem inhabitat, quam princeps iure muniuit diuerſorii, ſed nullo unquam tempore hoſpites recepit, aut recipere iam deſiit.

§.CCLXXV.

t) LEISSER c.l. III, 19, 28.

u) BARTH *diſſ.* 341. nr. 2.

x) ID. *diſſ.* 334. SCHILTER *exerc.* XVIII. th. 4. CARPZ. *lib.* I. *R.* 66.

§. CCLXXV.

Simul atque quis ſuſpendit hederam, das Schild *, peregre adeuntes, ſortis ſint cuius uelint, *recipere debet y*), niſi (*a*) locus deficiat, aut (*b*) aduentantes contagioſo laborent morbo z), (*c*) ſintue priuati ſecuritate publica *a*). Satius tamen eſt, ultimos recipi, receptosque ſignificari magiſtratui *b*). omnes aduentantes recipere,

* De origine ſignorum ſollemnium, quibus notari ſolent diuerſoria, hæc mens ſedet BEYERO *delineat I. Germ* I, 17, 8. quod nobiles ſuperiores primitus diuerſoria exſtruxerint, eaque priuatis locauerint hominibus, & , ne in horum ſortem detruderentur, atque ut commodo peregrinantium conſuleretur, iisdem inſignia ſua adfixerint. Quos, pergit, ciues imitati ſint & facultatem hoſpites recipiendi, iure proprio obtentam, arbitrario, nec ſatis ſemper congruo, notarunt ſigno.

§. CCLXXVI.

Receptos hoſpites caupo *retinere* debet *c*). Quodſi uero (1) legatus principis receptos retinere.

y) MEVIVS p. III. *dec.* 63. not. I. BRVNNEM. tr. *de iur. peregr.* m. 2. §. 36.
z) BESOLD *theſ. pr.* v. Wirth.
a) MVLLERI d. *de iure peregrin.* th. 33. MOEBIVS d. *de iure hoſpit. mercenar.* §. 72. LEISSER c. l. III, 9, 37
b) Reuterbeſtallung zu Speyer de An. 1570. art. 79.
c) *I. P. S.* III, 59.

pis superuenerit, aut (2) receptus minus honesto otio indulgeat, & quarto die *d*) diuersorio exire nolit: aliud dicendum erit.

§. CCLXXVII.

& magistratui significatis

Usu porro obtinet, licet non ubique, ut cauponum quilibet, quos peregrinos singulis diebus noctibusque in suum recepit diuersorium, magistratui loci indicare debeat *e*).

§. CCLXXVIII.

tam uictum,

Ex tertio (§. CCLXXI, 3) sequitur (1) ut caupo rebus ad *uictum* necessariis instructus esse debeat*; (2) ut cauponis non sit, hospitibus *res mercatorias*, opificiarias, chartam lusoriam &c. uendere, aut (3) *meretrices* adducere.

* Hinc caupones quibusdam in locis pecora ad usum hospitii pro lubitu mactare possunt. BESOLD *thes pract.* u. Gast.

§. CCLXXIX.

quam securitatem praestare debent,

Hospitum personas, resque in diuersorium illatas*, ab omni iniuria defendere debet caupo ** (§. CCLXXI, 4.). Itaque (1) habeat diuersorium *tutum* & pur-

d) *Ord. Prou Sax.* 1482. §. es soll.

e) Reuterbestall. zu Speyer de An. 1570. KNIPSCHILD *de iure ciuitat. imper. lib.* V. *cap.* 201. nr. 29.

purgatum a latronibus, furibusque; (2) receptum quemque a ui iniuſta liberet *f*); ſicque (3) ubi ipſe rixam inter hoſpites ortam ſedare nequit, iudicem uicinosque, ut auxilio ſibi ueniant, clamitet *g*); (4) criminis reum, ſi fieri posſit, detineat *h*), usque dum iudex ad hoc uocatus, ueniat illum adprehenſurus.

* Ut hæ cauponi ſpeciatim deſignatæ & commiſſæ fuerint, nullibi requiritur, ſed cauponem generaliter ſcire, u. c. *arcam aliquam illatam eſſe*, ſufficit. LOCCEN. *de iure marit.* lib. III. cap. 8. n. 3. Beck vom Gaſt-Recht c. V. §. 8.

** Contra, qui ſolo iure familiaritatis & amicitiæ, aut coacte aliquem recepit, huic ſecuritatem præſtare non tenetur. LEISSER c. l. nr. 53. ſeq.

§. CCLXXX.

Nulla ſecuritate præſtita, damnum, quod hoſpes in rebus illatis perpeſſus eſt, caupo *reſarcire* tenetur *i*), niſi (1) receptionis momento, ſe uariis de cauſis ſecuritatem rerum promittere non poſſe, adeoque, ut ſuas quisque res cuſtodiat meliori modo, opus eſſe credere *k*), cuique ſignificauerit, aut (2) damnum ipſius hoſpi- **ni damnum reſarcire uelint,**

f) *I. P. S.* III, 78.

g) MEVIUS ad *Ius Lubec.* p. IV, *tit.* 8. art. 6. nr. 4.

h) ID. c. l. nr. 11.

i) Beck c. l. c. V. §. 4. ſeq.

k) LEISSER c. l. n. 52.

hoſpitis culpa *l*), uel ui maiori, quam cui caupo reſiſtere potuit *m*), contigerit.

§. CCLXXXI

pro mercede Caupo pro uictu mercedem petere poteſt (§. CCLXXI, 5.). Ad quam conſequendam uaria dantur media. Omnium promtius hoc eſt, quod caupo aduenas, eorumque ueſtes, equos, currum aliasque res *retinere* poſſit, usque dum ſibi de mercede ſatisfactum ſit *n*). Caueat autem ſibi (*a*) ab animo honeſtum & in dignitate conſtitutum ſibique notum hoſpitem iniuriandi, (*b*) a detractione ueſtium uiatoris, cui propterea ex frigoris uehementia in itinere pereundum eſt *o*).

§. CCLXXXII.

iuſta. Quum uero non niſi *iuſta* illi debeatur *merces* (§. CCLXXI, 5.) iubent mores legesque (1) cuiusque loci magiſtratum ſtatis temporibus eſculentorum & potulentorum *pretia* determinare, factamque determinationem tabulis, in quouis di-

l) LEISSER c. l. nr 55. 57. BOECKELMANN d. *de iure hoſpit.* c. V. n. 4. 5.

m) MVLLER d. *de iure peregrinant.* th. 40.

n) BERLICH. p. I. *concl.* 73. n. 102. ſeq. RICHTER *dec.* 77. nr. 39.

o) BESOLD. *theſ. pr.* u. Gaſt BEYER. *delin. germ.* I, 17, 16. Beck c. l. c. VII. §. 19.

diuersorio suspensis, publice denuntiare *p*), (2) cauponem uero *singula*, quæ præbuit hospiti, *enumerare*, & pro iis mercedem taxationi a magistratu factæ congruam petere *q*).

§. CCLXXXIII.

Quæ *merces* non eodem ubique modo *priuilegiata* est. Alibi enim caupo totius mercedis, alibi uero istius tantum intuitu, quam pro cura & sepultura petere potest *r*), *iure prioritatis* gaudet, ubi super hospitis bonis concurrunt creditores.

MEMBR. IV.
DE
IVRE BANNARIO, QVOD CIVITATIBVS SAXONICIS COMPETIT.
Von Bierzwang, Meilen-Recht.

§. CCLXXXIV.

Quod urbibus Saxoniæ ius competat prohibendi, quo minus, qui pagos in- Urbes Saxonicæ prohibent

p) *Ord. Prou. Goth.* p. II. cap. 3. tit. 19. *Anhalt.* tit. 28. *Würtemb* tit. von Wirthen und Gastgebern, *O. P. S.* 1580. tit. von Wirthen.
q) *Ord. Pol. Aug.* 1548. tit. von Wirthen und Gastgebern LEISSER c. l. nr. 42. seq.
r) *Statut. Hamburg.* p. II. tit. 5. art. 6.

inhabitant, cereuiſiam coquant uel hoſpitentur s), inter omnes conſtat.

§. CCLXXXV.

coguntque

Eædem urbes paganos, qui intra milliare degunt, cogere poſſunt, ut cereuiſiam alibi non coemant t). Ad quod ius tuendum per delegatos cauponas uiſitant, thun Ausfälle u), cereuiſiamque, quam extraneam habent, auferunt.

§. CCLXXXVI.

intra milliare,

Milliaria uel *mathematica*, uel *legalia* uel *uulgaria* eſſe dicuntur. *Hæc* ſunt admodum incerta; *illa* apud Saxones x) in *antiqua*, (quorum unumquodque 60. iugera ſeu 3600. uirgulas, ſeu 27000. ulnas continere dicitur y) in *cauſis uenatoriis adhiberi ſolita* (quorum quodlibet XXI longioribus pannis, ſeu 11025. ulnis conſtare dicebatur) & *nouisſima* quorum unumquodque conſtat 2000. perticis, diuiduntur; *iſta* plane non curamus.

§.CCLXXXVII.

s) BERGER c. l. p. 95. MENKENII d. *de iure probib. cereuiſiario.* TENZEL d. *de iure prohibendi, quo ciuitates Sax. utuntur.*

t) b. KEMMERICH. *acceſſ. Inſtitut.* p. 668. ſeq.

u) MARSMANN *miliol.* c. IX. nr. 59.

x) IDEM c. l. c. IV. nr. 3. ſeq.

y) Gloſſ ad *I. P. S.* III, 66. MARSMANN c. l. c. V. nr. 8. ſeq.

§. CCLXXXVII.

Quæstionem: *Undenam? ab urbis porta, an ab extremis suburbii ædibus, milliaris computatio incboanda sit?* decisurus statum suburbanorum (§.CLXXXIII.seq.) attendat z), &, ubi iisdem, quibus urbici iuribus gaudere deprehenduntur, ab ultimis suburbii ædibus; sin diuersæ conditionis uidentur esse, a porta urbis, initium computationis milliaris capiat. mox a porta mox a fine suburbii

§. CCLXXXVIII.

Terminus ad quem id ipsum ædificium est, de quo an intra milliare situm sit? iam quæritur; non uero, ut putat MARSMANN a), sepes pagi, nec proxima nec extrema prædia partis pagi aduersæ. usque ad ædificium, in quo cereuisia uendenda.

§. CCLXXXIX.

ICtus cogniturus, quæ inter urbem & hoc uel illud prædium sit distantia, neque eleuationem poli, neque compitam, sed *uiam regiam* illiusque anfractus attendere debet b). Hodie in Sax. El. quantitatem milliarem significant *columnæ mercuriales* c). per uiam regiam metiendum.

z) MARSMANN c.l. c. VIII. nr. 26. seq.
a) ID. c.l. c. VIII.
b) ID. c.l. c.X.
c) b. KEMMERICH & SCHRAMM d. *de stat. mercur.*

MEMBR. V.
DE
CAVPONIS.

§. CCXC.

Cauponarum

A *diuerſoriis* non niſi gradu differunt *cauponæ uiliores*, Krüge, Schencken. (1) In *his* potulenta tantum, in *illis* & eſculenta præbentur; (2) *hæ* uogteiæ domino, *illa* uero principe, permittente eriguntur.

§. CCXCI.

hereditariarum

Cauponarum nonnullæ hereditariæ ſunt, Erbkretſcham. Omnes uel priuilegio uel præſcriptioni ſuam debent originem *d)*.

§. CCXCII.

iura uaria.

Iam quum priuilegia, factaque, quibus præſcriptio nititur, nimium quantum uarient (1) cauponarum aliæ *transferri* queunt aliæ nequeunt; (2) aliæ *iure bannario* gaudent, quo deſtituuntur aliæ; (3) penſione annua, quam dicunt den Krug-Zinß, oneratæ ſunt aliæ, aliæ ab ea liberæ.

TIT.

d) Ord. Prou. Sax. de A. 1482. 1555.

TIT. XI.

DE

PARENTVM IN LIBEROS POTESTATE, ILLIVSQVE ACQVISITIONE ET SOLVTIONE.

MEMBR. I.

DE

PARENTVM IN LIBEROS POTESTATIS INDOLE.

§. CCXCIII.

Hominum alios *sub mundio* *, alios *extra illud* esse diximus (§. XXIV, 3.). Sunt autem, præter *seruos* (§. XXV. seq.), sub alterius mundio *liberi*, *uxores*, *minores*, *ecclesiæ*, *ciuitates*. **Liberos, quos**

§. CCXCIV.

Mundium, quæ potestas Germanis dicitur, in obligatione alterius personam dirigendi & alendi constitit (§. XXIV.*) *e*) **in mundio**

§. CCXCV.

Mater non minus atque pater, ex dictamine rectæ rationis, *liberos* * *educare*, seu ad officium boni hominis & ciuis adsuescere, tenetur. Quod quum sine po- **non uero dominio habent,**

e) BEYER *del. I. G.* III, 10, 14.

potestate fieri nequeat, hanc in liberos parentibus concesserunt germaniæ mores legesque.

* Pater non nisi ex casto coniugio procreatos liberos educare tenetur. Ut uero spurium a legitima sobole discernerent maiores, quemlibet in Rhenum aliudue flumen immerserunt. CLUVER *German. ant.* I, 21. DILLHERR *histor. prisc. Germ.* c. 2. §. 4.

§. CCXCVI.

Unde hæc notes uelim:

I. Mater æque ac pater liberos educare &

II. alere tenetur.

III. Parentibus in liberos competit potestas ad eos educandos necessaria.

IV. Neque in patris neque in matris dominio sunt liberi.

V. Utrique ius utendi fruendi bonis liberorum competit.

§. CCXCVII.

parentes educare, & — Quia mater non minus atque pater liberos educare tenetur (§. CCXCVI, 1.): sequitur, ut non solum pater, sed & mater, illo præsertim mortuo, (1) liberos *erudire*, aliisue instruendos tradere *f*), & (2) cu-

f) *L. Burgund.* tit. 59. *Wisigoth.* III, 1, 7.

cuiusnam *religionis principiis* innutriendi ſint *g*), præſcribere poſſit debeatque.

§. CCXCVIII.

Ex eodem (§. CCXCVI, 1.), ni fallor, fluit, tam matrem quam patrem poſſe liberis (3) agendæ *uitæ regulas* præſcribere; (4) *operarum domeſticarum* præſtationem, & (5) electionem cuiusdam *uitæ generis* iniungere; (6) ad eos *exhibendos* agere; nec non (7) illis, ubi primæ adhuc ætatis ſunt, teſtamento pactoue, de *tutore* proſpicere *h*), & (8) ſe mortuis, *facienda*, iniungere *i*).

§. CCXCIX.

Sic quoque (9) ſine parentum conſenſu liberi nec *nuptias* contrahere, nec quicquam aliud magni momenti ſuſcipere poſſunt *k*); ſed (10) quæ ſpreto conſenſu parentum ſuſceperunt, nulla ſunt & irrita *l*).

§. CCC.

Aliud parentum erga liberos officium in ſuppeditandis alimentis conſiſtit (§. CCXCVI, 2.). Hinc parentes uel ipſi alere debent.

 uel

g) HVNEFELD. d. *de iure & poteſtate parentum circa religionem liberorum.*

h) G. A. RENZII *mixtura I. Ro. & Germ. in materia p. p. conſpicua.*

i) *Capit.* VI, 148.

k) *LL. Longobard.* II, 2, 2.

l) *L. Alam.* LIV, 1.

uel per alios uictum & amictum liberis suggerere debent *m*), usque dum se ipsi exhibere possunt. Alimenta, neque LL. Wisigothorum *n*) determinata neque alia, mater, nisi in subsidium, suppeditare tenetur.

§. CCCI.

Hinc gaudent 1) iure castigandi liberos,

Quia parentibus in liberos competit potestas propter educationem (§. CCXCVI, 3.): consequitur, ut ea (1) tanta sit, quantam requirit educatio, sicque (2) in *modica* tantum *disciplina* & castigatione * consistat *o*); itidem (3) cesset, educationis fine obtento, &, (4) quod inde sequitur, neque perpetua sit, neque ad nepotes extendatur; (5) ut patri naturali ea non competat (§. CCXCV.*) *p*).

* De potestate patris immorigeros liberos includendi priuato carceri, immo ergastulo, agunt MEVIUS *ad Ius Lubec.* I, 3, nr. 11. BESOLD *th. pr.* u. Zuchthauß.

§. CCCII.

non uero necandi

Ex quarto (§. CCXCVI, 4.) intelligere potes (1) parentibus *ius uitæ & necis* *, aut (2) ius *liberos* exponendi, donandi, oppignorandi, *uendendi* **, & (3) ex eorum ter-

m) *Capitul.* II, 46.
n) IV, 4, 3.
o) POLAC *System. Iurispr. Ciu. Germ. ant.* I, 12, 2. I, 13, 3.
p) *L. Longob.* II, 8, 3. 4.

terna uenditione pecuniam quærendi, (4) eos, ubi in remp. deliquerunt, *puniendi*, (5) poenamue magiſtratui ſuppeditandi *q*), I. Germ. non competere.

* TACITVS de *M. G.* c. 19. *LL. Wiſigoth.* IV, 5, 1. Diſſentit tamen, quod ad antiquiſſima tempora, HEINECCIVS *Elem. I G.* lib. I. §. 135.* 136.*

** *LL. Wiſigoth.* V, 4, 12. Fame tamen aut alia neceſſitate adacti parentes iam olim liberos ſuos in ſeruitutem addicere potuerunt. TACITVS *Annal.* IV, 62. *Edict. Piſtens. Caroli Calui* c. 34. Quam poteſtatem LL. poſtea ad certos annos & ſeruitia honeſta reſtrinxerunt. *I P. Alem* c. 407. Vid. POTGIESSER *de ſtatu ſeruorum* I, 1, 14.

§. CCCIII.

Ex eodem porro conſtat (6) liberos non parentibus *acquirere*, ſed ſibi, atque ſic (7) cum aliis immo ipſis parentibus *r*) *contrahere* & *litigare* poſſe; (8) penes liberos eſſe, de rebus ſuis teſtamentum condere, non autem (9) penes parentes, quicquam bonorum, ad liberos ſpectantium, alienare; (10) *matrem* irreuocabiliter liberis ſuis *donare;* (11) Romanorum doctrinam de *peculio* nullius uſus eſſe in Germania &c. aut per eos acquirendi.

q) MEVIVS p. IV. *dec.* 184. n. 6.

r) TITII d. *de contractibus patris & liberor. in poteſtate eius exiſtentium.*

§. CCCIV.

2) iure fruendi eorum bonis. Parentibus ius utendi fruendi liberorum bonis competit (§. CCXCVI, 5.), idque propter onus alendi. Unde sequitur (1) ut, cessante alimentorum onere, *cesset ususfructus;* (2) ut *bonis* ad liberos spectantibus *utatur fruatur*, *pater*, cuius partes in alendis liberis potiores sunt, (3) eo uero mortuo, *mater s)* * (§. CCC.); (4) ut in locis, ubi communio uiget bonorum, ius illud, constante matrimonio, ad utrumque parentem æqualiter spectet, atque, (5) altero coniuge mortuo, una cum potestate (§. CCXCVII.) accrescat alteri *t*).

* Qui usus maternus olim displicuit *L. Sax.* tit. 7. §. 2. seq. postea uero placuit Saxonibus, HEINECCIUS d *de usufructu materno.* § 21. seq. atque iterum reprobatus est in Sax. Elect. per Nou. 62.

§. CCCV.

Hodie (1) ridemus rationem iustos natales explorandi per immersionem in flumina; (2) fere ubique subsistunt nuptiæ, si quas, inuitis parentibus, contraxe-

s) *L. Baiuuar.* tit. 6. 7. *L. Burgund.* tit. 59 *L. Wisigoth* IV, 2. 14. V. SCHROETERI d. *de iure matris circa liberos sanguinol* §. 44. HARPPRECHT *de usufructu statutario materno.*

t) *L. Wisig.* IV, 2, 13. seq. *Burgund.* tit. LIX.

xerint liberi; (3) nullibi usu obtinet LL. Wisigothorum facta alimentorum determinatio.

MEMBR. II.
DE
ACQVISITIONE POTESTATIS PARENTVM IN LIBEROS.

§. CCCVI.

P. P. acquiritur 1) generatione legitima,

Omnium præcipuus & fere unicus modus acquirendi in liberos potestatem, *generatio* est, eaque *legitima*. Hinc liberi ex incestu uel alio quocunque coitu extra matrimonium nati, sub patris potestate non sunt (§. CCXCV.*) *u*).

§. CCCVII.

2) legitimatione per subsequens matrimonium,

Legitimationem, qua modum adquirendi in liberos potestatem, dudum ignorarunt Germani. Seculo autem XIII. illud, quod liberi extra matrimonium nati, ut iura legitimorum consequerentur, tempore, quo ritu ecclesiastico iungebantur eorum parentes, sub *palla matris* latitarent *x*), usu inualuisse uidetur.

§. CCCVIII.

u) *L. Longobard.* II, 8, 3. 4.

x) DV FRESNE *Glossar.* To. III f. 102. DIETHERR *contin. Thes. Besold.* u. Liebkinder. HEINECCIVS *Elem. I. G.* lib. I. §. 150.

§. CCCVIII.

neutiquam uero legitimatione per rescriptum principis,

Legitimatio per rescriptum principis eluit tantum leuis notae maculam. Hinc (1) dicitur das ehrlich machen *y*); (2) contingit *feminae*, quae illicite congressa est, non minus, atque illius *liberis*, hisque (*a*) non solum spuriis sed & adulterinis, immo ex quouis damnato coitu proc eatis, (*b*) tam sciente, quam ignorante immo inuito mortuoue patre, (*c*) siue concubina duci queat siue non, (*d*) siue agnati consentiant, siue dissentiant *z*); (3) *iura familiae*, speciatim, (*a*) patri in legitimatum potestatem, & (*b*) legitimatis ius succedendi in bona patris uulgo quaesiti non tribuit, nec (4) *iura legitimorum* liberorum imminuit *a*).

§. CCCIX.

aut adoptione.

Adoptionis usus olim plane nullus. Postea uero Franci, Gothi ac Longobardi adoptarunt *per baptismum*, *barbam tactam resectamue*, *capillum* seu *comam*, *clypeos*, *equos*, *hastam* aliaque instrumenta bellica, *testamentum &c. b*), mox honoris,

y) STRYK *u. mod. ff.* tit. *de his qui sunt sui &c.* §. 5. THOMASIVS d. *de legitimatione* c. II. §. 2. *b*).

z) THOMASIVS c. d. c. II. §. 5. seq.

a) SCHROETERI d. *de legitimatione* sect. III. §. 7.

b) EVER. OTTO *Jurisprud. symbolica* exerc. III. c. 7. 8. 9. DV FRESNE c. u. KVLPIS d. *de adoption. & emancip.* c. I. §. 17. seq.

ris, mox religionis gratia, & quandoque, ut ſic nomen, gentem, inſignia & ſua bona transferrent *c*).

§. CCCX.

Ita comparata adoptione germanica, nemo non animaduertet (1) adoptionem G. non fuiſſe modum, poteſtatem in adoptatum acquirendi; (2) maiores noſtros certas qualitates, uel ſaltem easdem in omnibus non requiſiuiſſe adoptantibus; (3) uarios adoptatos uaria iura nactos eſſe.

§. CCCXI.

Hodie (1) ſpreto uſu pallæ maternæ *per ſubſequens matrimonium legitimantur* illegitimi, & (2) Mantel-Kinder alicubi dicuntur ſpurii nondum legitimati; (3) *per reſcriptum* legitimant imperator, ac principes imperii. Ille uel ipſe uel per comites palatinos *d*). Horum poteſtatem quum in ſuis territoriis hodie coercuerint, iurium ſuorum ſeruantiores, imperii noſtri principes *e*); ſatius quibusdam

Uſus pr. doctrinæ de legitimatione &

c) *L. Longobard.* II, 16, 1. CASP. LERCH. *de ordine equeſtri* p. I. n. 12.

d) LUDOLFF *obſ. for.* 263.

e) MICH. HENR. GRIBNERI d. *de iure legitimandi Comitum Palat. in terris Principum Imp.*

dam uidetur esse *f*), a cuiusque territorii domino legitimationem petere.

§. CCCXII.

de adoptione.

Denique notandum est, quod usus *adoptionis germanicæ* minus frequens immo nullus esse cœperit, ex quo testamenti factio recepta est; *Romanæ* uero neque magnus sit neque nullus hodie *g*). Qui illum magnum esse contendunt, prouocantes ad clausulas comitiuarum & unionem prolium, decipiuntur. Nam (1) unio prolium pactum successorium est, nulla tribuens familiæ iura; (2) a potentia comitum palatinorum ad actum* non licet argumentari; (3) causæ adoptionis Romanæ cessant in Germania *h*).

* Quodsi uero aliquando celebretur adoptionis actus, adoptatus sibi sumere nequit adoptantis (1) *sanguinis iura*, nisi consentientibus iis, quibus illorum translatione ius quæsitum adimitur; (2) *nobilitatem* (§. CXLI, 4.), nisi adoptionem ad hunc effectum confirmare uoluit potuitque fons nobilitatis. KNORR d. *de differ I. Ro. & Germ. in nobilitate adoptiua.* Dissentientium rationes solide discussit V. C. CRAMER comment. *de iuribus & prærogat. nobilitat. auitæ* c 4 §. 4.

MEMBR.

f) ID. c. d. §. XX. & d. *de iure legitimandi principum imperii.*

g) HOFFMANN *syll obseruat. quæ ad usum fori spectant* d. 1 obs. 5.

h) THOMASIVS d. de u. pr. tit. Instit. *de adoptionibus* c. II. §. 9. c).

MEMBR. III.
DE
SOLVTIONE POTESTATIS PARENTVM IN LIBEROS.

§. CCCXIII.

Parentum in liberos poteſtas ſoluitur, ubi finis obtentus eſt (§. CCCI, 3.), uel a parentibus obtineri nequit. Itaque parentum poteſtate exeunt liberi (1) ubi ad *maturitatem* peruenit eorum iudicium *i*), præſertim ſimul atque (*a*) *filii* ſeparatam oeconomiam inſtituunt *k*)*, & (*b*) *filiæ* nubunt *l*); (2) ubi parentes ſunt *mortui*, aut *furere uel prodigales eſſe* incipiunt; (3) *emancipatione*, germanis non plane incognita *m*), aut (4) quadam *dignitate n*) obtenta. **Ceſſante parentum poteſtate.**

* Tempore Taciti filii exibant patris poteſtate, ubi armis cingebantur, *de M. G.* c. 13.

§. CCCIV.

A multis retro ſeculis in plerisque germaniæ prouinciis hoc moris fuit, ut parenren- **ſeparatisque liberis,**

i) *I. P. Sueu.* c. 382.
k) HARPPRECHT *de ſeparatione liberorum fam. ab oeconomia paterna* th. VIII. nr. 36. ſeq.
l) TACITVS c.l. c. 20. *I. P. S.* I, 31. 45. *Sueu.* c. 259.
m) LVDOLFF obſ. 165.
n) THOMASIVS d. de u. pr. tit. Inſtit. *Quib. modis ius P. P. ſoluitur* c. II. §. 6.

rentes liberis ſuis, quos a ſe ſeparabant, quantitatem bonorum ex ſubſtantia ſua traderent. Dicitur hoc die Berathung.

§. CCCXV.

parte aliqua bonorum iis adſignata, *Quantitas* ſeparatis adſignari ſolita neque apud diuerſas germaniæ gentes, neque apud eandem diuerſo tempore eadem fuit *o*).

§. CCCXVI.

nondum ceſſant familiæ iura, Poteſtate ea ſublata (1) *ſublata* propterea *non ſunt familiæ iura.* Hinc liberi ſeparati (*a*) reuerentiam gratumque animum parentibus exhibere tenentur, (*b*) ſuntque obligati *εκ της αντιπελαργιας p*), (*c*) non minus atque non ſeparati parentum hereditatem capiunt, niſi (*a*) ei renuntiauerint *q*)*, aut (*b*) in terris Iuris Lubecenſis degentes, rite** ſeparati fuerint *r*).

* Qua renuntiatione nititur diuerſitas iurium, quæ olim ad filias *nuptas,* & eas quæ *in capillis* erant, pertinuerunt.

** Rite facta dicitur ſeparatio, quæ (α) coram ſenatu (β) cauſa cognita (γ) uel ipſis liberis uel eorum tutoribus conſentientibus peracta eſt.

§. CCCXVII.

o) *I. P. S.* I, 11. 13. *Sueu.* c. 382.
p) NIC. PASSAVANT d. *de Antipelargia.* COLER *de Alimentis* I, 5.
q) *I. P. S.* I, 13.
r) *Ius Lubec.* p. II. tit. 2. art. 33. ſeq.

§. CCCXVII.

Poteſtate parentum ſublata (2) *liberi ſui iuris fiunt*, & quidem in perpetuum. Hinc (*a*) poteſtas illa in uiduam reuiuiſcere nequit; (*b*) liberis datur *libertas conſcientiæ*, *mutandi religionem*, *bona ſua* (quæ cum inuentario iis reſtituere debent parentes *s*) *adminiſtrandi & oeconomiam mutandi* plenisſima. **ſed liberi tantum ſui iuris facti ſunt.**

§. CCCXVIII.

De eorum, quæ (§.CCCXIII.CCCXVI. ſeq.) dicta ſunt, hodierno in foris uſu uix quisquam dubitat. Præterea notandum (1) quod res ſeparatis liberis data alicubi dicatur Bräutel-Gabe, & (2) ius Bauaricum *t*) modis, quibus diſſoluitur patria poteſtas, *confinationem perpetuam* annumeret. **Uſus hodiernus.**

TIT. XII.

DE

SPONSALIBVS.

§. CCCXIX.

Sponſalia nobis dicuntur *contractus inter maſculum & feminam de futuro matrimonio initus.* **Sponſalia**

§.CCCXX.

s) L. P. S. I, 11. *Sueu.* c. 381.

t) L. R. tit. 3. art. 2.

§ CCCXX.

inter pocula celebrata

Quæ olim nonnisi inter pocula & epulas *u*), consentientibus desponsatorum propinquis * fieri poterant, hoc quidem modo, ut maritus ab eo cuius in potestate erat femina **, hanc emeret †, coemtæque *arrham* offerret ††.

* TACITVS *de M G.* c. 18. non solum *parentum* sed & *propinquorum* meminit. A quo quædam medii æui LL., non nisi parentum consensum requirentes, recessisse uidentur, sed non recesserunt; *parentes* enim illo tempore dicebantur omnes agnati. *L. Longob* II, 2, 2. HEINECCIVS *lib.* I. §. 188. *

** In unius eiusdemque mundio non semper fuisse feminas, docent *L. Burgund.* LXVI, 1. seq. *Longobard.* II, 2, 2. *Salica* tit. 46. *Saxonica* tit. VII. § 2. seq. *Wisigoth.* III, 1, 2.

† Quam coemtionem imaginariam apud omnes fere germaniæ populos usu obtinuisse, illiusque pretium apud diuersos populos diuersum, diuersoque nomine uocatum, fuisse, luculenter docuit GVNDLING *tr. de emtione vxorum* cap. I. §. 20 seq.

†† Consistebat ea primum in armentis, dein in annulis uel nummis quibusdam aureis argenteisque.

§. CCCXXI.

Itaque non mirum est, maiores statuisse nostros:

I. Sponsalia non nisi consensu nuptias meditantium contrahi.

II. Spon

u) TACITVS *de M. G.* c. 22.

II. Sponsalia tunc demum ualere, si is eaue, in cuius mundio est femina, consenserit (§. pr. & CCXCIX, 8. 9.).

III. Propinquos sponsalitio negotio interesse debere.

IV. Sponsalia inita esse, constare ex annuli datione, sponsalitia largitate, epulisque illis lautioribus, quas sponso, cognatisque sponsa exhibere soleat.

§. CCCXXII.

Ex primo (§. pr.) sequitur, ut sponsalia contrahantur (1) non sola *mentione*, sed demum *repromissione* ad eam accedente, secundum illud: Anwerbung macht keine Verbindung *x*); & quidem (2) ab iis tantum, qui consentire possunt, uoluntque. Sic (*a*) qui dolo, metu, errore &c. ut consentirent, inducti sunt, non obligantur, neque (*b*) parentes liberos inuitos despondere queunt &c. **ineuntur consensu,**

§. CCCXXIII.

Porro (3) tot modis contrahi possunt, quot consensus declarari potest. Hinc nuptias meditantes ea contrahere possunt (*a*) tam *per se* quam *per internuntios;* (*b*) **qui uario modo declarari potest.**

x) PISTOR *cent.* I. *paroem.* 4.

(*b*) tam *pure* quam additis quibusdam *legibus*, ipſum matrimonium, aut alia negotia, durante finitoue matrimonio ſuſcipienda, dirigentibus.

§. CCCXXIV.

Ubi conſenſerat is, in cuius mundio erat femina,

Ex ſecundo (§. CCCXXI, 2.) facile reddi poteſt ratio, (1) cur ſponſalia, *ſine parentum conſenſu inita*, ſint dirimenda (§. CCXCIX.) *y*); (2) cur olim femina ſæpe coemenda fuerit ab huius matre, &, (3) parentibus mortuis, ab agnatis, cognatis tutoribusque; (4) cur uiduæ, ad ſecunda uota prouolanti, neceſſarius non ſit parentum conſenſus.

§. CCCXXV.

& adfuerant propinqui,

Sponſalitio negotio intereſſe debent propinqui (§. CCCXXI, 3.). Itaque non mirum antiquitus (1) nulla fuiſſe habita ſponſalia, quibus nulli interfuerunt propinqui teſtesque *z*); proptereaque (2) nullam uim obligandi adſcriptam eſſe declarationi priuatæ, dem Jawort *a*).

§. CCCXXVI.

quod ex annuli datione

Quia maiores noſtri crediderunt, quod ſponſalia iuſta eſſe conſtet ex annulo * dato acceptoque (§. CCCXXI, 4.): patebit

y) *L. Alamann.* tit. LIV. §. 1.

z) PISTOR *cent.* I. *par.* 91.

a) THOMASIVS d. *de pactis futuror. ſponſ.* a

bit (1.) cur *annulus* olim fuerit ſymbolum & pignus deſponſationis, proptereaque (2) eo nulla femina facile uſa, niſi quem ſponſus dederat miſeratue, (3) ſicque dici potuerit *b*): wenn der Finger beringt, iſt die Jungfer gnung gedingt; (4) cur ſine arrha, ſine anuulo, ſubſiſtere poſſint ſponſalia *c*).

* Quo ſigno *conſtantiam æternitatemque amoris* adumbrare uoluerunt. HACHENBERGII *German. media* diſſ. V. §. 8.

§. CCCXXVII.

ſponſalitia largitate

Largitas, qua ſponſam fundebat ſponſus (§. CCCXXI, 4.), uel *præſens* erat uel *futura*. *Illa* conſtabat numis aureis argenteiſue (§. CCCXX ††); *hæc*, quam promiſſam dicere potes, in ſcripturam redigebatur, & quandoque apud acta firmabatur *d*). Unde noti ſunt *libelli dotis e*). Largus autem erat, uel ſe fore promittebat * ſponſus, futuri matrimonii intuitu.

* Quia ſæpe aureos montes ſunt polliciti, & uix minima præſtiterunt; in prouerbium abiit: Alle Freyer reich, alle Gefangene arm. HERTIVS lib. I. paroem. 66.

b) HERTIVS *lib. 1. paroem.* 65.
c) CYPRAEVS *de ſponſal.* c. XXI. §. 4.
d) HEINECCIVS c. l. lib. I. §. 183.
e) MARCVLF. II, 15. & in *adpend.* c. 37.

§. CCCXXVIII.

epulisque lautioribus colligebatur,

Quia sponsos testesque antiquitus epulis lautioribus excipere sueuerunt sponsæ (§. CCCXXI, 4.): non obscurum esse potest, quam ob rem (1) uocabulum Verlöbniß non nudius demum tertius, præter pactum sponsalitium, significare coeperit conuiuium; (2) *symbolum* non det sponsus, nisi hoc uelint speciales mores, pactumue.

§. CCCXXIX.

nullus amplius repudio locus erat,

Pro fide, qua omnes superabant gentes, pacto sponsalitio stare quemque iubebant maiores. Itaque (1) sponsam suam dimittere *f*), ne quidem redditione annuli, arrhæ loco dati *g*), licebat nemini. Quid? quod (2) gentes erant, apud quas aut sponso nubendum erat aut nulli *h*).

§. CCCXXX.

nisi ex iustissima causa.

Dederunt tamen maiores nostri repudio locum (1) ob *stuprum i*), atque, succedente tempore, (2) ob *inimicitias capitales k*), (3) *conditionem sponsæ ita mutatam*,

f) *L. Alemann.* tit. 53. *Baiuuar.* VII, 15. *Wisigoth* III, 6, 3.
g) *LL. Wisigoth.* III, 1, 3.
h) TACITVS *de M. G.* c. 19.
i) PROCOPIVS *de bello gothico* lib. IV.
k) *LL. Longobard.* II, 1, 11.

tam, ut non poſſit non ceſſare omnis amor *l*), (4) *moram*, ut ſi ſponſa ſponſum per biennium expectaſſet *m*). Tantum porro abeſt, ut (5) eos, qui matrimonium promiſſum contrahere uolebant nec iuſtam repudii cauſam laudare poterant, obtorto collo ad copulam traxerint, ut potius, ſoluta pœna, dimiſerint *n*).

§. CCCXXXI.

Ea, quæ (§. CCCXXIV, 1. CCCXXV, 2. 3. §. CCCXXVI, 1, 3. CCCXXVIIII, 3. CCCXXX, 5.) dicta ſunt, ſi non omnibus, multis tamen in germaniæ locis, alterarunt mores, iurisque canonico-pontificii doctrina, in foris ex ſuperſtitione recepta. Scilicet, moribus mutatis (1) nulla gens ſupereſt, apud quam aut ſponſo nubendum eſſet aut nulli, (2) *annulus* datus & acceptus tunc demum innuit ſponſalia, ubi præcedentibus tractatibus ſponſalitiis, aut ſub ſponſalium mentione, datus eſt acceptusque *o*)*. Hinc annulus ſic datus, a femina tamen recuſatus, huius diſſenſum denotat *p*), nec; ubi

Q. Quæ praxis ſit, quum mores mutati, &

l) Cit *LL*. II, 1, 3.

m) *LL. Wiſigoth.* III, 1, 4. *Longobard.* II, 1, 1. & 11.

n) *LL. Baiuuar.* c. I.

o) PE. MVLLER c. d. th. XIV. nr. 3. BROVWER *de iure connub.* I, 23, 7.

p) MVLLER *de annulo pronubo* th. 12.

ubi renuentis digito immissus, sponsalia contracta innuit.

* Annuli enim nostris temporibus dantur non solum animo consensum sponsalitium declarandi, sed & ex liberalitate, ioco aliisque causis, leuissimis sæpe u. c. ad aucupandum lasciuum amorem &c.

§. CCCXXXII.

Ius canonico-pontificium receptum sit?

Ob iuris canonico pontificii auctoritatem sæpe pronuntiatum esse scimus (1) declarationi priuatæ uim obligandi inesse *q*); (2) patris quidem in liberorum sponsalia consensum non sufficere, sed maternum *r*), &, parentibus mortuis, agnatorum, cognatorum tutorumque consilium *s*) accedere debere, interim tamen (3) sponsalia, citra utrumque inita, consistere; (4) sponsalia, quibus cognati, siue ex utriusque desponsatorum, siue ex alterius familia, aut duo testes interfuerunt, rite celebrata esse *t*).

§. CCCXXXIII.

q) HEINECCIVS c. l. §. 189.

r) *Const. El. Sax.* tit. von Ehegelöbn. §. es sollen sich keine Kinder CARPZOV *Iurispr. Consist.* II, 3, 54.

s) de LVDEWIG d. *de consensu connub. extra patrem* differ. 3. Conf. IENICHEN *de necessario tutorum consensu in sponsalibus minorum.*

t) MEVIVS p. VIII. dec. 38.

§. CCCXXXIII.

Contra *Ius Marchicum u*) *Brunsuigo-Guelpherbytanum x*), *Megapolitanum y*), *Hennebergicum z*) & *Hamburgense a*) adhuc hodie nulla habent sponsalia, citra uerum fictumque parentum consensum inita. In *Sax. El. b*) parentibus liberos, si qui, iis renuentibus, non sponsalia tantum, sed & matrimonium contraxerunt, exheredes scribere licet.

TIT. XIII.
DE PACTIS DOTALIBVS.

§. CCCXXXIV.

Leges, quas sibi inuicem posuerunt desponsati (§ CCCXXIII.), *si modum ponant iuribus, quibus quisque coniugum tam durante, quam dissoluto matrimonio gaudere solet*, scimus audire *pacta dotalia* Pacta dotalia, quæ ineuntur

u) *Ord. Conf. Marcb.* tit. 59. Ed. Elect. Brand. de An. 1694. von Verlöbniß und Ehe-Sachen. §. 7. 14 SCHEPLITZ ad *Consuet. March.* p. I. t. 2. WILLENBERG d. *de consensu parent.* § XI.

x) *Edict.* de A. 1693. V. ENGELBRECHT *collat.* *I. Comm. & Brunsu. Luneb.*

y) teste COTHMANNO *lib. I. R. 1.*

z) V. SCHILTER *exerc.* III. §. 12.

a) *Ed.* de A. 1676. L. S. STRYK d. *de iure singul. feminar. Hamburg.* c. 1. § 15.

b) Ehe-Ordnung tit. von Ehegelöbnissen §. und da rc. it. §. Würden.

lia * Ehestiftung, Eheberedungen, Ehezärter, Ehelich, Ehe-Pacten ꝛc.

* Meliori iure dicerentur *matrimonialia.* Non enim de dote tantum, sed de multis adhuc aliis negotiis sic conueniunt desponsati.

§. CCCXXXV.

Unde patet:

I. Pacta dotalia solo consensu confici.

II. Iniri ea sub conditione: si nuptiæ sequantur legitimæ *c*).

III. Ea iuribus cuiusque coniugis modum ponere.

§. CCCXXXVI.

solo consensu

Quandoquidem solo desponsatorum consensu ineuntur pacta dotalia (§. pr.): sequitur (1) ut desponsati, tam per se, quam per alios, ea *conficere* possint *d*), (2) confectaque *seruare* debeant; (3) ut ea pacta unius dissensu, testamentoue *dissolui* nequeant *e*), utriusque tamen, nisi tertio ex iis ius quæsitum sit.

§. CCCXXXVII.

Ex eodem sequitur, (4) ut pacta

c) BIGNON. app. *ad form.* MARCVLF. c. 6. & adpend. form. LINDENBROG. c. 75.

d) IO. GEORG. WERNERI d *de pactis dotalibus sub formula:* Hut bey Schleyer § 18.

e) CARPZOV. III, 7, 1. 2. 5. BERGER O. I. p. 132. seq.

cta dotalia neque *testibus*, neque *iudiciali confirmatione*, neque *scriptura* indigeant*. Hinc u. c. ***instrumentum non rite conditum***, aut ***ab altera parte non subscriptum*** *f*), pacto dotali, quod aliunde probari potest, non praeiudicat.

* Olim ex necessitate, quod *L. Ripuar*. 27. *Capit. Caroli M. & Ludouici Pii* apud LINDENBROGIVM VI, 147. MARCVLF. *form*. 49. 50. 75. 80. ex edit. LINDENBR. satis superque docent. Hinc factum est, ut plures hodie supersint libelli dotis, quorum aliquos laudant LINDENBROG *glossar*. Codici LL. antiqu. subnexo u. *traditio*. HEINECCIVS c. l. § 186 & Ill. BOEHMERVS d. *de success. heredit. coniug. ex pactis dotal*. c. 2. §. 8.

§. CCCXXXVIII.

Ex secundo (§. CCCXXXVI, 2.) reddimus rationem (1) cur, ubi alterutrum desponsatorum ante ad tumulum quam ad thalamum deduci contigit *g*), aut (2) nuptiae declarantur nullae, uel (3) ob adulterium dirimuntur, pacta dotalia uigere desinant. **& sub conditione: si nuptiae sequantur legitimae,**

§. CCCXXXIX.

In pactis dotalibus terminum poni *dotalitii*, *dotis*, *morgengabae*, *lucrorum nuptia-* **iura coniugum determinant**

f) I. LAVR. FLEISCHERI d. *An pacta dotalia a marito quidem, non uero ab uxore subscripta, sint ualida?*

g) WERNER c. d. §. 35.

ptialium, *educationis liberorum*, *acquæstus*, & *successionis* * *iuribus*, uel tertia (§. CCCXXXVI, 3.) nos docet regula. Termino aliquo utriusque desponsatorum consensu posito, ualet illud: *Uti pactum, ita ius esto.*

* Conuentioni de successionis iuribus, neutiquam uero dispositioni de lucro dotis, inest tacita renuntiatio portionis statutariæ. LEYSER *spec.* CCCVII. m. 5 GASSER d. *de lucro dotis, marito in pactis dotalibus concesso, portionem statutariam non excludente.*

§. CCCXL.

derogantque statutis.

Unde consequi uidetur mihi (1) pacta dotalia derogare locorum statutis *h*), ideoque (2) illorum sensum, rationem scopumque ex his frustra peti *i*). Verba tamen, si quæ ambigua & fluctuantia u. c. zugeworben Gut, posuerint paciscentes, quæ statuta explicant, ex his explicanda esse largior *k*).

§. CCCXLI.

Pactorum dotalium dissolutio.

Pacta dotalia dissoluuntur (1) *utriusque dissensu* (§. CCCXXXVII, 2.), (2) *matrimonio non contracto*, aut (3) contracto qui-

h) CHRISTO. HENR. de BERGER disquis. *Utrum & quousque pacta dotalia ex statutis sint interpretanda ac supplenda.* §. VI.
i) ID. c. d. §. XXIX.
k) ID. c. d. §. XIV. seq.

quidem, ſed poſt pro *nullo* declarato (§. CCCXXXVIII, 4.). (4) *Superuenientia liberorum* pacta dotalia ſoluit, Kinder zeugen bricht Eheſtiftung, tantum quod ad caput ſucceſſionis in caſum, ſi matrimonium improle foret, determinatæ, non uero quod ad reliqua.

* Neutiquam uero unius *mora*, pacta dotalia adimplendi, ſi adimplementum adhuc fieri poteſt.

§. CCCXLII.

Quid ſignificet formula: Hut bey Schleyer?

Ubi pacta, de quibus dictum, continent uerba: ſie ſetzen Hut bey Schleyer, und Schleyer bey Hut *l*), uel ſie verheurathen Leib an Leib, Gut an Gut *m*), uel ſie haben verglichen, daß der letzte ſolle die Thür zu thun *n*); ſuperſtes (1) *liberis, ſi qui adſint*, præſtare debet præcipuum, den voraus, ſibi reliqua bona ad dies uitæ retinens, dummodo ea non dilapidet, nec mutet ſtatum uiduitatis *o*); (2) *deficientibus* uero *liberis*, licet (*a*) agnati ſuperſint, aut (*b*) defunctus uoluntatem his pactis contrariam declarauerit, tamen lucratur omnia

l) WERNER c. d. §. 10. ſeq.

m) WEHNER *obſ. pract.* u. Gut.

n) HAHN ad WESENB. tit. *Unde uir & uxor* nr. 3.

o) Fuldaiſche Verordnung von erſterer und fernerer Ehe de A. 1719. §. 1. ſeq. apud Dn. SCHMIDT... DOLFFUM *collect. ſtatutor.* p. 612.

omnia defuncti bona, quocunque ueniant nomine *p*), non tamen ea, quae defunctus sperauit, &, si diutius in uiuis mansisset, ex parentum acceperit hereditate. Si uero parentes liberorum nomine pacta dotalia confecerint h. u. Hut bey Schleyer, und Schleyer bey Hut, auch was eines oder das andere dermahleins aus Elterl. Erbschaft zu gewarten, ꝛc. aliud dicendum erit *q*).

§. CCCXLIII.

Qu. an aliqua in uim ultimæ uoluntatis contrahantur?

Dari pacta dotalia, quæ uim ultimæ uoluntatis haberent*, & ex LL Romanis æstimari deberent, negarem *r*), propterea quod (1) omnia in conuentionibus sint, & (2) solo desponsatorum consensu ineantur (§. CCCXXXVI, 1.) sicque (3) nullum unius dissensu dissolui queat (§. CCCXXXVII, 3.). En causam, cur in omnium & singulorum instrumentis contineantur formulæ: ist einmüthiglich abgeredet und verglichen worden it. alles treulich, sonder gefährde und Arglist *s*).

* Pacta, quæ maiores nostri solebant super communione bonorum inire, iisque, quid superstitis

p) MASCOVII pr. *de paroemia iuris germanici*: längst Leib, längst Guth.

q) WERNER c. d. §. 26.

r) TITIUS *obseru* 774. FRANC. ERNST. VOGT. *de iure coniugum in bona* proleg. §. 24. c).

s) WEHNER *obs. pract.* u. treulich. WERNER c. d. §. 15.

tis coniugis esse deberet, determinare, ICti Germani ex Italia reduces, propterea quod ineunte matrimonio inirentur, habuerunt Romanorum dotalia, quum tamen hæc inuicem obiecto differant quam maxime. Hoc præiudicio occæcati, & l. Romani, quo super hereditate pacisci non licet, memores, docuerunt, successionem huic negotio subesse, eamque in hereditatis partem, non tamen ex iure hereditario, sed ex singulari legis dispositione fieri Verba porro paciscentium captantes, ea pacta duplici modo iniri, ideoque duplicis generis esse statuerunt, alia scilicet *simplicia*, alia *mixta*. Per *hæc*, pacta per modum ultimæ uoluntatis, per *illa*, pacta per modum contractus inita intellexerunt, & sciscitantes: *num hæc & illa pacta dotalia simplicia sint an mixta?* attendere iusserunt uerba paciscentium, quæ si fuerint: haben, behalten, schencken, nichts herausgeben 2c. contractum initum; sin erben, succediren, mit den Kindern zu gleichen Theilen geben 2c. ultimam uoluntatem; sin erblich behalten, transactionem declaratam esse statuentes. Ast sic captare cœperunt uerba, quæ nunquam captarunt maiores nostri.

§. CCCXLIV.

Hodie (1) quorundam locorum leges t) & statuta *scripturam u*), immo *iudicialem confirmationem x*) suo modo exigunt; & — Praxis hodierna.

t) u. c. *Hassiæ inferioris*. vid., WERNER c. d. §. 18.

u) *Stat Hamburg* II, 11, 11. Fuldaische Verordnung c. l. §. 8.

x) Anhält. L. O. tit. 17. Wolfenb. L. O. art. 15. LEYSER spec. 310.

& (2) praxis distinctioni pactorum in simplicia & mixta tribuit usum.

§. CCCXLV.

Itaque mirum non est, plerosque rerum forensium peritos y) statuere, *pacta dotalia mixta* (*a*) quinque testes* requirere; (*b*) alterius dissensu reuocari, atque (*c*) per testamentum superueniens tolli & mutari posse; (*d*) non ualere, in quibus nulla legitima parentibus relicta est.

* Sine his condita pacta tunc demum ualere dicuntur, siquidem paciscentium heredes ab intestato praesentes fuerint.

§. CCCXLVI.

Quia uero notae characteristicae pactorum dotalium simplicium & mixtorum nulla ratione nituntur z), Dd. aliqui iubent (1) attendi uerba, quibus paciscentes usi sunt, num ea contractum firmamque obligationem sapiant, nec ne? statuentes, illo casu, per modum contractus inita esse pacta dotalia, licet horum instrumenta, quibus (*a*) clausula codicillaris, (*b*) uerba: auf den Todesfall, aut alia ultimis uoluntatibus respondentia, leguntur, quinque testes subscripserint *a*)

(2) in

y) BERGER. *E. D. F.* part. I. p. 1215. WERNH. p I. *obs.* 282.

z) Dn. BOEHMER c. d. c. 2. §. 2.

a) LEYSER *spec.* 308. m. 5. seq.

(2) in conficiendis pactorum instrumentis uel hanc clausulam: *omnia per modum contractus & actus inter uiuos conuenta, rata esse debere b)*, uel illam: *ut in uim ultimæ uoluntatis ualeant c)*; adhiberi, prouti paciscentes *simplicia* aut *mixta* celebrandi animum habeant.

TIT. XIV.
DE
MATRIMONIO.

§. CCCXLVII.

Matrimonium est pactum, quod masculus & femina, consentientibus iis, in quorum adhuc fuerunt mundio, de sobole procreanda & sorte communicanda ineunt. **Matrimonium**

§. CCCXLVIII.

Ut uero sors reuera communicetur, & sibi inuicem succedant desponsati, illud requirunt mores Germaniæ, ut consensu matrimoniali ab utraque parte publice & secundum LL. declarato, sponsus *adscendat thalamum*, in eumque sponsam recipiat suam daß das Bette beschritten und die Decke beschlagen werde.

§. CCCXLIX.

b) STRYK *de* C. C. sect. III. c. 8. §. 23.
c) SCHILTER *exerc.* VIII. §. 41.

§. CCCXLIX.

Unde hæc deriuo axiomata:

I. Matrimonium in pactis eſt.

II. Matrimonium iniri nequit, niſi conſentientibus iis, in quorum mundio adhuc fuerunt illud contracturi.

III. Sobolem procreare uolunt matrimonium ineuntes.

IV. Conſcenſio thori ſolemnitas eſt, qua matrimonium conſummatur &

V. ſortem ſuam coniugum unus cum altero communicat.

§. CCCL.

eſt pactum, quod, ubi

Quia matrimonium pactum eſt (§. pr. 1.), quodlibet autem pactum in contrahentibus requirit conſenſum liberum: ſequitur (1) ut *furioſi*, *mente capti &c.* matrimonium inire nequeant; (2) ut *errore, dolo, metuque* uitietur matrimonium; (3) ut *matrimonium coactum* nullum ſit, niſi ſuperior ex iuſta cauſa aliquem ad id coegerit.

§. CCCLI.

conſentientibus parentibus

Ad ſecundum (§. CCCXLIX, 2.) notes uelim, quod (1) requirendus ſit *conſenſus parentum* (§. CCXCIX, 9.), *tutorum*, *dominorum* (§. XXXIII, 3.)* *d*), & (2) eo

d) POTGIESSER *de ſtatu ſeruorum* II. 2.

eo neglecto, ex* moribus quorundam germaniæ populorum, olim nullum fuerit matrimonium *e*); ex moribus autem aliorum, is, qui neglexerat consensum, exheres scribi potuerit *f*).

* Pro quorum consensu alicubi certa pecuniæ summa, quam Scoti *marchetam*, alii *maritagium* uocant, soluenda est. Unde hæc ueniat, disquirit KEYSLER *antiq. Celt.* p. 484.

§. CCCLII.

Ex eo, quod sobolem procreare uelint matrimonium ineuntes (§. CCCXLIX, 3.) dignosci potest (1) cur *masculi*, qui uas feminæ penetrare & in illud, quod penetrarunt, semen immittere, itidem *feminæ*, quæ penetrari & semen recipere nequeunt, matrimonii incapaces sint; (2) cur, qui illud contraxerunt, ad *debitum coniugale* sibi inuicem exhibendum obligentur, & (3) pars, illud præfracte denegans, mediis coerceri possit ciuilibus. de sobole procreanda

* Quia CAESAR *de B. G.* VI, 21. turpe fuisse testatur, ante XX. annum ætatis rebus se immiscere coniugalibus; propterea nullus dubito, pubertatem olim ex annis, non inspectione, ut quidam somniant, æstimatam esse.

N 2 §. CCCLIII.

e) *L. Wisigoth.* II, 1, 2, & III, 2, 8. *Longobard.* II, 2, 4.

f) *L. Anglion.* X, 2.

§. CCCLIII.

more ecclesiastico

Simul ac Germani Christo dederunt nomina, inualuerunt *proclamatio*, *solemnis desponsatorum oblatio*, *benedictio sacerdotalis*, *societas paranymphorum &c.* *g*). Quibus tamen ceremoniis, quum potius ecclesiasticæ sint quam germanicæ, iam immorari nolo*.

* Velatio sponsæ apud omnes, oppositio autem gladii sponsæ in domum sponsi ingressuræ ab huius agnato facta apud Frisios tantum, in usu fuit.

§. CCCLIV.

nec cum prohibita initum,

Sic quoque in Germania tunc demum, ubi christianæ pietatis lumen affulsit, *personæ* nominatæ sunt, *inter quas nullæ consistere possint nuptiæ**. Sunt autem *fratris defuncti uidua b*), *uxoris defunctæ soror i*), *socrus*, *nurus*, *priuigna*, *nouerca &c. k*), &, ut paucis multa dicam, inter easdem personas capitularia prohibent nuptias, inter quas canones & pontifex *l*).

* Olim germanus non nisi in *Germania* natam ducere poterat. TACITVS *de M. G.* c. 2. 4.

§. CCCLV.

g) *L. Wisigoth.* XIII, 3. 8. *Longobard.* I, 30, 15. *Capitul.* VI, 133, 327, 408. VII, 179, 363.
h) *L. Longobard.* II, 8, 3.
i) c. l. II, 8, 4.
k) *L. Baiuuar.* VI, 1, 8.
l) V. C. POLAC *syst. iurispr. germ.* I, 7, 4.

§. CCCLV.

Capillis solutis incedebant, atque coronam, qua libidinum uictoria significabatur, portabant *m*), hierologiam petituri. Unde (1) olim iudex, in natiuitatis testimonio, hac phrasi quandoque usus est: es wären N. Eltern mit fliegenden Haaren zur Kirche und Strassen gegangen, (2) hodie uero conuiuæ postridie nuptiarum sponsæ coronam eripere, & uelum capiti iniicere, atque (3) defloratæ, ereptæ uirginitatis pretium exigentes, urgere solent: daß ihnen der Crantz bezahlet werden möge.

§. CCCLVI.

Si conscensio thori solemnitas est, qua consummatur matrimonium (§. CCCXLIX, 4.): certe (1) ea est *necessaria*, & ad amussim exhibenda, ideoque per æquipollens suppleri nequit *n*); (2) licet quis casu aut magicis artibus impeditus thorum non conscenderit, tamen matrimonium consummatum non habetur; (3) causa fuit, cur Maximilianus *o*), aliique

& conscensione thori confirmatum est,

m) MADERUS *de coronis nuptialibus*.

n) CHRISTO. FRID. HARPPRECHT d. *de conscensione thori coiugalis*.

o) IDEM c. d. §. 13.

que, ſicut potuerunt *p*), per procuratores thalamum conſcenderint.

§. CCCLVII.

Ex eod. patet principio, (4) ſponſam tunc demum uxoris nomen & iura conſequi, wenn ſie in des Mannes Bett getreten *q*); (5) ſtragulum obductum, & culcitram ſuperductam eſſe ſufficere *r*), nec (6) carnalem requiri copulam. Unde ſponſa, cuius ſponſus prima nocte concubitus moritur, habetur uidua. Contra (7) ſi alter deſponſatorum a ſacerdote benedictus ante conſcenſionem thori coniugalis moritur, matrimonium, quod ad ſucceſſionem, non audit conſummatum *s*).

§. CCCLVIII.

Ex eodem denique colligi poſſe puto (8) adſcenſione thori, immo reali coitu, conſummari non poſſe matrimonium, quod (*a*) nondum initum, uel (*b*) nullum, uel (*c*) contra legem prohibitiuam contractum eſt. Itaque ſponſus, ubi,

p) de LVDEWIG d. *de matrimon. princip. per procurat.* KLEIBERT d. *de primar. comm. bonor. coniug. eff.* §. 8.

q) *Spec. Sax.* III, 45. & Gloſſ. lit. *e*) *Allemann.* art. 324.

r) GVNDLING *de emt. uxor.* p. 72.

s) MOLLER *ſemeſtr.* III, 23. nr. 5.

ubi, poſt carnalem ſponſæ ſuæ cognitionem, ſacerdotalem impetrauit copulam, ſed, ea impetrata, deceſſit ſine noua thori adſcenſione, matrimonium conſummaſſe non uidetur *t*).

§. CCCLIX.

Ex ultimo (§. CCCXLIX, 5.) denique cognoſcere licet, (1) cur mariti laborum periculorumque ſocia, ac (2) illius *bonorum*, quæ ſine facto tertii transferri queunt, particeps fiat uxor; (3) cur mariti *nomen*, *dignitatem* *, *iura*, *forumque* conſequatur, & retineat *uidua*. producit communionem,

* Excipe tamen feminam equeſtris uel plebeii generis, principi nubentem. HEINECC. c. l. §. CCXXV. * Contra nec iura nobilitatis ſuæ amittit femina maioris nobilitatis ſuæ amittit femina maioris nobilitatis, ubi maritum eiusdem nobilitatis, gradu tamen diuerſæ, ſortita eſt. Hinc uxor comitis, principe nata, aliis comitum uxoribus in itu ſeſſuque præferri ſolet. de LVDOLF. *de iure femin. illuſtr.* p. m. 28.

§. CCCLX.

Præterea rite (§. CCCLIII. ſeq.) conſummato matrimonio (4) maritus fit *curator* uxoris; (5) incipit deberi *morgengaba*, *gerada*, *dotalitium*; (6) *liberi* naſcuntur *legitimi*, eiusdemque ſtatus & conditionis, niſi matrimonium impar ſit. & effectus alios.

t) CARPZOV. III, 19, 1. GERDES *de ſucceſſione inter uirum & uxorem* ſect. 3. § 8.

§. CCCLXI.

Iura matrimonii imparis.

Eſt autem *impar* triplici modo* (1) ubi *nobilis ſuperior* nobilem inferiorem ducit, (2) ubi *nobilis inferior* plebeiam ſibi ſociat, (3) ubi *libera* nubit ſeruo. *Hoc* matrimonium capitali odio proſecuti ſunt Saxones *u*), Longobardi *x*); Friſiones uero mulierem liberam mancipio ſe lubenter iungentem, cum omnibus natis addixerunt domino *y*), & *Franci* eam inſuper iure in paterna bona ſuccedendi priuarunt *z*). *Illud* tantum aliis fuit deſpicatui ac liberis impedimento ad dignitates eccleſiaſticas & haſtiludia adſpirandi (§. CXXVIII. ſeq.), nunquam tamen a patris ingenuitate feudoue arcuit; *iſtud* ſemper permiſſum fuit, hac tamen ſub lege, ut liberi ex eo nati non fierent participes dignitatis nobilitatisque paternæ, niſi eorum mater nobilitatem maiorem impetrauerit.

* Matrimonium inter feminam diuitem & uirum pauperem initum uix impar uel contemnendum habuerunt maiores noſtri.

§. CCCLXII.

u) ADAMVS BREMENSIS *H. E.* I, 5. EGINHART. in *uita Caroli M.*

x) II, 9, 2.

y) tit. VI.

z) PITHOEVS *Annal. Franc.* ad An. 843. WENDELINVS *comment. ad L. Sal.* tit. I. c. 14. §. 11. *L. Ripuar.* tit. 58. §. 15.

§. CCCLXII.

Hodie nihil mutatum eſt. Adhuc requiritur, ut matrimonium contracturi (1) ſint *puberes*, licet pubertas uariis in locis uarie determinetur, & alibi conficiatur XVI. *a*), alibi XX. annis *b*) (§.XX.); (2) *patris c*), *matris d*), *dominorum e*) *conſenſum* impetrent; (3) *paris* ſint *conditionis*, ne ſtatus uxoris reddatur deterior, aut liberi peioris conditionis procreentur. Libera enim, quæ ſeruo nubit, fit ancilla (§. XXX. a) *f*), & matrimonia, quæ nobiles cum ruſticorum aliorumque uilioris conditionis hominum filiabus contrahunt, in Ducatu Magdeburg. *g*) Weſtphalia Colonienſi *h*) &c. ad L. Salicam contracta cenſentur. Denique (4) ut poſt benedictionem ſacerdotalem *thorus*

Uſus hodiernus.

a) *Ordin. Polit. Luneb.* tit. 30. So wollen wir ꝛc. HAHN ad WESEMB. de R. N. nr. 4.

b) *Statuta Nordling.* p. III. tit. I. §. 1. HOFFMANN d. *de ætate contrah. matrim. idonea* c. 2. §. 2.

c) Bayer. L. R. tit. 3. art. 3.

d) *Ord. Conſiſt. Marcb.* tit. 59. *Ius Lubecenſe* I, 4, 4. ibique MEVIVS.

e) Ravensberg. Eigenth. R. c. l. §. 9. 22. Oſnabr. c. 4. §. 12. STEINMEIER *de iure propr.* p. 25.

f) Oſnabr. Eigenth. R. c. l. §. 13.

g) *Edict.* 1697. 1709. ap. MYLIVM p. III. p. 471. 605.

h) *Edict. Erneſti Elect. Colon.* An. 1597.

rus conſcendatur, uolunt Ius Saxonico-Electorale *i*), Würtembergicum *k*), Sileſiacum *l*), Badenſe *m*), Lubecenſe *n*), Francofurtenſe *o*), & al.

TIT. XV.

DE

MORGENGABA.

§. CCCLXIII.

Morgengaba, quæ

Morgengaba eſt donatio, quæ uxori poſtridie nuptiarum eum in finem fieri ſolet, ut, poſſeſſionem thori adprehenſam eſſe, ſignificetur *p*) *.

* De ea morgengaba, quæ uiduæ ex mariti mortui bonis, ſpeciatim pecoribus, alicubi debetur, infra dicendi locus erit.

§. CCCLXIV.

Itaque de morgengaba hæc obſeruanda erunt:

I. Mor-

i) *p*. III. *conſt*. 19.

k) LandR. *p*. IV. *tit*. wie Eheleute rc. HARPPRECHT c. d. c. 2.

l) art. 7. c. 2.

m) HARPPRECHT *collat. I. Ciu. & March. Badenſ.* §. VII.

n) MEVIVS *ad I. Lub*. II, 2. 12.

o) *Ref. Francof.* p. II. tit. 3. §. 5.

p) *L. Ripuar.* tit. 37. §. 2. *Longobard.* II, 1, 4. 8. tit. 4. §. 1. 4. tit. 12. §. 1. tit. 14. §. 15. *Alamann.* tit. 56. 325. *Burgund.* tit. 42. §. 2. *I.P.S.* I, 20. 45.

I. Morgengabæ datio in donationibus eſt, &
II. quod ad quantitatem regulariter arbitraria.
III. Datur in ſignum conſummati matrimonii.

§. CCCLXV.

Ex primo (§. pr.) conſtare puto, rerum in morgengabam datarum plenum *dominium* in uxorem transire *q*). Unde (1) neque maritus, neque liberi prioris matrimonii, prædii in morgengabam dati faciem mutare, eiue ſeruitutem imponere poſſunt; (2) uxori non poteſt non competere poteſtas, morgengabam tam inter uiuos quam mortis cauſa *r*), quo modo & in quem uelit, transferendi *s*), atque (3) a marito alienatam reuocandi *t*); (4) in feudo regulariter morgengaba conſtitui nequit. **donatio eſt**

§. CCCLXVI.

Ad ſecundum (§. CCCLXIV, 2.) notes: (1) arbitrium mariti, ubi quantitas pactis dotalibus aut lege prouinciali deter- **dependens a mariti arbitrio,**

q) Ill. BOEHMER d. *de ſecund. nupt. illuſtr. perſ.* c. 2. §. 42.
r) *I. P. S.* I, 20. 21.
s) GVNDLING d. *de coemt. vxor.* c. 4. §. 8.
t) *Spec. Sueu.* c. 296. *I. P. Bau.* tit. 2. art. I.

terminata eſt, ceſſare, ſicque (2) eſſe, cur Dd. morgengabam in *legalem* & *uulgarem* diuidere ſoleant.

* Aliqualem morgengabæ determinationem a lege factam deprehendis in *LL. Longobard.* II, 4, 1. *Capit.* II, 1. Quid uero poſtea ad legalem pertinuerit, determinatum non eſt *Spec. Sax.* I, 20. *Sueu.* c. 296., ut quidam iudicant.

§. CCCLXVII.

datur in ſignum conſummati matrimonii.

Ex tertio (§. CCCLXIV, 2.) diſcimus (1) morgengabam non deberi (*a*) ubi nullum adeſt matrimonium *u*), aut (*b*) ſponſa ad thorum tantum ducta, aut (*c*) nondum ſolemniter ducta deflorata fuit (§. CCCLIII. ſeq.); (2) cauſam eſſe, cur thoro adſcenſo uxor (*a*) ſiue dotata ſit ſiue indotata, (*b*) ſiue uidua *x*) ſiue uirgo ſiue perforata *y*)* antea fuerit, morgengabam a marito indiſtincte petat, nec (*c*) interſit, iuuenis hic fuerit an uiduus; (3) morgengabam a dote germanica differre *z*).

* Errat itaque BEYER *delin. I. Germ.* I, 24, 1. morgengabam habens ſignum ereptæ uirginitatis.

§. CCCLXVIII.

u) CARPZOV *conſt.* 19. *def.* 405.

x) de LVDWIG *ad A. B.* Tom. I. p. 549. GVNDLING c. l. c. 4. §. 26.

y) SCHMID *comment. ad Ius Bauar.* lib. 1. art. 1. n. 17. COCCEII *iur. publ.* c. 28. §. 6.

z) *I. P. S.* I, 20. GVNDLING c. l. c. 3. §. 24. ſeq. 28.

§. CCCLXVIII.

Hodie plerisque in locis non debetur nisi promissa *a*), & (2) alicubi illius quantitas determinata est. Sic in Neomarchia feminae, quae M. imperiales intulit, X. ducati debentur *b*). Usus hod.

TIT. XVI.

DE

COMMVNIONE BONORVM CONIVGALI.

§. CCCLXIX.

Alicubi & hoc efficit matrimonii consummatio, ut uel sors uel acquaestus inter coniuges communicetur, ita, ut matrimonio constante, ab utroque indiuisim possideatur. Communionem bonorum

§. CCCLXX.

Communionem bonorum iam aetate Taciti *c*) Caesarisque *d*) in Germania obtinuisse usu, non omnino patet. Illud tamen certum est, quod (1) *Wisigothi e*) *Fran-*

a) BEYER *delin. I. G.* II, 16, 14. seq.
b) Constitution für die Ritterschaft der Neumarck ꝛc. de A. 1724. §. 34. ap. MYLIVM *Corp. Const. March.* p. 147.
c) *de M. G.* c. 20.
d) *de B. G.* VI, 19.
e) IV, 2, 16.

Franci f) aliique germaniæ populi, non tamen omnes*, ſeruauerint eam, quodque (2) ratio communionis alia apud *Wiſigothos*, alia apud *Francos* fuerit **.

* Nam u. c. apud Oſtfalaos & Angrarios uxor dote ſua debebat eſſe contenta. *L. Saxon. tit. 9.* ibique GAERTNER. Sic quoque in *LL. Alamannorum, Boioariorum, Anglionum, Friſionum* me quicquam de communione bonorum legere uix memini.

** Apud *Wiſigothos* ſemiſſem, geometrica ratione habita, capiebat uxor; apud *Francos* uero tertia pars bonorum indiſtincte cedebat uiduæ. Quod poſtea mutarunt *Capitularia Caroli M. & Ludouici Pii* IV, 9. V, 295. quibus diſpoſitum, ut, ex feudalibus acquiſita quod ad tertiam, aliunde uero quæſita quod ad dimidiam partem, caperet uidua.

§. CCCLXXI.

Eam poſtea ab omnibus fere germaniæ populis adprobatam uidere mihi uideor legens duo iſta *Specula g*) & *Ius Lubecenſe h*).

§. CCCLXXII.

tam uniuerſalem,

Communio bonorum uel ſortis eſt ſeu *uniuerſalis*, uel acquæſtus ſeu *particularis* (§. CCCLXIX.); utraque uero uel *legitima* uel *pactitia*. *Uniuerſalis* complectitur

f) *L. Ripuar. tit.* 37. §. 2.
g) *I. P. Sax.* I, 31. *Sueu.* c. 46.
h) II, 2, 12.

tur bona cuiusuis generis *, nulla habita ratione (*a*) *nominis* quo ueniunt, aut (*b*) *modi*, uel *temporis* quo adquisita sunt, aut adhuc adquirenda *i*).

* Bona tamen immobilia huc non pertinent, nisi sita sint in loco domicilii, ubi uiget bonorum communio.

§. CCCLXXIII.

Bonorum communio particularis, Errungenschaft *, ea tantum bona adficit, quæ ex negotiatione, artificio, operaue coniugum uenerunt, matrimonio constante. quam particularem,

* Quia uero bona errungene und wohlgeworbene Güter *modo* hereditariis, *modo* hereditariis & aduentitiis simul, obiiciuntur: non possunt non uocabuli notione, accurataque statutorum cuiusque loci inspectione neglecta, errores nasci.

§. CCCLXXIV.

Unde hæc elicio axiomata:

I. Communio bonorum est effectus matrimonii.

II. Quicquid in societate iustum est, illud in communione bonorum æquum esse debet.

§. CCCLXXV.

Ex primo (§. pr.) intelligere potes (1) communionem bonorum *nullam* esse, ubi ma- producit matrimonii consummatio.

i) WESEL ad *Nou. Const. Ultrai.* 10. nr. 33. seq.

matrimonium *uel* conſenſus intuitu nullum, *uel* adſcenſo thoro nondum conſummatum eſt *k*); (2) eam iisdem modis *ſolui*, quibus matrimonium, ideoque morte, adulterio &c. neutiquam uero unius diſſenſu *l*); (3) uxori, etiam indotatæ, ius communionis competere; (4) coniugem *ſuperſtitem* cum liberis uel heredibus defuncti bona diuidere debere, præſertim ſi ad ſecunda uota tranſire uelit *m*).

§. CCCLXXVI.

Ea, ad inſtar ſocietatis, Ex ſecundo (§.CCCLXXIV, 2.) ſequitur (1) ut damni & lucri, ſicut eadem eſt cauſa, ita quoque eadem debeat eſſe ratio; (2) ut, ſicuti lucrum ita & damnum *, inter coniuges ſit commune, & quidem ex æquis partibus, niſi aliud pacto aut ſtatuto definitum ſit.

* Illud uero damnum, quod ex delicto uenit, eſt delinquenti proprium. RODENBVRG *de iure coniug.* tit. 2. part. 2. n. 3.

§. CCCLXXVII.

inuoluit alienationem dum uel ſortem Communio ſortis (1) facit, ut bona, quæ quisque coniux ante matrimonium ini-

k) *I. P. S.* I, 45. III, 45.

l) WEYER *de commun. bonor.* p. I. th. 27. ſeq. p. 212. ſeq.

m) *Stat. Hamburg.* III, 3, 4. MEVIVS *ad Ius Lubecenſ.* I, 5, 5.

initum habuit, aut eo constante, hoc uel illo modo quæsiuit, sint communia, possideantur que communiter *n*) sine traditione; utque (2) dissoluta communione, tam bona quam æs alienum in duas semisses diuidantur. Sic quoque (3) illius obiectum esse nequeunt bona, quæ alienari uel lex uel conuentio uel aliud quid prohibet, utpote *feuda*, *prædia auita*, *fideicommissa*, *bona maioratus*, *colonaria*, *o*) &c. quamuis fructus ex iis percepti, inter coniuges communes sint.

§. CCCLXXVIII.

Et quum particularis bonorum communio acquisita tantum bona tangat (§. CCCLXXIII.); constabit, eo non pertinere (1) quæ alteruter coniugum ante matrimonium initum *p*) habuit, aut (2) hoc constante, fortunæ beneficio, uel iure hereditario quæsiuit; aut (3) iure sanguinis retraxit. Contra eo pertinent (*a*) res tam communi, quam alterius *opera* & *industria* u. c. mercatura, re cauponaria &c. quæsitæ *q*); (*b*) *fructus*, quos tu- uel acquæstum siue

n) *I. P. S.* I, 45.

o) WEYER c. l. p. I. th. 15. p. 118. seq.

p) HEESER *de adquæst. coniug.* p. II. loc. 18. nr. 2.

q) IDEM c. l. nr. 33. seq.

tulerunt prædia huius & illius generis nominisue *r*).

§. CCCLXXIX.

lucrum communicat.

Quia damni & lucri eadem debet eſſe ratio (§. CCCLXXVI.): ſequitur (1) ut, ſi *uniuerſalis* communio uſu recepta, pactoue probata, ex bonis communibus quæuis debita expungi debeant *s*); (2) ſin *particularis*, neque nomina ab alterutro coniugum, ante matrimonium contracta neque expenſæ funebres *t*) ex bonis communibus ſolui debeant; (3) ut paroemia: die dem Mann traut, traut auch den Schulden *u*), non ubique idem denotet.

§. CCCLXXX.

Quæ, conſtante matrimonio communia eſſe, quæque eodem ſoluto, ad ſuperſtitem, uel extantibus uel deficientibus liberis, peruenire aut ad latus reuerti debeant, pactis dotalibus ſæpe (§. CCCXXXIX.), ſæpe ſtatutis definitur. Ubi pacta dotalia illud determinant, initum matrimonium dicitur eine verdingte Heurath ꝛc. *x*); ſin ſtatuta, pars ſuperſtiti adſignata dicitur *ſtatutaria portio*.

§. CCCLXXXI.

r) HEIGIUS p. I. q. 2.
s) LYNCKER d. *de acquæſtu coniug.* §. 31.
t) WESEL tr. 2. c. 3. nr. 76.
u) HERT. *lib. 1. par. 70.*
x) WEHNER *obſ. pract.* u. Amtshand-Güter.

§. CCCLXXXI.

Adhuc hodie in nonnullis germaniæ locis uiget bonorum communio. Probant enim eam *Slesuicensium*, *Eiderstadensium & Husumensium* leges, *Bremensium*, *Hamburgensium* & *Mindensium*, statuta, *Cliuensium*, *Luneburgensium*, *Marcanorum & Rauensbergensium* consuetudines *y*). Ut aliarum prouinciarum iura tacitus prætercam. Usus hodiernus

§. CCCLXXXII.

Non tamen ubique eodem uiget modo. Nam (1) *alibi* omnia bona etiam inalienabilia *z*) communicantur, *alibi* communio ad acquæstum restricta est, *alibi* bona immobilia ad illud latus, unde profecta sunt, reuertuntur, usufructu tamen superstiti saluo *a*); (2) *alibi* ad contrahendam bonorum communionem matrimonii sufficit consummatio, *alibi* præter eam sobolis procreatio *b*), uel cohabitatio per annum & diem *c*) requiritur; (3) *alibi* pactitia contrahi potest sine ulla non ubique idem est.

y) HEINECCIUS c. l. §. 275. seq.

z) FR. ERNST. VOGT *de iure couiugum in bona* §. 13. seq.

a) WEYER c. l. p. I. p. 232.

b) *Ref. Francof.* p. II. tit. 3. §. 5. *I. P. Würtemb.* p. IV. tit. 2. Vid. HOFFMANNI d. *de comm. bonor. coniug.* §. 4. p. 27.

c) WESEL. *de connub. bonor. soc.* tr. I. p. 10.

ſolemnitate, *alibi* iudicialiter demum, ſi immobilia contingat bona, facta nimirum ceſſione & reſignatione dominii *d*); (4) beneficium ceſſionis bonorum uxori datur *alibi e*), *alibi* negatur; (5) inter defuncti liberos & ſuperſtitem, dum hic manet in uiduitatis ſtatu, communio bonorum uniuerſalis durat *alibi*, *alibi* particularis, *alibi* nulla; (6) pro diuerſitate locorum uariat, aut reprobatur der Beiſitz *f*).

TIT. XVII.

DE
DOTE, DOTALITIO ET AVGMENTO DOTIS.

§. CCCLXXXIII.

Dos **D**otis nomine uenit pecunia uxori a marito* data, ut inde uitam pro dignitate toleraret uidua.

* Quod dotem marito non obtulerit uxor, docet TACITVS *de M. G.* c. 18. & luculenter ex antiquis germaniæ LL. probat POLAC. *Syſt. Iuriſpr. Ciu. Germ.* I, 9.

§. CCCLXXXIV.

iuſta Dotis, quæ in *qualibet re* conſiſtere poterat, *quantitas*, dependens ab arbitrio

d) *Stat. Zittau.* tit. 1. von Erbfällen §. 2.
e) *I. Hamburg.* II, 2, 15. *Lubec.* III, 1, 10.
f) *I. Bad.* p. VI. tit. 6. *Palat.* p. IV. tit. 13.

trio mariti, plerumque pactis dotalibus (§. CCCXXXIX.) quandoque legibus g) determinabatur. Sin nullo modo determinata esset, eam adhuc determinare debebant defuncti heredes legitimi.

§. CCCLXXXV.

Unde has deriuo regulas:

I. Dotem uxori fert maritus.
II. Dos in reuocabile uxoris transit dominium.
III. Dos constituitur, ut uidua facta haberet unde pro dignitate uiueret.

§. CCCLXXXVI.

Quia dos uxori qua tali constituitur (§. CCCLXXXV, 1.): uides eam (1) *constitui* debere, siue uxor diues sit, siue inops & nuda, (2) constitutam uero *non deberi* matrimonio per sententiam iudicis soluto, propter illicita facta uxoris, ut si (*a*) *adulterium* commiserit, & maritus accusationem præparauerit; (*b*) si *insidias* uitæ mariti struxerit. **uxori debetur,**

§. CCCLXXXVII.

Ex secundo (§. CCCLXXXV, 2.) sequitur (1) ut uxor dote *uti frui*, immo (2) de ea pro lubitu ad tempus *disponere*

 pos-

g) *L. Wisig.* III, 1, 5. L. *Ripuar.* XXXVII, 2.

posſit, niſi (*a*) aliter conuentum, aut (*b*) quod LL. Wiſigothorum ſtatuunt *b*), liberi nepotesue adſint.

§. CCCLXXXVIII.

ut uidua pro dignitate uiuere posſit.

Denique ex tertio (§. CCCLXXXV, 3.) dignoſci poteſt (1) uxorem, quæ uiuo adhuc marito dotem posſidet, ad inſtar *expectatiuariæ* eſſe; (2) *ceſſare* dotem, ſimul ac uidua moritur *i*), aut ad ſecunda uota prouolat *k*). Quo facto dos redit ad proximos auctoris ſui heredes.

§. CCCLXXXIX.

Vateruium adferebat uxor.

Ad maritum de ſede paterna olim, ſub *Vateruii l*) nomine, ſecum ferebat uxor munera tenuia & leuioris pretii, arma ſcilicet & pecora *m*). Poſtea uero dona, quæ maritis ſuis dabant uxores, in auro & argento conſiſtere cæperunt.

§. CCCXC.

Dotalitium

Dotalitium eſt uſusfructus, quem maritus uxori conſtituit, ut uidua dignitatem ſuam tueri queat. Eſt itaque ipſa dos germanica (§. CCCLXXXIII.).

§. CCCXCI.

b) III, 1, 4.
i) *L. Sax.* VIII, 1. 3.
k) *L. Burg.* XLII, 1. LXIX, 1.
l) *L. Longob.* I, 9, 12. II, 1, 4. & 4, 15.
m) *L. Alamann.* tit. 34. *Wiſigoth.* III, 1, 5.

§. CCCXCI.

Unde de causa constare puto, cur dotalitium (1) a marito sit constituendum (§. CCCLXXXIII. *); (2) debeatur *uiduæ*, atque (3) dicatur uidualitium Wittum *n*); (4) debeatur uxori, licet nihil ad maritum attulerit (§. CCCLXXXVI, 1.) *o*); (5) in quacunque re (§. CCCLXXXIV.), non tamen in prædiis feudalibus (§. CCCLXXXVII, 3.) *p*), constitui queat; (6) mox pactis dotalibus, aut legibus, quod ad quantitatem & qualitatem, determinatum **, mox adhuc determinandum ab heredibus præstari debeat. est ipsa dos germanica

* Hinc cessat (*a*) ubi uidua ex uita discessit *I. P. S.* I, 32. III, 38. aut (*b*) secundas contraxit nuptias, wenn sie den Wittwen-Stuhl verrücket (§. CCCLXXXVIII, 2.), nisi aliter conuentum fuerit. Ill. ESTOR d. *an dotalitium cesset propter secundas nuptias?* c. 7. Ill. BOEHMER d. *de secund. illustr. pers. nupt.* c. 2. §. 37.

** Dotalitium constitutum & acceptatum acquirit uidua statim a morte mariti. Non tamen nisi 30. elapso illud occupare potest.

§. CCCXCII.

ICti, Germania oriundi, & Romani tantum iuris principiis innutriti, ubi (1) *dotis Rom.* nomen & iura rebus, ab uxo- cui donationis propter nuptias nomen &

 re

n) GAERTNER *ad L. Sax.* p. 81.

o) ITTIG d. *de uidua ex bonis mariti sustentanda.*

p) *I. P. S.* III, 75.

re marito datis, tribuerunt, (2) dotem autem germanicam, in *donationem propter nuptias* mutatam, uocarunt Wiederlage, Gegen-Steuer, Gegen-Vermächtniß, Verweiß, Gegen-Geld, statuerunt (*a*) dotem maritalem æqualem esse debere muliebri, sicque (*b*) nulli uiduæ dotalitium deberi, nisi quæ probauit, se huius uel illius quantitatis dotem Rom. intulisse, aut in eo esse, ut promissam definitamque cum usuris inferret *q*).

§. CCCXCIII.

iura dederunt.

Porro (*c*) causam adesse statuerunt cur uxor, quæ dotalitium nacta est, dotem repetere nequeat *r*); cur (*d*) dotalitium *secundis nuptiis* non amittatur *s*), nisi hoc uelit lex prouincialis *t*), aut conuentio *u*); (*e*) cur uxori iura dotis Rom. in eo competant.

§. CCCXCIV.

Dotis illatæ probatio.

De illata uero dote, illiusque quantitate constat (1) per *testes* & *instrumenta*, (2) per *confessionem defuncti* *x*). Hæc, quia

q) COLER *p.* I. *dec.* 63. CARPZOV. II, 44, 11. 12.

r) Cel. ESTOR c. d. c. VIII. §. 6. HERTIVS *lib.* II. *paroem.* 22.

s) *I. P. Sax.* III, 76. Ill. ESTOR c. d. c. IV. §. 8. seq.

t) MVLLER d. *de secundis nuptiis* p. 14. seq.

u) Dn ESTOR c. d. c. 5.

x) LVDOVICI d. *de probat. illat. dot.*

quia illecebris facile extorqueri poteſt *y*), non grauat feudales, ſed allodiales tantum heredes, immo nec hos ubique locorum *z*).

§. CCCXCV.

Quantitas dotalitii

De iure uxoris in dotalitio infra dicendi locus erit. De quantitate autem *dotalitii* hæc monebo: eam conſiſtere uel in uſuris dotis *quadruplicatis a*), uel, quod perinde eſt, in uſuris dotis muliebris & maritalis, in unum conflatæ, *duplicatis b*).

§. CCCXCVI.

& augmenti dotis.

Dos maritalis, muliebri non reſpondens, *augmentum dotis* dicitur. Cuius in *Marchia c*), *Pomerania d*) & terris *Megapolitanis e*) probati quantitas non ubique eadem. Alibi enim eſt pars dotis tertia, alibi dimidia *f*), alibi quarta.

§. CCCXCVII.

Dotalitii & augmenti dotis iura ſunt hodie fere eadem. Utrumque enim (1)

O 5 uel

y) CARPZOV. II, 44, 10.
z) *Conſtit. Magdeb.* c. 50. m 1.
a) STRYK d. *de iure uiduar. nobil. in Sax.* c. 1. §. 22.
b) BEYER *delin. I. G.* II, 18, 31.
c) STRYK de *S. A. I. diſſ.* 4. c. 2. §. 20.
d) MEVIUS p. II. dec 224. 228. p. V. dec. 52.
e) COTHMANN *Vol. I. conſ.* 50.
f) ID. c. l.

uel *legale* uel *conuentionale* eſt, atque (2) conceditur tantum uiduæ, ita ut (3) dos, quam probauit illatam, eo abſorbeatur.

§. CCCXCVIII.

Denique notandum, quod, quia Dd. has quæſtiones: (1) *an dotalitium amittatur*, *aut* (2) *ſaltem redimi poſſit*, *mutato uiduitatis ſtatu?* (3) *quid iuris competat uiduæ in dotalitio*, *in rebus mobilibus aut pecunia conſtituto &c.?* deciſuri ſerram contentionis reciprocant, ſatius ſit, eas in pactis dotalibus definiri.

TIT. XVIII.
DE
MARITALI POTESTATE.

§. CCCXCIX.

Maritus poteſtatem

Maritalis *poteſtas* eſt facultas marito competens * cum uxoris ſuæ perſonam dirigendi, tum illius bona adminiſtrandi, adminiſtratisque utendi fruendi (§. CCXCIV.).

* Quid LL. Wiſigothorum, Burgundionum, Alamannorum, Longobardorum, it. ſpecula, Saxonicum Sueuicumque, ſtatuant, luculenter docet b. HEINECCIVS d. *de marito tutore & curatore uxoris legitimo* c. 2. §. 6.

§. CCCC.

in uxoris perſonam

Maritus uxorem regit (§. pr.). Unde (1) dicitur illius *tutor*, ehelicher Vormund, Ehe-

Ehe-Voigt ꝛc. (2) uxorem ad *operas g*), quas poteſt, incitare, & ex præſtitis proueniens emolumentum percipere *h*), (3) eam liberos uberibus alere *i*), iubere, nec non (4) renitentem, moderate* tamen, *caſtigare* poteſt.

* Quæſtionem: *An olim uiris in feminas competierit ius uitæ necisque?* propterea, quod adulterii pœna præſens fuit, & maritis permiſſa, adfirmat HEINECCIVS *Elem. I. G.* §. 265. quo uero iure, uideant alii.

§. CCCCI.

Ex eo, quod bona uxoris adminiſtret (§.CCCC.), immo qua tutor utatur fruatur iis: rationem reddere potes, (1) cur operæ ſeruorum, ad uxorem pertinentium, proſint marito *k*); (2) cur uxor ſine maritali conſenſu bona ſua tam mobilia quam immobilia alienare nequeat *l*); (3) cur ubi femina contraxit mutuum, inuito marito, quoadusque hic uiuit & conſtat matrimonium, in illius bona executio fieri nequeat *m*). bonaque exercet.

§. CCCCII.

g) LVDOVICI *de iurispr. domeſtica* c. 2.
h) *I. P. S.* I, 31. MEVIVS *ad Ius Lubec.* p. II. tit. 2. art. 12. n. 84. ſeq.
i) TACITVS *de M. G.* c. 18.
k) L. *Wiſigoth.* IV, 2, 15.
l) *I. P. Sax.* I, 31. 45. TENZEL *de cura maritali.* HEINECCIVS c. d. c. 2. §. 23.
m) BERGERI d. *de diſcrim. bonor. uxor.* §. 23. ſeq.

§. CCCCII.

Uſus hodiernus.

Licet in *Marchia Brandenburgica n*), terris *Brunſuicenſibus o*) & aliis Germaniæ prouinciis cura feminarum plane exoleuerit, & in *Saxonia* maritus, nonniſi a magiſtratu confirmatus, uxoris ſuæ tutor eſſe queat: tamen poteſtas maritalis, quam h. t. delineauimus, ubique ſupereſt, laxior alibi, alibi reſtrictior. Mox enim in omnibus negotiis, mox in iis tantum extraiudicialibus, ubi maritus non fit auctor in rem ſuam *p*), maritalis conſenſus uxori ſufficit.

§. CCCCIII.

Iure *Lubecenſi* uxor ſine conſenſu mariti ultra binos numos & dimidium contrahere nequit *q*) Sic quoque *I. Hamb. r*) de lino tantum contrahere poteſt, ſine maritali conſenſu. *Iure Sax.* uxor bona ſua, ne quidem adſtante curatore, abſque mariti conſenſu, ualide alienare poteſt *s*).

§. CCCCIV.

Quæ poteſtas in uxorem quidem transferri nequit, tamen pacto circumſcribi, im-

n) STRYK *V. m. ff.* III, 1, 5.
o) ID. ad LAVTERB. p 105.
p) CARPZOV. *de iur. feminar. dec.* 3. *poſ.* 8.
q) I, 10, 1.
r) p. II. tit. 8. art. 1.
s) CARPZOV. p. II. *conſt.* 15. def. 25.

immo durante matrimonio, uel ob mutatam uxoris conditionem uel ob uitia mariti, imminui poteſt.

TIT. XIX.

DE MATRIMONIO AD L. MORGANATICAM.

Von der Antrauung an die Lincke Hand *t*).

§. CCCCV.

Quando matrimonium (§.CCCXLVII.) ſolemniter quidem, ſed ea lege initur, ut neque uxor neque ex ea proditurí liberi, maritalis ac paternæ dignitatis familiæque aut ſucceſsionis fiant participes, ſola morgengaba, ſeu lucro, quod iis pacto dotali promiſſum eſt, contenti: *ad morganaticam* ſeu *Salicam legem* contractum dicitur *u*). Matrimonium ad morganaticam,

* Eiusmodi nuptiarum exempla iam Carolingorum tempore deprehendit HEINECCIVS *Elem. I. G.* §. 302. ſeq.

§. CCCCVI.

Hoc pactum conſulit familiarum ſplendori, atque impedit quo minus prouinciæ, quod ſplendori familiarum conſulit,

t) WILLENBERG d. *de matrimon. ad morganat. contr.* §. 30.

u) SCHWEDER *de matrim. ad morgan.*

ciæ, in plurimas particulas diuisæ, penitus euanescant.

§. CCCCVII.

De matrimonio ad morganaticam hæc erunt notanda:

I. Illud esse matrimonium uerum & solemne.

II. Uxorem h. l. ductam participem non fieri uxoris paris conditionis iurium.

III. Liberos ex eo natos patri quidem subesse, sed familiæ non gaudere iuribus.

§. CCCCVIII.

est quidem uerum,

Matrimonium ad morganaticam maris & feminæ nec non eorum, in quorum illi adhuc fuerunt mundio, *consensu* (§. CCCLI.), inter *personas lege non prohibitas* (§. CCCLIV.) ineundum, *bierologia* benedicendum (§. CCCLIII.), & *adscensione thori* consummandum esse (§. CCCLVI.), atque, ubi ita consummatum est, non posse *dissolui* facile; (2) *liberos* ex eo natos in *legitimis* esse *x*), & ubi legitimum maiorum nobilium numerum demonstrare queunt, ad dignitates ecclesia-

x) 2. F. 29.

ſiaſticas admitti debere: primum nos docet axioma (§. CCCCVII, 1.).

§. CCCCIX.

Ex ſecundo (§. CCCCVII, 2.) conſtabit de cauſa (1) cur femina, ſub pacto morganatico ducta, in conditione ſua maneat, nec dignitatis maritalis fiat particeps, propterea que titulum, inſignia ac honores mariti adfectare nequeat; (2) cur nobilis inferior, quæ h. l. principi cuidam nupſit, non Ihro Hochfürſtl. Durchlaucht, ſed Madame, Ihro Gnaden uocari ſoleat; (3) cur uxori h. l. ductæ neque conſtituatur dotalitium, neque relinquatur portio ſtatutaria. non tamen omnes effectus producit, uxoris

§. CCCCX.

Ex tertio (§. CCCCVII, 3.) porro colligo, liberos ex eiusmodi matrimonio natos (1) nomen, inſignia aliaque iura conuentione determinata conſequi, neutiquam uero paterna, niſi in quantum ſpecialis adeſt permisſio y); (2) in patris & agnatorum bona non ſuccedere, (a) ſiue feuda ſint ea z) ſiue allodia a), (b) liberi ex alio matrimonio nati, agnati, ſimultanee inueſtiti &c. ſuperſint, nec & liberorum intuitu.

ne

y) COCCEII d. *de L. morgan.* ſect. VI. §. 2. ſeq.

z) 2. F. 29.

a) COCCEII c. d. ſect. VII. §. 1.

ne *b*); (3) neque legitimam, neque ſextantem, quæ & illegitimis quandoque debetur, petere poſſe *c*).

§. CCCCXI.

Denique ex natura huius matrimonii uidere mihi uideor, nihil eſſe quod impediat, quo minus liberi, ex matrimonio ad morganaticam procreati, *in bona matris*, maternorumque cognatorum *ſuccedant*.

§. CCCCXII.

In legitimum mutari poteſt. Non eſt cur dubites, quin matrimonium hoc quippe quod nititur pacto coniugum, utriusque coniugis conſenſu in legitimum commutari poſſit, ſi (*a*) tertius ad pactum non acceſſerit, aut ſaltem (*b*) iuri inde quæſito renuntiauerit.

§. CCCCXIII.

Uſus hodiernus. Quia iam olim femina ad L. Morganaticam ducta, ſæpe concubina ſcortumue *d*) audiuit: mirum non eſt, quod hodie in quibusdam *e*) Germaniæ prouinciis, (1) hæc pacta non niſi conſenſu principis * ferire liceat, & (2) ſi quis, eo ne-

b) WILLENBERG c. d. §. 44. ſeq.

c) COCCEII c. d. ſect. VIII. §. 8. ſeq.

d) FLODOARDVS *Hiſtor. Remenſ.* II, 11.

e) FRIDERICI III. *El. Brand. renouirte conſtitution* von Verlöbniſſen und Ehe-Sachen. §. 13.

neglecto, tale inierit matrimonium, hoc quidem ſubſiſtat, detracta tamen lege morganatica *f*).

* Sic quoque Cæſareo conſenſu indigent ſtatus imperii, uxori liberisque morganaticis *feuda imperii* in morgengabam adſignaturi, aut *dignitatem*, qua ipſi deſtituuntur, collaturi. WILLENBERG c. d. §. 23.

TIT. XX.

DE EPVLIS, SVMTIBVS ET DONIS NVPTIALIBVS.

§. CCCCXIV.

Nuptialium epularum præbitori

E*pulas* nuptiales deſponſati inſtruunt æqualiter *g*), niſi pactum *h*) moresue *i*) uelint aliud.

§. CCCCXV.

inuitatorum

Quis iſtis intereſſe debeat, nec ne, a deſponſatorum dependet arbitrio. Interſint autem, quicunque uelint, nouos coniuges non piis tantum *uotis*, ſed & *donis* proſequuntur.

§. CCCCXVI.

f) BRVNNEMANN *Iure Eccleſ.* II, 16, 6.

g) HEESER *de bon. commun.* p. I. loc. 5. nr. 1. ſeq. CARPZOV. III, 22, 1.

h) HEDLERI d. *de iuribus generi* §. 18.

i) ID. c. l. §. 19. Roths d. *de ſumtibus conuiuii nuptialis.*

§. CCCCXVI.

dona Ea dona *mox* ad locupletandos nouos coniuges, *mox* ad ferendos ſumtus in conuiuium nuptiale erogatos, faciunt. Quod poſterius inter ruſticos obſeruari ſolet maxime.

§. CCCCXVII.

cedunt. Xenia nuptialia, oblata *k*) ſint quibus uelint uerbis, ad eum pertinent, qui epulas nuptiales exhibuit. Itaque (1) regulariter * utrique coniugi, &, (2) ſi uel ex conuentione uel ex conſuetudine, ſolus ſponſus aut ſponſæ pater tulerit expenſas, huic ſoli cedere debent munera *l*). Unde eſt cur liberi ſumtus, ſi quos in eorum nuptias fecit, propterea que dona nuptialia lucratus eſt, pater, hoc mortuo, non conferant *m*).

* Aliorum opiniones refert HEESER c. l. p. II. loc. 18. nr. 70. ſeq. p. 564.

TIT.

k) *I. Würtemb.* p. III. tit. 7. PE. MVLLER d. *de dono nuptiali* CARPZOV. III, 22, 1.

l) Diſſ. ROTH. c. d. th. 28.

m) ID. c. d. th. 31.

TIT. XXI.

DE DIVORTIO ILLIVSQVE CAVSIS.

§. CCCCXVIII.

Maioribus noſtris, uinculum matrimonii arctum habentibus *n*), utut rariſſima fuerunt diuortia, non tamen penitus incognita. Diuortium ubi

§. CCCCXIX.

Diuortio enim locum eſſe ſtatuerunt (1) ob *bonam* utriusque coniugis *gratiam* *o*); (2) ob fidem fractam, u. c. adulterio *p*), malitioſa deſertione *q*), inſidiis alterius uitæ ſtructis *r*), &, ſuccedente tempore, (3) ob *coniunctionem*, ſi quam *ſpiritualem* coniuges contraxerint *s*). Sic quoque (4) maritus uxorem ob maleficium, ſepulcrorum uiolationem *t*); uxor uero maritum ob *cædem* cuiusdam *hominis* deſerere poterat. ex iuſtis cauſis factum eſt,

P 2 §. CCCCXX.

n) TACITVS *de M. G.* c. 20.
o) *L. Long.* II, 13, 6. *Capitul.* VI, 191. CLEFFEL *antiqu. germ.* c. 1. § 18.
p) *L. Wiſigoth.* III, 6, 2.
q) *Capit.* PIPINI 752. c. 9.
r) BALVZ. *Tom.* I. f. 163.
s) *Capit.* VI, 421.
t) *L. Burg.* tit. 34. §. 3. *Edict. Theodor.* c. 54.

§. CCCCXX.

aliis nuptiis datur locus.

Is, cuius culpa factum erat diuortium, (1) ad secunda uota prouolare non poterat *u*), (2) ad pœnam aliquam obligatus. Praeterea habebatur mortuus; & innocens ea consequebatur, quae consecutus, si nocens reuera mortuus. Hinc matrimonio *culpa mariti* dissoluto, uxori, praeter illata, soluenda erat *dos germanica x*)*; sin *culpa uxoris*, maritus lucrabatur una cum dote Ro. sponsalitiam illam largitatem *y*).

* Idem in Bauaria seruatur usu, si matrimonium ob impotentiam mariti solutum. Bayer. L. R. tit. 1. art. 5.

§. CCCCXXI.

Iura uiduarum.

Matrimonio mariti *morte* soluto, superstes, non solum morgengabam retinet (§. CCCLXV.), sed & alicubi petere potest (1) dimidiam partem *acquaestus coniugalis z*), alibi uero uel *dotalitium* (§. CCCXCI.) uel *portionem statutariam* (§. CCCLXXX.). Praeterea, (2) dum in uiduitatis statu est, defuncti mariti *forum*, *dignitatem*, *arma*, & alia iura retinet, continuatque *commercium* &c. *a*).

§. CCCCXXII.

u) *L. Longob.* II, 13, 4. *Capitul.* I, 43.
x) *L. Baiuu.* tit. VII. c. 14. *Spec. Sueu.* c. 298.
y) *Edict. Theodor.* c. 54.
z) WEYER *de commun. bonor.* p. I. p. 73.
a) NEVENHAN *de iuribus uiduitatis.*

§. CCCCXXII.

Quod ad caussas diuortii, hodie canonum & decretorum auctoritatem sequimur. Reliqua autem firmo talo adhuc stare, praxis nos docet quotidiana. Usus hodiernus.

TIT. XXII.

DE SECVNDIS NVPTIIS.

§. CCCCXXIII.

Nuptiae, quae post dissolutionem prioris matrimonii celebrantur, *secundae* audiunt. Nuptiae secundae, quae

§. CCCCXXIV.

Hae a feminis celebrandae, exosae erant b), permittebantur tamen c). Quod & iuris fuit, ubi diuortium mariti culpa factum erat. maioribus quidem exosae

§. CCCCXXV.

Secundas nuptias Sec. V. seq. germanorum gentes *aliae*, luctu* praeterito, in distincte d), *aliae*, tributo aliquo dato**, permiserunt, hac tamen lege posita, ut uidua, ad secunda uota prouolans, matrimonii prioris priuaretur iuribus. attamen permissae,

 * Tem-

b) TACITVS c. l. c. 19.
c) CLVVER *antiqu. germ* c. l. §. 19.
d) *L. Alamann. lib.* I. tit. 56. L. *Saxon. tit.* VI. §. 3. seq.

* *Tempus luctui* destinatum apud omnes non fuit idem, & apud nullam gentem sub infamiae poena seruandum. SCHILTER *exerc. X.* th. 38.

** Sic *L. Salica* iubet, duos solidos mulctae loco solui propinquis nouae nuptae. tit. 47. Dicitur hoc *reipus*. Cuius uerbi etymologiam significatumque docent GVNDLING *de emt. uxor.* c. I. §. 22. seq. & WESTPHAL *de consuet. ex sacco & libro* §. 6. seq. Mores *Burgundionum*, *Boiorum & Longobardorum* refert Ill. BOEHMERVS d. *de secundis nupt. illustr. pers.* cap. I. §. 61. seq.

§. CCCCXXVI.

Haec itaque notanda censeo:

I. Vidua iterum nubens sequitur conditionem secundi mariti.

II. Amittit iura, quibus ex persona defuncti ante gauisa est.

§. CCCCXXVII.

tribuunt posterioris,

Ex primo (§. pr.) sequitur, ut uidua iterum nubens sequatur *statum*, *dignitatem*, *forum*, *sepulcrum familiae* aliaque iura posterioris mariti.

§. CCCCXXVIII.

sed adimunt prioris, coniugis iura.

Ex secundo (§. CCCCXXVI, 2.), ni fallor, patet, uiduam iterum nubendo (1) excidere defuncti mariti *dignitate*, *foro*, nec non *insignium*, *commercii*, *opificii* aliisque iuribus; (2) amittere *uidualitium* (§. CCCXCI.*), neutiquam uero (3) *morgen-*

ga-

gabam, (4) *portionem statutariam e*), (5) partem communione bonorum soluta* quaesitam, (6) *hereditatemue f*).

* Ad secunda uota prouolantis est, acquisita bona cum liberis prioris matrimonii diuidere (§. CCCLXXV, 3.). CRVSIVS ad *statut. Mindens.* II, 2. dec. 2. WEYER c. l. p. II. p. 280. HEESER c. l. p. 770. seq. 786. seq. Qua diuisione facta, bona parentis ita augentur & imminuuntur, ut nihil quicquam accedat aut decedat bonis liberorum.

§. CCCCXXIX.

Hodie secundae nuptiae permittuntur, si uel maxime defuncto perpetuam uiduitatem promiserit superstes *g*). Quibusdam tamen in locis iuris antiqui supersunt uestigia. Sic (*a*) in urbe ac ditione *Ileburgensi* iudici duos schreckenbergeros in sacco non suto, & quatuor numos apparitori offerre *b*), (*b*) *Halae* sculteto (dem Berg-Richter) bracteatum dare *i*), (*c*) in praefectura *Giebigenstein*, attestatum co-

Hodie permittuntur, sed

e) BEYER d. *de concubitu intra tempus luctus* c. 2. §. 9. KNORR d. *de iure coniugis nuptias iterantis in bonis propriis & a priori coniuge quaesitis* c. III. §. 8. seq.

f) *I P. S.* I, 5.

g) MVLLERI d. *de odio secund. nupt.* p. 58. seq.

h) SIMON *Chron. Ilenburg.* p. II. p. 286. p. III. p. 502. DONDORFF d. *de sacco sine sutura* §. 5. seq.

i) OCKEL *de praescript. immem.* c. 2. th. 11. de LVDWIG vom Münzwesen c. f. p. 266.

copulandi, den Stech-Schein, Stech-Zettel a praefecto redimere *k*), compellitur uidua iterum nubens.

§. CCCCXXX.

non eodem ubique tempore.

Tempus luctui statutum pro diuersitate locorum uariat. In *Saxonia l*), *Palatinatu m*), Ducatu *Magdeburgico n*) &c. uidui 6. uiduae 12. menses, coniuges defunctos elugere debent. Iure *Würtembergico* 6. *o*), *Norimbergensi* uero *p*) & *Rotenburgico* 3. menses superstes, masculus sit an femina, luctu transigere debet. In prouinciis aliis uxorem, quae pariens decessit, annum eluget uiduus *q*).

§. CCCCXXXI.

Poena concubitus intra tempus luctus

Poena in coeuntes, durante luctu, statuta, plerumque consistit in amissione iurium, *cum* quae luctus tempore *r*), *tum* quae non nisi ex defuncti coniugis persona,

k) Ill. BOEHMER c. d. c. I. §. 60.
l) *Ord matr. Elect. Sax.* 1624. §. f. *Coburg*. p. 335. seq.
m) BRVCKNER *dec matr.* c. 15. nr. 37. SCHOPFER *de statu uiduitatis mutato* p. I. c. 3. n. 29.
n) *Ord. Eccles.* c. 10. §. 9.
o) BRVCKNER c. l.
p) *Ref. Nor.* tit. 28. l. 19. §. und obgleich HILDEBRANDI d. *de iuribus Reip. Norib.* c. 4. §. 9. n. 11.
q) MVLLERI d. *de iure praegnant.* c. VI. th. 6.
r) ID. d. *de odio secund. nupt.* c. 3. th. 6.

na, exerceri possunt. Pœnas, quas *Würtenbergicum s)*, *Norimbergense t)* aliaque iura *u)* statuunt, singulares habeo.

§. CCCCXXXII.

Quamcunque uero poenam statuant LL. moresque, cessat ea (1) ubi præuia *dispensatione*, aut (2) *coacte*, aut (3) *ignoranter* intra tempus luctus concubuit uidua *x)*. uariis de causis cessat.

TIT. XXIII.

DE

VNIONE PROLIVM.

§. CCCCXXXIII.

Pactum, quo ad secunda uota properans cum nouo coniuge, consentientibus liberis prioris matrimonii, de hereditate, inter hos & ex posteriori matrimonio procreandos æqua lance diuidenda, conuenit, audit *unio prolium*. Unio prolium, quæ

* Quædam municipia statuerant olim, ut liberi prioris matrimonii *immobilia*, ex posteriori autem procreati *mobilia* soli caperent, alia uero acquæstum probauerant. Sic sæpe oriebantur magna inæqualitas, magna bonorum confusio, & magnæ difficultates, dum acquæstus cuiusque matri-

 mo-

s) Land-R. p. IV. tit. 11. §. hieneben.
t) *Ref.* II, 28, 10.
u) *I. P. Frif. Orient.* II, 229. ap. KETTLER *decis.* 46. nr. 59. seq.
x) BEYER c. d. c. II. §. 11. seq.

monii determinandus erat; ad quas euitanda unio prolium uidetur adinuenta esse.

§. CCCCXXXIV.

Inde hæc deriuare licebit:

I. Unio prolium ad instar alienationis est.

II. Parentum liberorumque prioris matrimonii consensu nititur.

III. Communicat bona iuraque, quæ parentum unientium liberæ dispositioni subiacent.

IV. Nulla sanguinis iura tribuit.

§. CCCCXXXV.

solemniter &

Quia unio prolium ad instar alienationis est (§ pr.), & quidem immobilium plerumque rerum (§. CCCCXXXIII. *): uides (1) cur *priuata unio* alicubi nulla sit & irrita; (2) cur, ubi impuberes sunt liberi ex priori matrimonio nati, *causa unionis cognosci*, & decreto magistratus firmari, nec non ad acta referri debeat *y*); (3) cur adeundus sit *iudex competens*, non uero palatinus comes.

§. CCCCXXXVI.

parentum liberorumque consensu facta est,

Ex secundo (§. CCCCXXXIV, 2.) hæc elicio (1) quod liberis impuberibus tempo-

y) RICK *de unione prolium* c. VI. n. 16. BARDILI d. *de union. prol.* §. 10. CARPZOV. *R.* 6.

pore, quo in unionem consentiunt z), uel tutores a), uel propinqui b) ex parte parentis prædefuncti tales c), adstare debeant; (2) quod unio prolium mutuo quidem parentum liberorumque, neutiquam uero (3) unius *dissensu* d) mutari queat; & (4) unientibus adimat testandi facultatem e).

§. CCCCXXXVII.

inter liberos communicat ius succedendi

Fallor, aut tertium (§. CCCCXXXIV, 3.) nos docet, unione prolium non communicari bona, quæ liberi consequuntur, si uel maxime hereditatem paternam non adeant, utpote (1) *hereditates* consanguineorum f); (2) *feuda*, quæ ex pacto & prouidentia maiorum ueniunt; (3) *maioratus*, (4) *primogenituræ*, (5) *opificii*, (6) *retractus* aliaque iura.

§. CCCCXXXVIII.

non uero familiæ iura.

Ex quarto (§. CCCCXXXIV, 4.) denique quin colligam nullus dubito, unionem

z) ICKSTATT *de union. prol. statut.* c. 2. §. 10. seq.

a) BARDILI c. d. §. 7. GAIL. *obseru.* II, 125.

b) IDEM §. 9. MVSCVL. *de success. anom.* cap. 3. nr. 93.

c) Würzb. L. O. p. III. tit. 109. §. 1.

d) RICK c. l. c. IX. nr. 36. & X. nr. 32.

e) ID. c. X. nr. 14.

f) *Ref. Mogunt.* tit. von Einkindschaft §. in Kraft solchen ꝛc.

nem prolium (1) modum non esse, quo constituatur *potestas patria* g), aut (2) communicentur *iura familiæ*. Unde sequitur, ut ne unio prolium (*a*) dici queat *adoptio* *, (*b*) det unitis uitrici nomen, nobilitatem, dignitatem, priuilegia &c. (*c*) faciat liberos unitos inter se agnatos, (*d*) prohibeatque matrimonium; (*e*) tribuat patri unienti *h*), liberisue unitis *i*), ius in bona fictitiorum liberorum, auorum, consanguineorum, fratrumue succedendi *k*).

* Falsum itaque illud esse puto, quod (1) unio prolium iisdem *soluatur modis*, quibus adoptio Ro. (2) *forma unionis* prolium, si eam statuta non determinent, ex adoptionis materia peti debeat.

§. CCCCXXXIX.

Usus hodiernus.

Hodie, sicut olim, unio prolium, non ubique locorum uiget. In Germania superiore frequens est, in Saxonia contra fere incognita *l*). Ubi uiget, ea quæ diximus (§. CCCCXXXV. seq.), adhuc seruantur usu. Id quod ex Reformatione

g) RICK c. VIII. nr. I. HOMMEL d. *de genuina unionis prolium indole &c.* §. 6. seq.

h) BARDILI c. d. §. 32. SCHROETERI d. *de pacto successorio inter unitos diuers. matr. liberos* m. 4. nr 33.

i) *Const. Mogunt.* h. t.

k) HOMMEL c. d. § II. seq.

l) STRYK *u. m.* π. tit. de adoption. §. 9.

ne *Moguntina*, ſtatutis *Wormatienſibus*, *Francofurtanis m*) & *Freibergenſibus n*) nec non I. Prouinc. *Würtembergico o*) ſatis ſuperque diſcimus.

§. CCCCXL.

Uniones prolium in Franconia (1) coram iudicio prouinciali uel confici uel ſaltem confirmari debent *p*); (2) parentibus unientibus uix adimunt facultatem teſtandi & unitos exheredandi &c. *q*).

TIT. XXIV.

DE HAGENSTOLZIIS.

§. CCCCXLI.

Qui in diuturniore, atque permittunt LL. moresque prouinciales *, uiuunt cælibatu **, dicuntur *hagenſtolzii* ***. Quibus interdictum eſt poteſtate de bonis ſuis mortis cauſa diſponendi. Quæ hagenſtolzii

* Iuris enim Teutonici uniuerſalis dici nequit hagenſtolziatus. Hinc, qui eo nititur, probare debet, ius hagenſtolziatus uigere eo ſpeciatim in loco, ubi miſogamus, qui deceſſit, domicilium ſe-

m) tit. von Einkindſchaft.

n) tit. von Vergleichung und Anwünſchung der Kinder.

o) p. III. tit. 9.

p) ICKSTATT c. d. c. 2. §. 28.

q) IDEM c. d. c. 3. §. 13. ſeq.

ſedemque fortunarum ſuarum habuit, I. B. WERNHER d. *de iure hagenſtolziatus* §. 20. An iuris noſtri ueſtigia quædam occurrant in antiquis LL., diſputarunt KRESS d. *de iure hagenſtolziatus* it. *repet. differt.* & de LVDWIG *de hagenſtolziatu, exule in Germania.*

** Tempus nimis uariat. In Ducatu Brunſu. & Luneb. quinquageſimus annus attenditur, cui, ſi documento apud SCHOTTELIVM fides habenda eſt, addi debent tres menſes totidemque dies. Alibi aliud uſu ſeruari tempus tradit WERNHER c. d. §. IX. ſeq.

*** Hoc nomen ab *hagen* & *ſtolz* deſcendere, ad unum concedunt omnes. De ſignificatu autem eorum diſceptant KRESS. c. d. c. 2. §. 3. LVDWIG c. d. diff. VI. nr. 22.

§. CCCCXLII.

acquiſiuerunt bona, Inter *bona* diſtinguitur. Regulariter *acquiſita* tantum fiſco cedunt. Quid? quod quibusdam in locis ne hæc quidem omnia, ſed alibi mobilia alibi immobilia r).

§. CCCCXLIII.

fiſco cedunt. Quæ bona fiſco, non uero iurisdictionis domino s) cedunt illius loci, ubi hagenſtolzius habitauit, ſi & ibi ſita ſint.

§. CCCCXLIV.

An indiſtincte? Bona hagenſtolzii, nulla huius ſtatus, generis, morborum, ſtudiorum &c. ratio-

r) KRESS c. d. c. V. §. 5. WERNHER c. d. §. 24. BEYER *delin. I. Germ.* II, 12, 32.

s) WERNHER c. l. §. 14. ſeq.

tione habita, *fiſco cedere*, nec, quidnam defunctum effecerit hagenſtolzium, ſubtilius indagandum eſſe putat KRESSIVS *t*). Alii contra, qui libera demum coelibatus electione hagenſtolzium quem fieri ſtatuunt *u*), eos facultate teſtamentum condendi priuandos non eſſe cenſent, (*a*) qui, quo minus contrahant matrimonium, *impediuntur* natura lege aut nuncupato caſtitatis uoto; (*b*) qui deſtituti ſemper fuerunt facultate familiam alendi.

§. CCCCXLV.

Hagenſtolziatum in Comitatu *Nellenburgenſi x*). Ducatibus *Cellenſi y*) & *Guelpherbytano z*), nec non diſtrictu *Alberſpacenſi a*) adhuc ſupereſſe, atque (2) ab illius lege ante aliquot annos in Ducatu *Brunſuicenſi* exemtos eſſe equites, clericos, milites *b*), conſtat inter omnes. Uſus hodiernus.

TIT.

t) c. d. c. 7.
u) WERNHER *enunc.* 252.
x) WEHNER *obſ. pr.* u. Hagenſtolz.
y) KRESS c. d. c. III. §. 2. & *repet. diſſ.* §. 3.
z) ID. c. d. c. III. §. 3.
a) BESOLD *th. pr.* u. Hagenſtolz.
b) KRESS *repet. diſſ.* p. 53.

TIT. XXV.
DE
TVTELA IN GENERE.

§. CCCCXLVI.

Tutela est

Eos omnes, qui ſe ſuaque bona ipſi defendere nequeunt, ſub alterius *tutela* uel mundio (§. XXIV.) eſſe, LL. Germanorum uolunt.

§. CCCCXLVII.

uel plena uel minus plena.

Quia uero *alii* neque ſe neque bona ſua, ut MINORES, *alii*, ſe quidem non autem bona ſua, ut ABSENTES, uel uice conuerſa, bona ſua non uero ſe defendere poſſunt, ut FEMINAE; *tutela* in *plenam* & *minus plenam* diſpeſcitur, quarum neutra præmium uel ſalarium reſpuit.

§. CCCCXLVIII.

Omnis, ſ. teſtamentaria

Utraque ab antiquis temporibus uel *lege*, *pactoue* collata, uel a *magiſtratu conſtituta eſt*. Inde uel *pactitia*, uel *legitima* uel *datiua* dicebatur eſſe. *Teſtamentaria* ex I. Ro. quidem petita eſt, ita tamen, ut ne moribus Germanorum directo repugnet.

§. CCCCXLIX.

ſ. pactitia

Pactitia, quam non ſine cauſa probarunt maiores noſtri, (1) præfertur legitimæ, atque (2) teſtamento mutari nequit, ſi-

ſiquidem tutoris pactitii intereſt *c*); (3) ad tempus, ſub conditione & ad beneplacitum ſuſcipi poteſt.

* Contrarium propugnare annifus eſt CHRIST. HENR. HILLERVS tr. *de figmento tutelæ, ſpeciei quartæ, pactitiæ ſiue conuentionalis*, aſt fruſtraneo auſu, ut uel ex comparatione huius ſcripti cum LEYSERI *ſpec* CCCXXVIII. AD. FRID. GLAFEY d. *de tutela pactitia* de LVDEWIG. *Opuſc.* 3. lib. 4. diſſ. 4. f. 1084. cognoſcere potes.

§. CCCCL.

Tutela *legitima* (1) ad eum ſpectat, penes quem eſt ſucceſſionis emolumentum; atque (2) ubi plena eſt (§. CCCCXLVII.), & cum onere educandi coniuncta tribuit ius utendi fruendi bonis illius, qui defenditur, ſicque (3) liberat a rationum redditione *d*); (4) ex iuſtis cauſis poteſt diuidi, ita ut uni perſonæ educatio alteri adminiſtratio bonorum demandetur. t. legitima

§. CCCCLI.

Tutore teſtamentario (§. CCCCXLVIII.) pactitio (§. CCCCXLIX.) & legitimo (§. CCCCL.) deficiente, aliquem conſtituit magiſtratus, qui *datiuus* audit. t. datiua ſit,

§. CCCCLII.

c) LEYSER ſp. 328. m. 12.
d) L. *Wiſigoth.* IV, 3, 3. *I. P. S.* I, 23.

§. CCCCLII.

subest curae principum. Vi supremae tutelae *e*) principes Germaniae (1) constituerunt Vormundschafts-Aemter, Waysen-Gerichte *f*), aut (2) saltem iusserunt, magistratus iudicesque * (*a*) iis, qui se suaque bona defendere nequeunt, prospicere *g*), &, (*b*) si ex horum re putauerint esse, tutores legitimos praeterire *h*), (*c*) aliosque dare *i*), eos tamen, quos suos uicarios habeant *k*).

* Potestatem tutores dandi non competere *notariis*, luculenter docuit LUDWIG d. *de pseudotutore Notarii*.

§. CCCCLIII.

Unde axiomata:

I. Tutores sunt uicarii magistratuum.

II. Qui sub mundio pleno sunt, nihil agunt sine tutorum consensu.

III. Cessat tutela, illius causa potestateue tutoris cessante.

§. CCCCLIV.

Hinc tutores tanquam uicarii magistratuum. Quia tutores sunt uicarii magistratuum (§. pr.): constat (1) magistratus esse, tutorem

e) *Capit. Ludou. Pii* VI, 223.
f) FRIEDENBERG *de Silesiae iuribus* c. 13.
g) *Ord. Pol. Magd.* c. 43. §. 1. WURFFBAIN *differ. iur. ciu. & Norib* class. 2. §. 7.
h) THOMAS. ad *Inst.* I, 15. p. 83.
i) *Spec. Sueu.* c. 315. 321.
k) HEINECCII d. *de suprema principum tutela.*

rem pactitium, testamentarium, & legitimum, cui credenda est bonorum administratio, non nisi præuia *inquisitione l)* confirmare, (2) confirmatisque, ut *rationes* reddant, iniungere, atque (3) ab his redditas dispungere *m*).

§. CCCCLV.

Ex eodem deriuo causam (4) cur tutores pleni, magistratu inscio & inuito, nullum alicuius momenti negotium gerere, aut (5) tutelam deponere queant; (6) cur magistratus iis, qui sibi suisque bonis præesse nequeunt, prospicere debeat (§. CCCCLII, 2.), tutor petatur nec ne *n*). **horum nomine**

§. CCCCLVI.

Denique ex eodem (§. CCCCLIII, 1.) fluit (7) eum, qui curandi curandæue nomine in iudicio agere contendit, se qua tutorem confirmatum esse *o*), per *tutorium*, quod uocant, uel *curatorium*, ea qua decet forma conceptum, probare debere. Testamentum produxisse, sanguinis propinquitatem per stemma genealogicum demonstrasse, pacti formulam enarrasse, non sufficit.

l) THOMASIVS *ad ff.* XXI, 7. p. 255.
m) *Ref. Pol.* 1548. tit. 31. §. 2. & 1577. tit. 32. §. 2.
n) *R. I.* 1577. §. 32.
o) *Ref. Pol.* 1548. c. l. HEINECCIVS *Elem. I. Germ.* §. 367.

* Confirmantur autem, poſtquam uel manu ſtipulata uel tactu baculi iudicialis uel iuratam promiſerunt fidem.

§. CCCCLVII.

peragunt fere omnia

Ex ſecundo (§. CCCCLIII, 2.) reddi poteſt ratio (1) cur tutores, quibus plena poteſtas competit, omnia fere ſoli agant, (2) eorumque facta reputentur facta in tutela exiſtentium; (3) cur eorum conſenſu opus ſit in celebrandis contractibus, quibus res reddi poteſt deterior.

§. CCCCLVIII.

usque dum tutelæ cauſa ceſſet.

Ex tertio (§. CCCCLIII, 1.) colligimus (1) ceſſare tutelam *tutoris morte*, *furore*, *perfidia & delicto*, quo ciuitate eiicitur; (2) quum tutelæ cauſæ uarient, non iisdem omnes ceſſare modis.

TIT. XXVI.
DE
TVTELA MINORVM.

§. CCCCLIX.

Tutela minorum,

Minorum tutela (§. CCCCXLVII.) eſt poteſtas, horum perſonas educandi, bonaque adminiſtrandi.

§. CCCCLX.

quæcunque ſit,

Eſt ea uel *teſtamentaria* uel *legitima* uel *pactitia* uel *datiua* (§. CCCCXLVIII. ſeq.). Vocat autem lex eum, qui minori ab inteſtato ſucceſſurus eſſet, ſicque (1) *matrem*

trem, idque eo magis, quod huic non minor poteſtas competat in liberos quam patri (§. CCXCV. ſeq.). Hinc tutela priuari nequit ob nuptias*, quas ſecundas contraxit *p*).

* Quod enim *L. Burgund.* tit. 59. 85. *Wiſigotb.* IV, 3, 3. ſtatutum eſt, plane Romanum uidetur eſſe.

§. CCCCLXI.

Poſt matrem tutela cedit (2) *fratri* & (3) reliquis *agnatis cognatisque q*), ſemper tamen proximiori *r*). Olim, ubi plures aderant, unius eiusdemque gradus agnati, mox natu maior *s*), mox omnes admittebantur *t*): Denique in feudalibus, legitimus tutor eſt (*a*) proximus *agnatus*, (*b*) *ſimultanee inueſtitus*, (*c*) *dominus u*).

§. CCCCLXII.

Qui in eo eſt ut tutelam minoris ſibi delatam ſuſcipiat, debet (1) per fideiuſſores *cauere x*), & (2) *iurare* de munere ſuo rite fungendo (§. CCCCLIX.) *y*). confirmari debet.

Q 3 His

p) STRYK *de tutela materna principum imperii.*
q) *I P. S.* I, 30.
r) Ib. I, 23. *Weich.* art. 49.
s) *L. Longob.* II, 25, 4. SCHILTER *exerc.* XXXVII, 46.
t) *Spec. Sueu.* p. I. c. 20.
u) *I. F. S.* c. 26.
x) *Ref. Pol.* c. l. §. 3.
y) *R. I.* de A 1577. tit. 32.

His peractis, (3) *decreto magistratus* munitus (§. CCCCLVI.), (4) ut de quantitate rerum minoris certus sit, rationesque reddere queat (§. CCCCLIV.), *inuentarium* conficit, nisi hoc iam confectum sit eique traditum z).

§. CCCCLXIII.

Tutoris est inuentarium conficere, &

Tutor inuentarium conficiens (§. pr.) res omnes, quae in patrimonio minoris sunt, consignet fideliter solemniterque. Quod si non fecerit, bonorum descriptionem edere, editamque iureiurando firmare debet. Pater tamen ab hoc iureiurando immunis est a).

§. CCCCLXIV.

Hic notes uelim sequentia:

I. Tutela minoris plena est.

II. Tutores minorum non tam suo quam magistratus nomine agunt.

III. Cessat tutela minoris, cessante minorennitate.

§. CCCCLXV.

negotia pupilli

Ex primo (§. pr.) sequi uidetur (1) ut tutores, tam in iudicio quam extra illud, soli agant, minores uero (2) nihil negocii sine tutoris auctoritate * celebrare que-

z) *Ord. Pol.* 1548. 1577. tit. 32.

a) Ill. BOEHMER *Resp.* 593.

queant (§. CCCCLVII.), nec (3) ex contractu, quem soli celebrarunt, teneantur, nisi (*a*) in quantum locupletiores facti sunt, aut (*b*) dolum commiserunt.

* Promiscue utor *tutoris* & *curatoris*, *consensus* & *auctoritatis* uocabulis. Discrimen enim, quod inter ea statuit Ius Ro., mores ignorant nostri.

§. CCCCLXVI.

Quia tutela minoris plena est (§. CCCCLXIV, 1.); hæc autem, ubi legitima, cum iure utendi fruendi bonis pupillaribus coniuncta (§. CCCCL, 2.): sequitur, (1) ut tutela minoris legitima sit *fructuaria b*), nec (2) iubeat, tutorem cuidam *rationes* reddere.* Unde intelligi potest (3) quid uelint uerba *I. P. S. c*): Hat sich das Kind noch nicht beiahret, so nimmet der Lehnherr die Früchte herab. sæpe sine rationibus reddendis,

* *Datiuus* contra *tutor* proximo pupilli agnato iam olim quotannis rationes reddere tenebatur. *I. P. S.* I, 23. *Weichbild.* art. 49.

§. CCCCLXVII.

Ex secundo (§. CCCCLXIV, 2.) fluere ex uoluntate magistratus puto (1) tutores minorum, quicunque sint, confirmandos esse (CCCCLIV, 1.), & quidem (2) *inquisitione* * præuia (§. CCCCLIV, 2.); Vnde (*a*) tutor legitimus præteriri (§. CCCCLII.), atque

b) *L. Sax.* VII, 4. ibique GAERTNERVS *I. P. S.* I, 23. & gl. ad art. 11. lit. *e*). Vid. LVDWIG. *Opusc.* To. II. p. 1205. seq.

c) II, 58.

(*b*) alius minoris pater, alius tutor, esse *d*) potest. Quo posteriori casu pater pro filio suo minorenni in iudicio acturus non admittitur, siue hac: in natürlicher Vormundschafft meiner Kinder, siue illa: krafft habender väterl. Gewalt ꝛc. utatur formula.

* Inquirit iudex (*a*) an ciuis sit, atque (*b*) *res & personam pupilli dirigere* possit? (*c*) an periculum *dissipationis bonorum*, uel *corruptionis morum* pupilli metuendum sit?

§. CCCCLXVIII.

Ex eodem intelligitur, quid causæ sit (3) cur tutor (*a*) de rebus pupilli sui in iudicio acturus personam suam *tutorio* legitimare (§ CCCCLVI.), & (*b*) ea, quæ alicuius momenti, sciente magistratu, suscipere, atque (*c*) huic officii sui *rationes* reddere debeat (§. CCCCLIV, 3.); (4) cur tutela minorum non finiatur ipso iure (§. CCCCLV, 6.).

§. CCCCLXIX.

usque ad maiorennitatem peragere.

Ad tertium (§. CCCCLXIV, 3.) notes uelim (1) tutelam finiri neque pubertate I. Ro. *e*), neque (2) arrogationibus aliisque capitis deminutionibus, cum quod hæ rariores immo incognitæ sint (§. CCCXII.), tum

d) Specht d. *de his quæ usu fori a tutoribus & curatoribus, & circa eos obseruanda sunt*. nr. 2.

e) *Ord. Pol.* 1577. tit. 32.

tum quod patrem habenti ſæpe tutor detur (§.CCCCLXVII. a.), ſed (3) ſola minorennitate, cuius terminum alibi lex ponit, alibi iudicis arbitrium *f*). Finiri etiam tutoris morte atque furore, nec non delicto, quo ciuitate eiicitur (§. CCCCLVIII, 1.), in aprico eſt.

§. CCCCLXX.

Adhuc hodie (1) impuberes & minores, tutores & curatores non differunt *g*); (2) adminiſtratio bonorum ab educatione pupilli ſeparari poteſt; (3) *terminus minorennitatis* uarius eſt *h*), & alicubi a iudice figendus *i*); (4) tutores cuiusuis generis præuia inquiſitione *confirmari*, confirmatique quotannis rationes reddere debent. Sic etiam (5) in terris Saxonici iuris inter agnatos eiusdem gradus *ſenior* ad tutelam uocandus eſt *k*). Uſus hodiernus.

§. CCCCLXXI.

Contra (1) *tutela fructuaria* inter illuſtres tantum ſupereſt *l*). Inter priuatos uſum-

f) HEINECCIVS *Elem. I. Germ.* §. 337. ſeq. 342. ſeq.

g) GAERTNERI d. *Iure Germanico inter impuberes & minores, tutores & curatores non diſtingui.*

h) LVDWIG d. *de ætate pub.* §. 17. 25. 29.

i) IDEM c. l. §. 14. p. 80. ſeq.

k) COLER *dec.* 6.

l) LVDWIG *de tutel. mat.* diſſ. 6.

usumfructum in exilium plane egit, uel saltem salarium *m*) aut honorarium *n*) in illius locum surrogauit I. Ro. receptio. Pauca dantur loca, ubi ususfructus omnium bonorum uel partis alicuius adhuc tutoribus cedit *o*); (2) alibi matri semper, alibi non nisi suspicione laboret, alibi tunc demum, ubi secundas nuptias contraxit *p*), ubique uero, ubi res pupilli feudales sunt *q*), alius tutor adiungitur; (3) alibi ut SCto Vellei. & secundis nuptiis renuntiet, matri tutelam suscepturae imponitur *r*).

§. CCCCLXXII.

Cautio *fideiussoria*, quam exigunt imperii leges (§. CCCCLXII.) *s*), nusquam usu recepta est, sed *promissoria* sufficit, quum nemo tutor confirmetur, nisi possessor rerum immobilium.

TIT.

m) SCHILTER *exerc.* XXXVII, 9. 177. MOLLENBEC d. *de salar. tutor.* c. 2.

n) L. O. der Marggr. Baden p. III. tit. 6. rubr. 7. §. 1. *I. Bauar.* tit. V. art. 14. *Magd.* XLIII, 22. *Tirol.* III, 5. *Würtenb.* tit. 40.

o) HEINECCIUS c. l. §. 354.

p) LUDWIG *de tutela materna.*

q) *Horn Iurispr. Feud.* c. 6. §. 16.

r) Schröter vom Amt der Vormünder p. I. q. 22. p. 213.

s) *Ref. Polit.* 1548. 1577. tit von pupillen.

TIT. XXVII.
DE
CVRA FEMINARVM.

§. CCCCLXXIII.

Feminarum quæque in tutela eſt (§. CCCCLV.), ſeu poteſtate cuiusdam maſculi, qui illius dirigat negotia *t*). Hæc feminarum cura, quam *ſexus* aliqui uocant, differt a cura *ætatis* (Tit. pr.) in eo, quod ſit minus plena, perpetua, nec inuentarium exigat rationesque. Cura feminarum,

§. CCCCLXXIV.

Eſt ea uel *pactitia*, uel *legitima* uel *datiua*. Ex legis autem morumque diſpoſitione, *feminæ nuptæ* ſunt in maritorum (§. CCCCI, 1.) *u*), *uiduæ*, prout cum defuncto liberos procrearunt, aut non, ſunt uel in illius *x*) uel in ſuorum *y*) agnatorum, *uirgines* parentibus orbatæ in ſibi proxime cognatorum tutela *z*). quæcunque fit,

§. CCCCLXXV.

Itaque ſequentia notanda erunt:

I. Cu-

t) *I. P. S.* I, 46. III, 45.

u) *L. Alem.* tit. 54. *Longob.* II, 10. TENZEL *de cura maritali.*

x) *L. Longob.* II, 6, 1. *Sax.* tit. 7. SCHILTER *exerc.* 37.

y) *I. P. S.* I, 23. *Sueu.* c. 107.

z) *I. P. S.* I, 45.

I. Cura feminarum eſt tutela minus plena.

II. Exſerit ſe in negotiis feminarum expediendis.

§. CCCCLXXVI.

minus plena eſt

Prima regula (§. pr.) docet (1) curatores feminarum nec bona adminiſtrare, nec (2) ex iis uſumfructum percipere*. Quod in marito ſecus eſt (§. CCCCII.).

* Pretium pro ſponſa, rapta, ſtuprata uel occiſa ſoluendum, curatoribus legitimis cedere uolunt *L. Friſ.* IX, 9. 11. *Longob.* II, 2, 2. ſeq. *Sax.* VII, 3.

§. CCCCLXXVII.

in negotiis feminarum expediendis ſe exſerens.

Ex ſecunda regula (§. CCCCLXXV, 2.) hoc fluere exiſtimo (1) quod curatores conſulant tantum, non autem imperent *a*), feminis; (2) quod femina, curatore inſcio, alios ſibi obliget, non autem ſe aliis *b*), niſi (*a*) rem ſuam reddiderit meliorem, (*b*) mercatricem ſe geſſerit, (*c*) conſiliariis *c*) agnatis aut futuro curatore *d*) ſtipata contraxerit, (*d*) negotia œco-

a) OTTO d. *de perpetua feminarum tutela* c. II. §. 7.

b) CARPZOV. II, 23, 31.

c) LVDOLPH. *de iur. femin. illuſtr.* LYNCKER *decis.* 797.

d) CARPZOV. p. II. conſt. 15. def. 32.

œconomica *e*) aut criminalia *f*) peregerit, (*e*) uirgo, cui tutor tantum datiuus est, contraxerit *g*). Maritata res suas alienare nequit, nisi marito consentiente *h*).

§. CCCCLXXVIII.

Ex eadem (§ CCCCLXXV, 2.) patebit (3) cur, absente curatore, nullum actum, ex quo damnum sentire possunt *i*), peragere, contra (4) *testamentum condere*, *testimonium perhibere*, *ad iurandum se offerre*, *adpellationem interponere &c.* *k*) liceat feminis.

§. CCCCLXXIX.

Hæc cura finitur (1) feminæ uel curatoris *morte*, aut (2) *delicto*, quo hic uel illa ciuitate eiicitur; & (3) ubi *datiua* finito negotio, ad quod curator constitutus est, aut electo curatore alio; sin (4) maritalis, *matrimonio* per diuortium soluto, aut (5) nullo declarato; item (6) si marito publice interdicatur bonis *l*). Quibus finiatur modis?

§.CCCCLXXX.

e) WIBEL *de contract. mul.* c. IV. n. 292.

f) VOET ad tit. *de iudiciis* nr. 17. MEVIVS p. IX. *dec.* 16.

g) *I. P. S.* I. 45.

h) *I. P. S.* I, 45.

i) CARPZOV. p. II. const. 23. def. 31.

k) IACOBI d. *de curat. mulier. Saxon.* c. IV. §. 15. seq.

l) OTTO c. d. c. II. §. 13.

§. CCCCLXXX.

Usus hodiernus.

Recepto I. Rom. uaria praxis nata est. Quædam enim prouinciæ ius patrium retinuerunt, quod temperarunt aliæ, aliæ uero miserunt in exilium *m*). Sic moribus *Pomeraniæ* in feminarum arbitrio est, uelint curatorem petere nec ne, & constituti consensu spreto an impetrato agere *n*). Contra *I. Hamburg. o*), *Lubecensi p*), *Saxonico Electorali q*), *Würtembergico r*) pristinum ius uiget adeo, ut & extraneæ feminæ, in terris Saxonicis iudiciale negotium, quo conditionem suam deteriorem reddere possunt *s*), celebraturæ curatoribus indigeant.

§. CCCCLXXXI.

Illud etiam notandum erit (1) quod *mercatrix* adhuc hodie in rebus ad mercaturam spectantibus ualide se obliget, si uel maxime consensum curatoris spreuerit *t*); (2) quod *I. Hamburg. u*) *Lubec.* & *Lu-*

m) GIESEBERTVS *peric. Statut.* 2. art. 19.
n) MEVIVS p. V. *dec.* 99.
o) I, 9, 1. 5.
p) I, 7, 4.
q) *p.* II. *const.* 15. CARPZOV. d. *de iur. femin. singul.*
r) I, 18.
s) OTTO c. d. II, 11.
t) IDEM c. I, 12.
u) I, 9, 1.

Luſatico x), indiſtincte, *Saxon.* uero & *Würtemb.* non niſi produxerit curatorium, aut de rato cauerit, pro uxore in iudicio agere poſſit maritus; (3) quod ubique locorum ceſſet cura, ubi eam reuocat femina.

TIT. XXVIII.
DE
CVRATORIBVS ABSENTIVM.

§. CCCCLXXXII.

Curator abſentis eſt bonorum abſentis non adminiſtrator ſolum, ſed & heres, ſi tempore quo ille mortuus eſt, uel eſſe præſumitur*, ſanguine fuerit proximus. Abſenti curator eſt

* Abſentem *haberi* & *declarari* mortuum, quam maxime differunt. *Mortuus habetur,* cuius uita propter diutturnam abſentiam dubia; *declaratur* uero, a cuius natiuitate 70. anni præterlapſi ſunt.

§. CCCCLXXXIII.

Unde hæc deriuo axiomata:

I. Proximus ad ſucceſſionem eſt proximus ad hanc curam.

II. Cura hæc conſiſtit in adminiſtratione bonorum abſentis.

III.

x) *Statut. Budiſſ.* c. 2. tit. 8.

III. Curator abſentis eſt heres illius conditionalis.

IV. Abſens habetur mortuus.

§. CCCCLXXXIV.

qui proximus ad ſucceſsionem. Ex primo (§.pr.) illud fluere puto (1) quod in allodialibus ſanguine, in feudalibus agnatione proximus ad hanc curam uocari debeat, ſi uel maxime (2) infans, minor aut alius ſit qui ipſe rebus ſuis præeſſe nequit *y*); (3) quod plures agnati eiusdem gradus iure petant hanc curam inter ſe diuidi *z*).

§. CCCCLXXXV.

Hic adminiſtrator eſt Ex ſecundo (§. CCCCLXXXIII, 2.) diſcimus, cauſam, cur curator abſentis debeat (1) *cauere* de reſtituendis bonis reddendisque rationibus, ſi redierit abſens. Præſtari autem poteſt cautio non ſolum fideiuſſoribus & pignoribus, ſed & iureiurando *a*), ubi curator integræ uitæ, bonæ famæ & fidei eſt; (2) *inuentarium* conficere.

§. CCCCLXXXVI.

& heres conditionalis. Quia curator abſentis huius heres eſt conditionalis (§. CCCCLXXXIII, 3.) intel-

y) SCHILTER *exerc.* XV. §. 71 - 77.

z) SIMON d. *de curatore diu abſentis, de cuius uita dubitatur* c. 3. th. 17.

a) RICHTER *dec.* 65. n. 6. STRVV. *exerc.* V. *th.* 24. Diff. MEVIVS *p.* II. *dec.* 67.

telligi potest (1) cur absentis bona ex utilitatis causa *alienare* queat, etiam sine magistratus decreto; (2) cur curam hanc in liberos suos transferat; (3) cur neque *rationes* prius, quam absens rediit, reddere teneatur, neque iis redditis honorarium petere queat.

§. CCCCLXXXVII.

Ex quarto (§. CCCCLXXXIII, 4.) denique colligo, successionem in bona absentis *ex tunc* fieri, nisi mortem tardius secutam esse constet. **diu absentis, quem mores habent mortuum.**

§. CCCCLXXXVIII.

Curam absentis petiturus docere debet (1) dubium esse, absens uiuat an mortuus sit, (2) se absentis proximum heredem esse, (3) absentem res reliquisse, aut hereditatem ad illum delatam esse. **Huius curae petitio.**

§. CCCCLXXXIX.

Hæc cura finitur absentis ***morte*** uel ***reditu***. Absens ubi redit, curator rationes reddere, bona restituere, & fructus præstare debet, tam extantes quám consumtos. Si uero absens mortuus declaratus fuerit (§. CCCCLXXXII. *), curator non nisi extantes fructus restituit. **Quibus modis hæc cura finiatur?**

TIT. XXIX.

DE TVTORIBVS EXCVSATIS ET SVSPECTIS.

§. CCCCXC.

Excuſationes tutorum.

Tutorum excuſationes ignorarunt maiores noſtri, quibus *pactitiam tutelam* detrectare perfidum, *legitimam* reſpuere damnoſum uidebatur.

§. CCCCXCI.

Ex quo uero tutela deſiit fructuaria eſſe, & fides germanorum in fumum abire cœpit: cognito I. Ro. uſu obtinuerunt excuſationes, eæ præſertim, quæ ex æquitate rectaque ratione proficiſcuntur. Quo facto excuſabantur facile (1) *literarum imperiti*, quippe qui, quod tutorum eſt, facere nequeunt, inuentarium ſcilicet conficere & rationes reddere. Volentes uero ad tutelam ſemper admiſſi ſunt exiguam *b*), (2) aliis *tutelis* iam *onerati;* (3) ſumma *paupertate* preſſi; (4) *liti* cum pupillo impliciti *c*).

§. CCCCXCII.

b) STRYK d. *de bacillis fiſſis* & d. *de iure analphab.*

c) HEINECC. c. l. §. 388.

§. CCCCXCII.

Suspectos tutores tutela moueri, Balmunden, remotosque, qui alterius tutela fungerentur, indignos iudicari, &, quod magis est, manu truncari, iubent antiquæ LL. *d*). Tutores suspecti.

TIT. XXX.

DE INFAMIBVS.

§. CCCCXCIII.

Hominum alii sunt *integræ famæ*, alii *infames*, ehrloß, echt und rechtlosse Leute (§. XXIV, 4.). *Illi* dicuntur, de quibus alii bene iudicant, *hi* uero, qui omni existimatione sunt priuati. Infamia

§. CCCCXCIV.

Infamia, seu existimationis priuatio, uel *maior* est uel *minor*. *Illa* moribus antiquis inhærebat iis omnibus I. qui aliquid contra *fortitudinem*, *fidem*, *castitatem* & *pietatem*, cardinales illas germanorum uirtutes, commiserant. Itaque infames erant, (*a*) qui hostibus terga dederant & arma perdiderant in acie *e*), (*b*) qui desertione & proditione se indignos præsti- uel maior

R 2

d) *L. Longob.* III, 39. *Spec. Sueu.* cap. 61. ed. MEICHSN. c. 113. ed. SCHANN.

e) TACITVS *de M. G.* c. 6. *L. Sal.* tit. 33. §. 5.

ſtiterant uirorum fortium nomine *f*); (*c*) muliebria pasſi, (*d*) periuri, fallaces, perfidi *g*), immo (*e*) omnes mendaces, in quos ius alapæ infligendæ ſibi eſſe credebant maiores, (*f*) ſtuprum ultro paſſæ *h*), (*g*) qui rerum eccleſiaſticarum quicquam ſurripuerant *i*); II. rei criminis, quod manebat *decaluatio*, *fuſtigatio*, *aut proſcriptio k*), ſiue has pœnas redemtione *l*) uel transactione *m*) ſubterfugerant, ſiue ſuſtinuerant *n*).

§. CCCCXCV.

uel minor eſt.

Infamiam minorem ferebant (1) qui id uitæ generis elegerant, quòd cardinalibus uirtutibus contrarium eſſe uidebatur, u. c. ſi quis *campionem* aut *ludionem* egerit *o*); (2) qui uel natura *p*) uel uoto ſocii erant maiori infamia notatorum *q*).

§. CCCCXCVI.

f) TACITVS c. 12. *L. Wiſig.* IX, 2, 9. *I. P. S.* I, 11. *Sueu.* c. 86.
g) *L. Alemann.* XLII, 1.
h) *L. Burgund.* tit XLIV.
i) *Capit. Ingelh.* 836.
k) *I. P. S.* I, 38. *Weichb.* art. 5. *Sueu.* c. 178.
l) *I. P. S.* I, 65. *Sueu.* c. 163.
m) *I. P. S* I, 37. *Sueu.* c. 410.
n) HEINECC c. l. §. 414.
o) ID. c. l. §. 404. ſeq.
p) *I. P. S.* I, 39. *Sueu.* 410. HEINECCII d. *de leuis notæ macula* §. 35.
q) *I. P. S.* I, 5. HERT. *paroem.* 12.

§. CCCCXCVI.

Minore flagrans *infamia* (1) testimonium dicere *r*), postulare *s*), iudicem agere *t*), feuda acquirere *u*), opificia addiscere (§. CCXVII.) non poterat; (2) aduocati præsidio priuabatur *x*); (3) ubi delicto aliquo læsus erat, ei illiusue heredibus non cedebat weregildum *y*). Præterea *maior infamia* facultatem iureiurando se purgandi adimebat *z*).

Utraque uarios producit effectus.

§. CCCCXCVII.

Quum non omnibus gentibus eadem sint honesta & turpia, mirum non est, quod alii Romanorum legibus, alii Germanorum moribus dicantur infames. Sic infamia neque maiores notarunt, neque nos notamus, (1) feminas intra annum luctus nubentes, (2) milites prædia conducentes, (3) tutores pupillas, rationibus nondum redditis, ducentes domum. Contra (4) moribus nostris infamia la-

 bo-

r) *L. Alamann.* XLII, 1. *I. P. S.* II, 36.
s) *I. P. S.* I, 61. *Sueu.* c. 89. §. 2. Ord. Cam. tit. 12. §. 1.
t) *I. F. S.* art. 61. *I. P. Sueu.* c. 73.
u) *I. F. S.* art. 1.
x) *I. P. S.* III, 16.
y) *L. Fris.* tit. 5. *I. P. S.* III, 45.
z) *I. P. S.* I, 39. *Sueu.* c. 172. 208. *Weichb.* art. 90.

borare uidentur torti, fuſtibus icti (§. CCCCXCIV, 2.), excoriatores, lictores, caſtratores ſuum *a*).

§. CCCCXCVIII.

Uſus hodiernus.

Infamiam minorem in exilium miſerunt imperii leges. *Maior* autem adhuc ſupereſt, & eosdem, quos antea, manet, niſi quod homicidii aliusue criminis rei, quibus princeps gratiam fecit, infames non habeantur *b*).

§. CCCCXCIX.

Denique notes, famam reſtitui poſſe (*a*) tam ab ipſo imperatore, quam a quolibet imperii ſtatu, & quidem, (*b*) non expreſſe ſolum, ſed & tacite.

TIT. XXXI.

DE PEREGRINIS.

§. D.

Peregrini, quorum conditio

Tantum abeſt ut maiores noſtri erga peregrinos inhumani fuerint, ut potius nimium hoſpitales ſe geſſerint (§. CCLXX. *), uictos ſeruauerint, ſeruatos in ciuitatem receperint, receptisque ſuas leges, ſuos mores reliquerint *c*).

§. DI.

a) HVTH. d. *de his qui notantur infamia.*
b) SCHILTER *exerc.* VIII. §. 35.
c) HEINECCIVS c.l. §. 421.

§. DI.

Apud Francos tamen ciuibus aliquam prærogatiuam fuiſſe præ peregrinis, ex eo colligo, quod (1) peregrini minore ſumma *componerentur*, quam ciues *d*); (2) uagabundi, quos *mangones* nominabant, alicubi in ſeruitutem redigerentur *e*); (3) bona peregrinorum fiſcus uindicaret regius.

& olim

§. DII.

Hodie ciues, (1) quoniam uel *imperii*, cui parent, uel *prouinciæ*, cui adſcripti, uel *loci*, quo degunt, intuitu conſiderantur, triplicis generis eſſe dicuntur; (2) in *originarios* & *receptos* diuiduntur, atque (3) a peregrinis diſtinguuntur iuribus, tam honorificis, quam utilibus & oneroſis *f*). Sic u. c. ciuitate Germanica deſtituti ſummas dignitates imperiales conſequi, officiis uicariis imperii fungi, in ſupremis imperii tribunalibus præſides uel aſſeſſores agere *g*), exercitibus patriæ noſtræ præeſſe *h*), ad collegia canonicorum ſumma adſpirare, equites ordinis Teu-

& hodie deterior conditione ciuium,

d) *L. Salica* tit 45.
e) *Capit. Caroli M* de A. 789. capit. 77.
f) d. *de iuribus indigenarum Germaniae* §. 3. ſq.
g) *Capit. Caroli VI.* art. 23. ſeq. *Reg. Aug.* de A. 1548. §. 33. 1555. p. I §. 1.
h) *R. I. Nor.* de A. 1521. §. 32.

Teutonici creari, aut linguæ Germanicæ ordinis Iohannitici adſcribi *i*) &c. nequeunt. Sic etiam (2) *ciues* iſtius prouinciæ aut urbis, qua honores conferendi, præferuntur oriundis ex alia Germaniæ prouincia; nec minus (3) *aduenæ* in Palatinatu uicinisque tractibus in ſeruitutem rediguntur (§. XXX.), uocanturque *wildfangii* *. Quare (α) a muneribus ciuilibus & (β) collegiis opificum excluduntur; (γ) annuos cenſus, operas perſonales, & quæ ſunt reliqua, debent; (δ) in urbes migraturi indigent manumisſione *k*).

* Praefectos, quos uocant Ausfauthe, in alieno territorio ad id, ut aduenas Wildfangiorum claſſi adſcribant, ſoluto laudemio, conſtituere poteſt Palatinus, de LVDEWIG *diff. I. R. & G. in peregrinitate albinagio & wildfangiatu* c. VI. §. 17. & alius, cui uel priuilegium Imperatoris, uel inueſtitura ab El. Palatino impetrata tribuit ius Wildfangiatus.

§. DIII.

uiuere debent ſecundum leges loci, ubi hoſpitantur.

Peregrinus ſecundum LL. cuiusque loci, ubi hoſpitatur, uiuere debet. Hinc (1) mulier in foro Sax. agens, adhibeat curatorem (§. CCCCLXXX.); (2) contrahens, uel teſtamentum conditurus attendere debet ſtatuta loci, ubi teſtari aut

i) d. *de iuribus indig. Germ.* ſect. I.
k) HILDEBRANDI d. *de iure Wildfangiatus Seren. El. Palat. proprio* c. 3.

aut contrahere contendit; (3) delinquens punitur iuxta ſtatuta loci, quo crimen commiſit. Quod denique (4) cauſæ peregrinorum ſummariter tractari debeant, infra docebimus.

TIT. XXXIII.
DE
MORTVIS.

§. DIV.

Funerum nulla olim ambitio. Corpora tamen clarorum uirorum cremabantur certis lignis *l*), quod ſub pœna capitis prohibuit Carolus M. *m*). **Mortuorum crematio &**

§. DV.

Quo facto cadauera terræ demandata ſunt. En originem *ſepulcrorum*, quorum alia omnibus in uico aliquo habitantibus *communia*, alia certæ *familiæ* propria. **ſepultura.**

§. DVI.

Quibus ſepulcris omnibus tanta fuit *religio*, ut impia ac ignominioſa haberetur eorum effoſſio uel deſtructio *n*), & mul- **Sepulcrorum religio &**

R 5

l) TACITVS *de M. G.* c. 27.
m) ap. BALVZ. To. I. p. 253.
n) *Edict. Theod.* c. 110.

multo magis abominanda cadauerum effosforum ſpoliatio *o*) aliaue læſio * *p*).

* Quid ſit *dadſiſa* in indiculo ſuperſtitionum & paganiarum Synodi Liptinenſis, ac alibi, prohibita? diſputant Dd. Vid. WACHTERI *gloſſar.* v. todt.

§. DVII.

ornamenta. Sepulcra, quæ olim erigebant ceſpites, ſunt ſuccedente tempore muris cincta, uel ſtupendæ magnitudinis lapidibus ornata, uel *aris* inſtructa, uel *arboribus* circumdata *q*).

* Quo nobilior defunctus, tanto altior exſtruebatur tumulus.

§. DVIII.

Uſus hodiernus. Hodie (1) non ignorantur *ſepulcrales lapides* aliaque monumenta; (2) cadauera *anatomicis* quandoque traduntur.

o) *L. Ripuar.* LIV. *Longob.* I, 12.
p) *L. Baiuu.* XVIII, 4. 5.
q) PICCARD *antiq. Celt.* c. 5.



LIB.

LIB. II.

TIT. I.

DE REBVS EARVM QVE DIVISIONIBVS.

§. I.

Quicquid in bonis esse potest, *rei* uenit nomine. Res

§. II.

Res diuiduntur (1) in *sacras* & *profanas a*), (2) in *mobiles* & *immobiles*, (3) in *proprias* & *fiscales*, (4) *principales* & *accessorias*, (5) *fungibiles* & *non fungibiles*. uarie diuiduntur.

MEMBR. I.

DE REBVS SACRIS ET PROFANIS.

§. III.

Prima rerum diuisio hæc est, quod aliæ sint *sacræ* aliæ *profanæ* (§. II, 1.). In *illarum* censu antiquitus fuerunt *effigies*, *signa b*), *aræ*, *templa** immo quæuis loca, ubi solemni modo colebantur dii. Hinc *sa-* Res sacrae

a) TACITVS *Annal.* I, 51.
b) TACITVS *de M. G.* c. 7.

sacrorum collium, *fontium c*), *sacrarum arborum d*), præsertim *quercuum e*), *syluarum f*) * non rara in antiquis monumentis mentio. Reliquæ res dicebantur *profanæ*.

* Neque numerus neque splendor *templorum* magnus erat. Tempore TACITI notum erat templum TANFANAE *Annal.* I, 51. HERTHI *de M. G.* c. 40. Vid. OLAVS RVDBECK *Atlant.* p. II. c. 6. Postea uero apud *Saxones* celebratur templum IRMINSVLAE, apud *Slauos* RADEGASTI.

§. IV.

alterauit christiana religio,

Christiana uero religio, & bella illa priuata, sub quibus tota fere Germania medio congemuit æuo, rerum sacrarum & profanarum numerum quodammodo immutarunt. Ex quo enim Christo nomen dederunt maiores nostri, res *sacræ*, in *sacras*, *sanctas* & *religiosas* sunt diuisæ, eædemque ad unamquamque classem relatæ, quas eo pertinere inculcat ius canonicum.

§. V.

& crescere fecerunt bella priuata.

Sic quoque priuata bella præbuerunt ansam (1) ferendi sanctiones de *pace* uarias

c) ADAMVS BREMENS. I, 6.
d) STISSER von der Jagd-Gerechtigkeit in Teutschland c. XI. § 10. seq.
e) *Capitul. R. Franc* VII, 3. 6. CLVVER. *Germ. ant.* I, 34. p. 284. seq.
f) TACITVS *de M. G.* c. 9. 39.

rias *g*), atque (2) *ſanctis rebus* annumerandi *palatia principum h*), *dicaſteria i*), *terminos k*), *pontes regios l*), *molendina*, *aratra*, aliaque *m*).

§. VI.

Sanctitatem alicuius loci quandoque *ſignum pacis* denotat. Quo intelligitur *n*) tabula, cui manus & ſecuris appicta, *uel* ſequens lemma: Signum pacis.

Wer ſtöhrt allhier den Frieden-Stand,
Dem ſtraft das Beil die frevle Hand.

adſcriptum, uel utrumque appoſitum eſt.

MEMBR. II.

DE

REBVS MOBILIBVS ET IMMOBILIBVS.

§. VII.

Res uel *mobiles* uel *immobiles* eſſe diximus (§. II, 2.). *Illæ* audiunt, quæ facile Quæ res mobiles aut

g) GERDESII d. *de pace domeſt.*
h) STRYK d. *de ſanctitate reſident.* FRITSCH *de palatiis & domibus dominicis* c. XII.
i) RITTERSHVSIVS *de iur. aſylor.* c. 3. nr. 22.
k) OBRECHT. d. *de ſacris terminis.*
l) Progr. noſtr. *de regiorum pontium ſanctitate*, §. 11 ſeq.
m) *Ius Lubec.* IV, 15, 2. DATT *de P. P.* I, 16.
n) APPOLD *de ſigno pacis* c. 3. §. 9.

cile moueri possunt, Fahrniß, fahrende Habe rc. aut se mouent ipsæ.

§. VIII.

Immobiles? Res *immobiles* dicuntur eæ, quæ loco circumscribuntur, & salua natura, saluisue iuribus, moueri nequeunt, utpote Grund-Stücke, animalia in socidam data &c.

§. IX.

Quid circa animalia noxia. Animalia sunt uel *noxia* uel *innoxia*. *Noxia* alere nemini, occidere uero cuilibet licet, immo aliquibus sub pœna o) & resarcitione damni p) præceptum est. Sic quilibet leones, ursos q) lupos r) ad sui defensionem occidere potest. Sic dominus simulatque rabiem canis sui animaduertit, eum occidere tenetur.

§. X.

& innoxia iustum sit? Animalia innoxia, siue *esui hominum* siue *alii usui* inseruiant, quilibet alere potest, sine damno tamen tertii debet, alere.

§. XI.

Quænam occidere liceat? Ea uero, quorum nonnisi labore aut custodia utuntur homines, occidere uix li-

o) CARPZOV. *pr. crim.* q. 131. nr. 23.
p) *I. P. S* II, 62. *Gloss. Weichb.* art. 121. nr. 11.
q) *Spec. Sueu.* c. 352.
r) PET. MVLLER d. *de persecut. lupor.*

licet domino, præsertim ubi occisa deglubenda sunt. Hoc enim excoriatoris est, qui propterea iure prohibendi gaudet. Turbatoris uero ianuæ *cultrum* infigit, aut *uehiculum excoriatorium* apponit, summa cum iniuria *s*).

§. XII.

Si uero quis eiusmodi animal, (1) ex uindicta, (2) casu fortuito, aut (3) metuens, ne illud mortis sibi adferat periculum, uel ex alia iusta causa occiderit, de turbatione aliqua queri nequit carnifex.

§. XIII.

Columbarum genus duplex est, uel agreste uel domesticum. *Domesticæ* columbæ mihi sunt, quæ cibo intra limina domus solent pasci, Stuben- Hauß- Tauben; *agrestes* uero, quæ in campum euolant pastum quæsituræ, Feld- Tauben. *Columbas domesticas,*

§. XIV.

Columbas domesticas alere cuilibet licet; potestas uero *agrestes* habendi alibi ad quantitatem & multitudinem *agrorum*, quos quisque possidet *t*), alibi ad certa an- non uero agrestes, pro lubitu alere cuique licet.

s) KLVVERI *Electa de iur. can.* c. VI.

t) F. G. Weimar. L. O. tit. 18. Goth. An. 1653. p. II. tit. 24. Altenburg. tit. 81. STRVV. *exerc.* XLI. th. 17. FELTMANN *de inclus. anim.* c. 21.

anni tempora reſtricta eſt *u*), alibi cuilibet quouis tempore libera, dummodo *canon* ſoluatur annuus *x*).

§. XV.

Pœna, in quam incidit, cui ſunt *plures*, atque licet, columbæ agreſtes, non ubique eadem. *Alibi* columbarius priuatur tantum columbis, licitum numerum excedentibus; *alibi* præterea factum ſuum medimno *y*) auenæ luere tenetur. Qui *legem temporis* neglexit, mulctatur *z*), nec auditur querens de captura *a*), uel occiſione columbarum ſuarum ab agrorum dominis facta *b*).

§. XVI.

Cui *apes* ſunt

Apes ſunt uel *cicures*, quæ alueis incluſæ ex diuturna conſuetudine auolare & reuolare ſolent, uel *ſylueſtres*, quæ nullius ſunt & a quocunque capi poſſunt *c*).

§. XVII.

rapaces, pœnæ ſubeſt.

Rapaces qui alit, damnum ab iis datum reſarcire, & arbitrariam pœnam luere tenetur *d*) (§. IX.).

§. XVIII.

u) *Ordin. Duc. Wurtemb.* fol. 228. §. 4.
x) MVLLERI d. *de iure columbarum.*
y) F. S. Gothaiſ. und Altenb. L. O. c. l.
z) Würtenb. L. O. c. l.
a) FELTMANN *de incluſ. anim.* c. 21.
b) SPEIDEL u. Taube.
c) RAYS *de perſecut. ferar.* §. 26.
d) MVLLERI d. *de iure apum* LEISSERI *Ius georg.* II, 21, 26. ſeq.

§. XVIII.

Canes * *domesticos* quilibet, *uenaticos* uero non nisi iure uenandi gaudens *e*), sibi habere potest. Iure uenandi destitutus, canes, si quos habet feris infestos, nonnisi fustibus oneratos aut alligatos *f*), secum extra urbem sumere potest. Qui secus agit, globo plumbeo traiectos redimere tenetur *g*).

Cani feris infesto fustis appendendus est.

* Quam uariae classes canum constituantur in Teutonum legibus, docuit HOFFMANN *obs. iur. germ.* p. 281.

§. XIX.

Canes occidit, occisos deglubit, atque contra turbatores ad poenam agit excoriator. Nulla autem actio datur illi contra eos, qui (*a*) canes casu fortuito, utue (*b*) se suaque bona defendant *h*), occiderunt, uel, (*c*) ut anatomicum studium prosequerentur *i*), degluberunt (§. XII.). An apothecarii, sicut medici, canes occidere, occisosque deglubere posfint, adhuc sub iudice lis est.

Canem occisum deglubere prohibitum.

*Sic

e) Jagd-Ordn. der H. Bremen und Verden §. 5. seq.

f) *I. P. S.* III, 49.

g) MULLER ad STRUV. *exerc.* XIV. th. 9. lit. s.

h) LEISSER c. l. II, 17, 18.

i) KLUVER *de iure canum.* c. 5.

* Sic quoque morbidos canes curat, rabidos occidit, mortuos occisosque urbe extrahit, & omnes, quos alibi ieiunii quadragesimalis, alibi canicularibus, diebus in plateis deprehendit, secum ducit, nisi eorum collo signum immunitatis a se redemtum adpensum fuerit. ADR. BEIER *de eo quod circa carnifices & excoriatores iustum est* c. 9. ROHR c. l. p. 948. seq. MYLII d. *de iure carnif.*

§. XX.

Anseres. *Anseres*, ubi damnum dederunt, uel abigere, uel per canes expellere potes. Ubi eos abigis, & abactos adsumtis duobus uiris in domum domini sequeris, hic, præter damni restitutionem, emendam soluere tenetur *k*). Si canes, per quos expulisti anseres, hos uulnerauerint uel occiderint, nullatenus teneris *l*).

§. XXI.

Gallinæ. Quod ex præstatione *gallinæ*, prouti hæc dicitur Leib- uel Rauch-huhn proprietas aut subiectio soluentis colligatur *m*) supra dictum est (lib. I. §. XXXVI. LXXVII.).

§. XXII.

Porci. *Porcos* sunt qui diuidunt in *sanos* & *glandulis* laborantes. Qui uero glandulis

k) *I. P. S.* II, 47.

l) *I. P. S.* II, 40.

m) COTHMANN *consil.* 42. *nr.* 163.

lis laborent, ex aperto palato & inſpecta lingua facile cognoſci poteſt *n*).

§. XXIII.

Equorum uitia, tam externa quam interna, enarrare ſuperſedeo *o*), illud tantum monens, quod equus uitio cardinali laborare dicatur Saxonibus *p*), ubi (1) reſtitat, wenn es ſtetig iſt, (2). ſuſpirioſus eſt, Hart- oder Hertz-ſchlägig, (3) illius oculi membrana obducti ſunt, Staar-Blind. Hos ſequuntur *Thuringi*, niſi quod pituitam, Rotz, uitiis cardinalibus etiam annumerent *q*). *Francofurtenſes r*) loco cæci nominant Hauptſiech, als mönnig oder rotzig. *Norimbergenſes s*) uitia equorum cardinalia antiquitus habuerunt: rotzig, reutig, haarſchlechtig, quibus hodie addiderunt den Koller *t*); *Lubecenſes* uero illa: anbrüſtig, ſtettiſch, ſchnöbiſch *u*). Equorum uitia

n) LEISSER c. l. II, 16, 21.
o) LEISSER c l. II, 12, 67. ſeq. ROHRS Haußhaltungs-Recht p. I. p. 876.
p) *Weichbild.* art. 97.
q) VITRIARIVS *de 4. cardinalibus equor. Saxon. uitiis*
r) *Ref. Francof.* p. II. tit. 9. §. 4.
s) *Ref. Norica* lib. II. tit. 16. §. 4.
t) RICHTER d. 95. nr. 30.
u) MEVIVS ad *Ius Lubec.* III, 6, 17.

§. XXIV.

& ornamenta.

Equorum ornamentis modum quidem posuerunt LL *x*), sed eum, qui quouis tempore neglectus est.

§. XXV.

Boues.

Binos *boues* equo æquiparari *y*), ex operarum & steurarum præstatione cognoscere potes.

§. XXVI.

Oues.

Oues alendi & in pascua communia pellendi libertas sæpe restringitur (§. X.) ad quantitatem agrorum & pratorum, quæ quisque possidet *z*). Ea restrictione facta, *ouium* nomine non ueniunt agni *a*), nisi annum nati *b*).

§. XXVII.

In rebus immobilibus sunt

Rebus immobilibus (§. VIII.) non possunt non annumerari (1) *arbores* (2) *horti* (3) *prata*, (4) *uineae c*), (5) *agri*, (6) *syluæ*, (7) *ædes &c.* Arbores fructiferas plantari iubent magistratus, & pœna profe-

x) *Ref. Polit.* 1530. *tit.* 17. *§.* 1. 1548. *tit.* 14. 1577. *tit.* 14. *§.* 1.

y) BECHMANNI d. *de eo quod circa equos iustum est. §.* 18.

z) *Ord. Bauarica lib.* III. *tit.* 14. *art.* 4. *Goth. tit.* 21.

a) LEISSER c. l. II, 14, 11. 52.

b) Ill. ESTOR kleine Schriften p. XII. nr. 10.

c) STRVVII d. *de iure uinearum.*

ſequuntur *d*) quotquot eas cædunt, frangunt, ſcinduntue *e*).

§. XXVIII.

Hortos nominare licebit loca frugifera, quæ, quum ab animalium paſtura communi ſunt immunia, ſepe quadam circumdari poſſunt. Eos modo uoluptati modo uſui œconomico inſeruire *f*), tralatitium eſt. horti

§. XXIX.

Pratorum ſiue locorum, quibus fœnum naſcitur, *alia* hortorum iure gaudent, haben Garten- oder Zaun-Recht *g*), *alia* ad tempus tantum clauduntur, haben Heu-Recht. Terminum a quo clauduntur, Thuringi habent diem Georgii *h*). prata

§. XXX.

Agri ſunt loca, in quibus cultis naſcuntur fruges. *Sylua*, quam locum, ubi deprehenditur arborum uariarum ſponte naſcentium copia, deſcribere potes, uel *cædua* uel *paſcua* dicitur eſſe. agri, ſyluæ &c.

S 3 §. XXXI.

d) tr. vom Garten-R. ſect. I. §. 43.

e) RVGINELLI tr. *de arbor. controu.* c. 15. WILDVOGELII d. *de eo quod iuſtum eſt circa arb.*

f) FRITSCH *de iure hortorum.*

g) IDEM d *de iure prator.* th. 15.

h) TENTZELII d. *de eo quod iuſtum eſt circa prata.* th. 1. not. 3.

§. XXXI.

In quolibet districtu debent

Ambitus agrorum ad urbem uel pagum quendam pertinentium, dicitur *districtus*, Fluhr, Bezirck. Hic autem per agros intelligo non solum loca, in quibus cultis nascuntur fruges (§. pr.), sed & uineas, prata, hortos, imo quaeuis praedia.

§. XXXII.

limites

Fines & ipsius districtus (§. pr.) & praediorum, quae in eo continentur singula, uarie denotantur *i*). Signum uero, quod uel natura *k*) uel ars suppeditat, sanctum habetur *l*), & sine uitio moueri nequit.

§. XXXIII.

Ubi signum naturale deficit, *lapides* plerumque adhibentur *m*). Hos, prout uariorum districtuum, praediorum iuriumque iis annexorum fines denotant, differre sciunt omnes, atque causam intelligunt (1) cur lapides finales uaria sortiantur nomina *n*), & (2) uarie, praesertim

i) BRVNNEMANNI d. *de iure limitum prouincialium* c. 1. §. 17. seq.

k) OETINGER tr. *de iure & controu. limitum* lib I. c. 18.

l) *I P. S.* II, 28. C. C. art. 114.

m) KREBS *de ligno & lapide* p. II. cl. 6. sect. 4.

n) ROHR c. l. p. I. p. 407.

tim (*a*) in *publicos** & *priuatos*, (*b*) *singulares* & *mixtos*, diuidantur *o*).

* Iam mihi animus non est differendi de finibus *territoriorum publicis*, eorumque diuersitate, de quibus agit HILDEBRAND d. *de diuersitate lapidum finalium* c. 1. §. 6. seq. & d. *de uisitatione finium prouincialium atque publicorum* c. 2. §. 9 aut de nomine *Weichbild*, quo uocatur signum urbici districtus fines denotans.

§. XXXIV.

Fines alicuius districtus uel agri ubi determinandi sunt (1) *iudex* * (2) *praesentibus p*), saltem citatis, iis quorum terminos recte poni interest, (3) *per uiros terminales*, publica auctoritate constitutos, aut, his deficientibus, priuatos quidem, sed eos, qui ab utraque parte admissi iurarunt de munere rite obeundo, (4) *lapides*, cruce, literis alioue charactere notatos ponere, (5) iisque *testes* seu ouula ** subiicere debet *q*). publice poni.

* Iudicem terminos positurum iurisdictione bassa munitum esse sufficit ERTEL pr. aur. *de iurisd. infer.* 1, 6. *obs.* 1. WEHNER *obs. pr.* u. Vogtey. Dissensum LEOPOLDI d. *de concurr. iurisd.* q. 12. & MYLERI ab EHRENBACH *metrol.* c. 4. nr. 3. non curo, quum *ille* lapides fina-

o) HILDEBRANDI d. *de diuersitate lapid. finalium* c. 1. §. 5.

p) *I. P. S.* II, 50.

q) BESOLD *th pr.* u. Marckstein. HILDEBRAND d. *de diuers. lapid. final* c. 2.

finales territorii, *hic* lapides terminum iurisdictionis criminalis denotantes, confundat cum agrestibus.

** Ouula conficere solent tegulæ, orbes uitrei, carbones & alia quæ perdurant, nec tempore consumuntur. OETINGER c. l. c. 17. Progr. nr. *de librorum, quos* Gräntz-Lager-Bücher 2c. *dicere solemus, forma, continuatione &c.* §. 4.

§. XXXV.

legitime describi,

Liber, quo non districtus solum, sed & singuli agri, eorumque fines describuntur, audit das Fluhr-Buch, Bezirck-Brief.* Hic libellus ut rite & perfecte conditus queat dici (1) *publica auctoritate* ita debet esse confectus, ut præmissa charta, prædia totius districtus sufficienter exhibente, Fluhr-Charte, illiusque illustratione, singula notentur prædia, quod ad qualitatem, situm, signa, iugera, & possessorem, una cum *terminis*, ad quos usque, itidem *personis*, a quibus, atque *legibus*, sub quibus hæc & illa iura in iis queant exerceri *r*).

* Ab hoc differt libellus ille, quem uulgus uocat einen Fluhrläufer. In hoc enim breuis tantum nec solemniter facta descriptio omnium ac singulorum agrorum districtus ad urbem uel pagum pertinentis legitur. Vid. pr. nr. IV. de li-

r) Pr. nr. II. & III. *de librorum, quos* Gräntz-Lager-Bücher 2c. *dicere solemus, forma, continuatione, renouatione, fideque uaria* §. 7. seq. §. 14. seq.

librorum, quos Gränz-Lager-Bücher, Fluhr-läufer 2c. *dicere solemus, forma, continuatione renouatione, fideque uaria.*

§. XXXVI.

Ut termini rite positi farti tectique conseruentur, iudex cuiusque districtus non solum homines aliquot integrae famae uitaeque, ubi fidem iurato dederunt de officio rite obeundo, custodes, Schützen, Feld-Schützen, Flur-Acker- oder Wiesen-Voigte constituit, sed & ipse fines pro re nata uisitat. *Custodes* illi praeterea, (1) ut ne damnum sentiant, aut plane deuastentur *s*), furtisue pateant *t*) uineae, horti, prata reliquique agri, curare, & (2) eorum deuastatores, fures &c. si quos deprehenderint, pignorare debent. a custodibus defendi,

§. XXXVII.

Quia temporis iniuria, hominum malitia aliaque confundunt, turbant; nonnunquam etiam pacta, transactiones, praescriptiones mutant tam singulorum agrorum quam districtus publici limites: ad uitandam confusionem agros ac limites districtus inspicit uisitatque iudex *u*)*. suo tempore uisitari,

S 5 Ui-

s) *Ord. Wurtemb.* tit. von Feld-Stuzlern. WEHNER *obs. pr.* h. u.

t) *Ord. Goth.* p. II. c. 3. tit. 27.

u) *R. I.* 1548. §. Dieweil aber 1570. §. Wenn aber immittelst.

Uisitaturus die, quem sibi subiectis, & uicinis ante significauit, armata sæpe manu, nec non sculteto & scabinis stipatus circumit terminos. Hos per fide dignos agrimensores inspicit, pueris præsentibus inculcat, & denuo describit in libro illo publico, qui das Fluhr- oder Gräntz Buch dicitur *x*). Alicubi maioris solemnitatis gratia actus hic tibiis ac tympanis, mit Trummeln und Pfeiffen solet celebrari *y*).

* Terminorum, quibus prouinciæ principatus distinguuntur, uisitationem, huiusque effectus docet HILDEBRAND d. *de uisitat. fin. prouinc.* c. 2. §. 5. seq. & §. 19. seq.

§. XXXVIII.

& obscuri eleuari.

Lapides, qui collapsi aut obscuri facti sunt, itidem de quorum qualitate disceptatur, debent præsentibus iis, quorum interest, ab agrimensoribus solemniter *z*) eleuari, ut eorum signa atque ouula queant inspici.

MEMBR.

x) OETINGER c. l. I, 20.
y) FRITSCH. ad BESOLDVM u. Fluhr-Recht.
z) HILDEBRAND c. d. c. 3.

MEMBR. III.

DE RELIQVIS RERVM DIVISIONIBVS.

§. XXXIX.

Res porro diuiduntur in eas quae sunt PRINCIPIS, VNIVERSITATIS aut SINGVLORVM. Antiquitus PRINCIPES (1) *aerem*, (2) *flumina maiora* eorumque incrementa & commoda *a*), (3) *syluas maiores b*), (4) *metalla*, (5) *mineralia*, (6) *salinas*, (7) *uias publicas* ita uindicarunt sibi, ut eorum usus pateret nemini, nisi cui istum concesserint, atque concessum salua superioritate datum esse statuant. Res 3) sunt uel principis

§. XL.

Ad VNIVERSITATEM pertinent *praetoria*, *malli*, *curiae*, *fora*, *aquaeductus*, & quandoque Hochzeit- und Tanz-Häuser, *torcularia*, *molendina*, *domus braxatoriae*, *pascua*, *syluae*, *furni*, quibus earum membra, mox pro diuiso mox pro indiuiso, solent uti, quatenus ad uniuersitatis onera ferenda suum contribuunt. uel uniuersitatis

§. XLI.

a) HERTIVS d. *de superior. territor.* §. 47.
b) *Capit. R. Franc.* IV, 42.

§. XLI.

uel singulorum, quæ iterum uel propriæ

Res SINGVLORVM ſunt uel *propriæ* uel *fiſcales*. *Illæ* dicuntur, quæ optimo maximo iure poſſidentur & ad heredes transeunt. Diuiduntur in res a *parentibus* acceptas & ex *comparato* quæſitas.

§. XLII.

uel fiſcales. Hæ in feuda

Res *fiſcales* audiunt, quæ a rege h. l. ſunt conceſſæ, ut a ſteuris aliisque oneribus immunes ad ſolos transmitterentur* maſculos. Concedebat autem rex rerum ſuarum dominium mox *plenum* mox *minus plenum*. Ubi *hoc*, *feuda*, ſin illud, *ſalica* dicebantur bona.

* Ab initio *beneficia* ad nullum plane heredem transmitti poterant, ſed ſcripta erat lex, ut cum uita accipientis finirentur. BIGNONIVS ad MARCVLF. lib. I. c. 2.

§. XLIII.

& ſalica bona diuiduntur.

Salica c), quæ ad fidelitatem ſeruandam, ſeruitia militaria præſtanda, inueſtituram petendam uix obligabant, non felonia, ſed ſolo crimine læſæ maieſtatis, amittebantur *d*). De *feudis* tit. v. agendum erit.

§. XLIV.

Uſus hodiernus.

Adhuc hodie res *propriæ* in *hereditarias*

c) b. STRVVIVS *de allod. imper.* §. 7.

d) GREGOR. TVRON. *hiſtor.* IX, 38.

rias. & *acquisitas*, erbe und errungene uel wohlgewonnene Güter diuiduntur *e*). Ast bona hereditaria non ubique dicuntur eadem. Solum ius *Luneb. f*), quantum scio, significatum seruauit pristinum, quem *Hamburgenses g*), ad bona iure hereditario aut dotis nomine a parentibus & agnatis quaesita extenderunt, *Saxones* contra ad bona ab auo profecta restrinxerunt *h*).

§. XLV.

Bona salica, licet non nomine, re tamen adhuc superesse putarem. Allodiorum enim, quae passim nobiles & status imperii possident, eadem sunt atque salicorum iura. Nam (1) ad primogenitum spectant, nec (2) prius quam masculis extinctis ad filias perueniunt*; (3) ob solum crimen laesae maiestatis in fiscum rediguntur *i*).

* Quem effectum uulgus potius filiarum illustrium renuntiationibus, quam ipsi bonorum naturae tribuit.

§. XLVI.

e) LVDOVICI d. *de diuerso iure bonor. hered. & adquisit.*

f) p. VI. *tit.* fin.

g) p. III. *tit.* 1. *art.* 7.

h) p. II. *const elect.* 12.

i) *Ordin. Wormat.* 1521. *tit.* 2.

§. XLVI.

Res 4) sunt uel principales uel accessoriæ.

Quatta rerum diuisio hæc est, quod aliæ sint *principales* aliæ *accessoriæ*, appertinentiæ *k*), pertinenz Stücke.

§. XLVII.

Pertinentiarum diuisio

Sunt, qui pertinentias in *proximas* diuidunt & *remotas l*). *Proximas* uocant, sine quibus res principalis subsistere, & nomen, quod gerit, gerere nequit. Sic u. c. fortalitii uel castri muniti pertinentiæ proximæ erunt bellicæ machinæ, tormenta fusilia, Geschütz, artollerie und munition auf der Festung. *Remotæ* uero dicuntur, quarum absentia nihil quicquam detrahit naturæ nominiue rei principalis.

§. XLVIII.

causæ

Causæ, ex quibus una res ad aliam pertinet, fere hæ sunt: (1) *natura*, (2) *lex* (3) *consuetudo* (4) *pactum*, & (5) *destinatio patrisf.* in actum deducta.

§. XLIX.

modus

Unde facile colligere potes (1) pertinentias rerum diuersi generis, immo (2) rerum unius eiusdemque generis *numero*,

---

k) *I. P. W.* art. III. §. 6. 17. 37. MVEG d. *de pertinentiis* p. I. th. 3.

l) LEISSER c. l. III. 1, 5.

ro, modo & qualitate admodum differre; (3) pertinentias ad unum omnes *in facto* confiftere.

§. L.

probatio. Hinc, qui pertinentias adferit, earum caufam (§ XLVIII.) numerum, modum & qualitatem (§. XLIX, 1. 2.) ex cenfualibus aliisque auctoritate publica confcriptis, libris *probare* debet *m*). *Præfumtionem* hic exulare omnem, aliqui ftatuunt *n*). Aft, me quidem iudice, pertinentiæ, fi non remotæ *o*), *proximæ* tamen, *quod ad modum* ex coemtione, compoffesfione & cohærentia fiue adiacentia *p*), *quod ad numerum* uero ex coniunctione in literis inueftituræ, emphyteufeos &c. facta praefumi poffunt *q*).

§. LI.

5) uel fungibiles uel non fungibiles. Res denique, prout ab aliis indiuiduis eiusdem generis uel plane non uel quodammodo differunt, & fic in commerciis alterius uice fungi poffunt nequeuntue: in

m) STRYK d. *de probat. pertinent.* KLOCK *Tom.* III. *conf.* 157. *nr.* 44.
n) RICHTER p. IV. *conf* 23.
o) BERGER *El. difc. for.* p. 1108.
p) MENCKEN *de probatione pertin. feudal.* §. 19.
q) Ill. BOEHMER *Confult. Tom* I. p. II *conf* 25. *nr.* 4. & *conf.* 59. *nr.* 3. STRYBEN *de iure uillicor.* c. 3. §. 27.

in *fungibiles* & *non fungibiles* diuiduntur (§. II, 5.) *r*).

TIT. II.
DE
DOMINIO.

§. LII.

Ex dominio fluit potestas

Dominium* est potestas de re quadam illiusque fructibus libere, legitime tamen, disponendi & alios ab eodem iure excludendi *s*).

* De *uulgari* mihi iam sermo est, non *eminente*, ui cuius principes possunt res singulorum in usum reip. conuertere COCCEII d. III. *de imperio in pares* §. 6. seq.

§. LIII.

Unde hæc deduco axiomata:

I. Dominus de re sua illiusque usu libere disponere potest.

II. Dominus a re sua illiusque usu excludit alios

III. Potestatem domini sæpe restringunt LL. moresque.

§. LIV.

rem in quamuis utilitatem uertendi,

Fallor, aut ex primo (§. pr.) intelligere potes, dominum posse rem suam (1) *signo*, quo uelit, a rebus aliorum distingue-

r) THOMASII d. *de pretio adfect.* c. 1. §. 17.
s) POLAC *Syst. Iurispr. Germ. ant.* III, 1, 3.

guere; (2) pro lubitu alienare, immo (3) perdere; (4) quod ad formam mutare, quid? quod (5) in fundo suo ædificare, quæ & quo modo uelit *r*).

§. LV.

alienandi, Quia dominus alienat pro lubitu (§. LIV, 2.), penes illum est (1) quo titulo (2) modoque, nec non (3) in quem & (4) in quantum uelit, rem transferre suam. Potest itaque prædium suum (5) uel plene uel minus plene, (6) uel pure uel sub conditione *s*), (7) ad tempus & in perpetuum &c. transferre, multo magis (8) illud hypothecæ dare, seruitute quadam onerare &c.

§. LVI.

ædificando mutandi, Si dominus, quid & quo modo uelit, in fundo suo ædificare potest (§. LIV, 5.): sequitur, ut possit (1) *ædes*, *stabula quæuis*, *columbaria t*) &c. in suo exstruere, (2) *tectum* quodcunque ædibus imponere, (3) in parietibus paucas pluresue *fenestras u*), easque uel prospiciendi uel lumi-

r) LINCK d. *de iure ædificandi in suo.*

s) KRAVSII d. *de iuribus & moribus reseruatorum rusticorum.*

t) RAVCHBAR p. II. q. 27. nr. 19.

u) RICHTER *dec.* 6.

minis accipiendi gratia, aperire, & (4) *cellam*, *puteum*, *fontem* fodere, si uel maxime uicino adimat lumen, aut uenas putei ad illum spectantis exsiccari faciat.

§. LVII.

a re, illiusque usu excludendi alios.

Secundum (§. LIII, 2.) docet, media danda esse domino, quibus re sua, illiusque usu arceat iniuriam. Hinc potest (1) construere *aggeres x)*, *suggrundia y)* &c. (2) agros *sepibus fossisque* cingere, (3) fures abigere & suo modo occidere.

§. LVIII.

Porro licet ei (4) nouum opus nuntiare, (5) cautionem de damno infecto, & (6) fines* regundos petere, (7) damnum dantes pignorare, (8) rem a quouis uindicare &c.

* Qui ubi sunt obscuri, agrimensores in eorum signa (§ XXXVIII) singularia sedulo inquirere, eaque in ichnographia iudici exhibenda notare, debent. RVLAND *de commiss.* p. I. lib. IV. c. 20.

§. LIX.

Termini tamen ponuntur

LL. moresque potestatem domini saepe restringunt (§. LIII, 3.) idque toties quoties *ius tertio quaesitum* aufertur, aut *interesse principis uel uniuersitatis* laeditur.

§. LX.

x) ROHR c. l. p. 1173. LEISSER c. l. III, 9, 25.
y) LEVCHT. *de iure fenestrarum* c. II. §. 11.

§. LX.

Accipe caufam, cur, licet formam fundi mutare res meræ facultatis fit (§.LIV, 4.), tamen nemini (1) ex *ædibus hortos z*), aut (2) in locis, ubi frumentum rarius, *ex agris uineas a*), nifi confenferit princeps, efficere liceat, nec (3) cuidam detur, ut *fyluam in agrum b*), uel (4) *agrum in hortum, uineam, pifcinamue* redigat, nifi eo confentiente, cuius ius uenandi *c*) uel pafcendi *d*) imminuitur. mutationi,

§. LXI.

Porro iura nolunt (5) ciuem *figno* alteri ufitato, in huius præiudicium, uti, aut (6) re fua libere *abuti*. Qua de re (*a*) *luxui* ponunt limites *, (*b*) declarant *prodigos*, (*c*) dant fteurarum cameris, ut ex ædibus eiiciant dominos, qui illas leuiter curando perdunt, (*d*) iubent hortos coli, fructiferas ** plantari arbores *e*), & fructus non nifi tempeftiuos colligi. abufui

T 2 * Id

z) KLOCK *de ærario* II, 18, 3. ROHR c.l. p. 569.
a) Würtenb. L. O. tit. mit was fürohin neue Wein-Garten ꝛc. §. 1. 2.
b) Meurers Jagd- und Forſt-Recht p. II. tit. Ob der Eigenthums-Herr ſeinen eigenen Wald unverhindert des Forſt-Herrn ausmüthen könne.
c) Hohenloh. Forſt-Ordn. tit. 2.
d) LEISSER c.l. III, 9, 15.
e) H. S. G. Gothaiſche L. O. p. II. c. 3. tit. 25.

* Id quod *leges uestiariæ* ad oculum demonstrare possunt.

** In Ducatu Wurtembergico moris est, ut quilibet, qui se in ciuem recipi petit, arborem fructiferam in loco quodam communi; plantare teneatur. SPEIDEL. u. Garten.

§. LXII.

alienationi &

Liberæ *alienandi* potestati LL., mores & statuta non eosdem ponunt limites *f*). (1) *Alicubi* prædium per structuram uel ex destinatione alii iunctum ab hoc sine magistratus consensu diuellere *g*), (2) *alibi* immobilia, inscio iudice *h*), &, ubi hereditaria sunt, seu auita, heredibus inuitis *i*), alienare, (3) *alibi bona immobilia* ad manus mortuas *k*), aut in clerum Romanum *, eosue, qui onera ciuium ferre uel nolunt uel nequeunt *l*), aut ciues

f) STRYK d. *de alienat. illicita.*

g) *Ref. Franc.* p. II. tit. 3. §. 16. Ill. KEMMERICH d. *de facultate alienandi & acquirendi bona immobilia I Franc. restricta* § 17.

h) *Dec El. Sax.* 61 & p II. const. 12. *Reform. Franc.* c l. § 7. WERNH. p. IX. obs. 39.

i) *I. P. S* I, 52.

k) CRAMERI d. *de alienat. bonor. equestr. ad manus mortuas, per statutum prohibita.* SCHWEDERI d *de statutorum, alienationem bonorum immobilium in ecclesias & clericos prohibentium, ualiditate* c. 2. § 3

l) BESOLD ad *I. P. Wurt. disp.* 2. §. 100. *Ref. Franc.* c. l.

ues nondum facti sunt *m*) transferre, (4) *prædia rusticorum* tam integra quam diuisa nobilibus cedere *n*), (5) *merces uenales*, ciuibus non expositas, loco dimouere *o*) (lib. I. §. CXC.) licet nemini; nec denique (6) in locis, ubi communio bonorum uiget, coniux altero inuito, prædium suum illiusue usum alienare potest *p*), nisi dissentientis iura salua sint maneantque *q*).

* V. c. COLONIAE, teste BESOLDO *conf.* 178. nr. 34. in ciuitate ESLINGENSI u. KNIPSCHILD *de iur. ciuit. imper.* III, 14. nr. 62. RATISBONENSI. V. der St. Regenspurg Wachtged. Ordn. FRANCOFVRTANA *Priuilegia & Pacta* der H. R. R. Stadt Franckfurt p. 260. 400. *Ref. Franc.* p. II. tit. 3. §. 6. aliisque, quod testatur GAIL *lib.* II. *obs.* 19. nr. 2. Eo quoque tendit statutum IVLIACENSE, si fides habenda KLOCKIO *de contribut.* c. 12. nr. 89.

§. LXIII.

Quia facultatem domini in suo pro lubitu quid & quo modo uelit ædificandi restringunt mores toties quoties interesse læditur publicum (§. LIX.): ui- ædificationi, ratione rei publicæ &

T 3 des,

m) *Priuil. Rudolphi & Caroli VI. ciuitat. Norimberg. dat.*

n) ROHR c. l. p. 441. 474.

o) HEINECCIVS *Elem. I. Germ.* lib. I. §. 118.

p) *Ref. Franc.* p. III. tit. 6. §. 3. seq.

q) S. Würzb. *Ed.* de A. 1700.

des, (1) cur nemini priuato, ne quidem nobili (lib. I. §. CXXVII.), ædes suas *turribus & propugnaculis* munire liceat *s*); (2) cur mores iubeant ædificia, ubi ignis sæpe suscitandus est, bene muniri *t*), & sua interstitia habere *u*), nec (3) penes ea exstrui *borreum*, aliudue, quod ignis facile peruagari potest; (4) cur alibi statuta *ædificiorum altitudinem*, *ordinem*, *ornatumque* determinent, atque (5) uelint, ut (*a*) ex lapidibus exstruantur ædes, (*b*) ædificia priuata a publicis X. p. distent, (*c*) nullumque opus fiat nouum, ædilibus non consultis *x*); (6) cur *balnea y*), *furni z*), *hospitia* (lib. I. §. CCLXXII, 2.) iis tantum in locis, ubi fuerunt antea, ædificari queant.

§. LXIV.

iuris tertio quæsiti.

Facultati pro lubitu ædificandi limites quoque ponit ius tertio quæsitum (§. LIX.). En causam (1) cur nemo *ad æmu-*

s) STRYK d. *de iure probib. exstruct. fortalit.* §. 34. seq.

t) ID. d. *de iure furnor.* c. 5. nr. 21. SPEIDEL thes. u. Brunst.

u) LINDENSPVR *comment. ad Ord. Pol. Wurtenb.* f. 284.

x) SCHILTER *exerc.* 42. § 26. 27. WVRFBAIN *differ. iur. ciu. & Nor.* p. 210.

y) ROHR c. l. III, 18.

z) *Gl.* ad *Weichb.* art. 123. MEVIVS ad *Ius Lub.* III, 12, 11.

*mulationem** i. e. illud exſtruere poſſit, quod alteri nocet, ſibi uero uel plane non uel ad res illicitas tantum prodeſt; (2) cur aliquid in alienum immittere *a*), & *tectum* ſuum ita, ut in uicini aream cadat ſtillicidium *b*), porrigere liceat nemini; (3) cur *feneſtras* aperire prohibitum, per quas facilis deſcenſus in uicini hortum horreumue *c*). Unde illud eſt, quod quarundam prouinciarum LL. tantum abeſſe iubeant, ut ubi nullæ fuerunt antea feneſtræ, aliquot plene aperiantur *d*), ut potius priſtinæ ferreis clathris obſerantur præmunianturque *e*).

* Ex quibus circumſtantiis hæc queat colligi, docet MEVIUS ad *Ius Lub.* III, 12, 7. nr. 30. ſeq.

§. LXV.

Idem in cauſa eſt, (4) cur ea quæ *ignem*, *aquam*, *fœtoremue* alunt, u. c. ſtabula porcorum, cloacæ, furni &c. exſtrui, & (5) *fontes* fodi nequeant, niſi in loco, qui a uicini pariete uel ſepe diſtat trium pedum

 ſpa-

a) STRYK d. *de iure in res alterius.*
b) *I. P. S.* II, 49.
c) CRAVS *de iure feneſtr.* th. VI. ſeq.
d) *Stat. Franc.* p. VIII. tit. 7. §. 2. Anmerck. der erneuerten Frf. Reform. p. 524. MEVIUS ad I. L. III, 12, 13. LEVCHT. c. l. §. 20.
e) *Wurt.* Bau=Ordn. f. 44. *Stat. Franc.* c. l. §. 3. 4.

ſpatio *f*); (6) cur *ſterquilinium* lapidibus probe muniri debeat *g*); (7) cur nulla uis facienda ſeruituti, ſi qua naturaliter *h*), aut pacto aut ultima uoluntate conſtituta eſt.

§. LXVI.

De limitibus, quos Ordinibus S. R. G. I. in ædificando ponunt LL. priuilegia, pacta &c. hic diſſerendi locus non eſt. Eos ſciſcitaturus adeat FRIDERICVM IACOBVM RIESE *i*).

§. LXVII.

Dominium in limitatum & illimitatum diuiditur.

Sicut arbitrio rem mutandi (§. LX.) alienandi (§. LXII.) ædificandi (§. LXIII. ſeq.), nec non ea abutendi (§. LXI.) terminos ſuos ponunt mores legesque; ita etiam fieri ſolet, ut eos ponat conuentio. Hinc (1) dominium in *limitatum* & *illimitatum* diuidunt, nec (2) *illud*, ſed *hoc* præſumi adſerunt Dd.

§. LXVIII.

Dominus ferre debet realia onera, ſpeciatim

Dominus, quisquis ſit (§. pr.), qui ex rebus ſuis omnes fructus percipit, onera quo-

f) *I. P. S.* II, 51. *Weichb. art.* 122. ſeq. STRYK *de I. Senſ.* diſſ. V. c. 3 nr. 17. ſeq.

g) *Ius Mind.* I, 15, 5. *Ref. Frf.* p. VIII. tit. 6. §. 7. MEV. c. l. III, 12, 10.

h) HERT. d. *de ſeruitute nat. conſtit.* c. 2. §. 1. ſeq.

i) d. *de reſtricta ædificandi libertate* c. 2.

quoque his impoſita, ſint cuius uelint generis aut nominis *k*), ſint ordinaria an extraordinaria, ferre debet, niſi immunitatem ab illis uel pacto uel priuilegio uel præſcriptione conſecutus fuerit *l*). Omnis autem immunitas (*a*) ſtrictisſimæ interpretationis eſt, (*b*) præſentia tantum non futura bona tangens *m*), nec (*c*) attendi ſolita in caſu, qui præter omnem ſpem & opinionem ſuperuenit; (*d*) ceſſat, dum illius cauſa non amplius ſupereſt.

§. LXIX.

In quibus oneribus præſertim ſunt *ſteuræ*, præſtandæ iuxta tenorem cataſtri legitimi *n*). **ſteuræ**

§. LXX.

Illud uero legitimum dicitur, cui condendo *o*) renouandoque * *p*) interfuerunt ſingulorum prædiorum domini **. Alicubi adhuc requiritur, ut renouatum princeps confirmauerit *q*). **iuxta cataſtra.**

T 5 * Tem-

k) GRVPEN *diſcept. for.* p. 885. ſeq.
l) *Rec. Imp.* 1548. §. Und ſoll. PHILIPPI d. *de præſcriptione immunitatis a tributis* §. 14. 18.
m) Diſſ. STRYK *V. m. w.* tit. de iure immun. §. 2.
n) MODEST. PISTOR *Vol.* II. *conſ.* 8. nr. 10. LYNCKERI d. *de cataſtris.*
o) STRYK. d. *de iure ſubcollectandi* c. 3.
p) LYSERI d. *de cataſtri reuiſione.*
q) STRYK c. l. §. 7.

* Tempus, intra quod fieri debeat cataſtri reuiſio, lege uel more uniuerſali ſtatutum non eſt.

** In hoc non deſcripta prædia habentur a ſteuris immunia. KLOCK *de contrib.* c. 13. ſect. 1. nr. 53. LYNCKER *reſol.* 410.

§. LXXI.

Denique notes: (1) ſteuras aliaque onera ſummario proceſſu *r*) peti poſſe, (2) eorumque exactores legitimos inter primos creditores poni debere *s*). *A quibus, quibus, quibus ex cauſis, quibusque modis* imponi ſoleant collectæ, docuerunt KLOCK *t*). WILDVOGEL *u*), GERDES *x*), aliique; cui uero ius ſubcollectandi competat ex STRYKIO *y*), &, qua pœna adficiendus ſit, qui res collectis obnoxias reticuit, ex ROTTENHOFIO *z*) diſcere potes.

TIT.

r) KLOCK *de contribut.* c. 18.

s) WERLHOF *de iure & priuilegio collectarum in concurſibus creditorum.*

t) c. I c. 4 ſeq.

u) d. *de iure collectarum.*

x) d. *de collectis & contributionibus imperii prouinciarum*

y) d *de iure ſubcollectandi.*

z) d. *de reticentia rerum collectis obnoxiarum.*

TIT. III.
DE
CONDOMINIO.

§. LXXII.

Dominium unius rei ad plures pro partibus indiuisis ſpectans, dicitur *condominium*. Condominii

§. LXXIII.

Huius eadem eſt natura & conditio, quæ dominii. Itaque *condominium* alicuius rei & limitatum & illimitatum eſſe poteſt (§. LXVII.), nec (2) inuoluitur iuris alicuius in ea exercendi dominio ad plures ſpectante; (3) quilibet condominorum poteſt rem uindicare, ab iniuriis defendere, ſicque damnum dantes pignorare (§. LVIII.), quid? quod irrequiſito quidem conſenſu, non tamen in præiudicium condomini, aut contra LL. moresque (§. LXII. LIX.) partem ſuam, quo uelit titulo modoque, alienare, perdere. natura

§. LXXIV.

Porro notandum (4) quod capax dominii ſit quoque capax condominii; (5) quod unus inuito altero nihil facere poſſit, niſi quod ſpecialis LL. diſpoſitio iubeat, aut neceſſitas, aut deſtinatio rei communis ab initio facta, aut inde nul- iuraque.

lum

lum damnum ſentiat condominus. Hinc contradicentis conditio ſuo tantum modo melior poteſt dici; (6) quod condomini in iudicio contra tertium agentes communem procuratorem conſtituere *a*), & (7) onera impoſita rei, cuius ſunt condomini, ſimul ferre debeant (§.LXVIII.).

TIT. IV.

DE

DOMINIO MINVS PLENO.

§. LXXV.

Dominium minus plenum abit in

Dominium porro, quia quandoque in partes diſtribuitur, quarum quæque dominii nomen retinet, in *plenum* & *minus plenum* diuiditur. *Illud*, quod ſæpe *allod*, Sonnen=Lehn *b*), Erb= und Eigen dicitur, tit. II. iam deſcripſimus; *hoc* uero nobis eſt *dominium inter duos inæqualiter diuiſum*, ita quidem, ut uni pars tantum proprietatis, alteri uero pars proprietatis cum uſufructu coniuncta competat. Eodem modo diuidi poteſt condominium.

§. LXXVI.

directum &

Dominium, ſiue in perpetuum ſiue ad tempus lex diuiſerit uel conuentio, abit in

a) FROMMANNI d. *condominio territorii.*

b) FRITSCH *de feudo ſolari.*

in *superius*, Ober-Eigenthum, Haupt-Gerechtigkeit & *utile*, das mindere, nutzbare, niedere Eigenthum. *Illud* est *potestas de re ita disponendi, ut ne damnum dominio inferatur utili.*

§. LXXVII.

Dominium utile, quod quandoque *ususfructus* c), *Lidoleip* d) &c. uocatur, & se semper ad superius refert (§ pr.), est *potestas* DE RE *secundum legem & conuentionem*, DE ILLIVS FRVCTIBVS *autem pro lubitu disponendi.* Quod dominium, ubi perpetuum est, ad superius suo tempore recognoscendum obligat. utile. Hoc tribuit

§. LXXVIII.

Ex quibus hæc deduco axiomata:

I. Dominium utile est illimitata de rei fructibus &

II. restricta de ipsa re disponendi facultas.

III. Cui dominium utile in perpetuum competit, ille suo tempore dominium superius recognoscere debet.

IV. Diuisio dominii facti est.

§. LXXIX.

c) BEYER *delin. I. G.* II, 10. SCHILTER *exerc.* XVI. §. 19. 20. THOMAS. *ad Inst.* II, 4. p. 57.
d) *L. Longob.* II, 15, 2. *I. P. A.* c. 48.

§. LXXIX.

potestatem de rei fructibus libere,

Quia dominus utilis illimitata gaudet potestate de rei *fructibus* disponendi (§. pr. 1.) uidere mihi uideor, eum posse (1) quosuis ex re fructus capere, (2) perceptosque quouis titulo alienare, immo (3) ipsam fructuum perceptionem alteri locare, (4) pignori dare &c.

§. LXXX.

de re ipsa autem restricte disponendi.

Illud non solum, quod dominus utilis possesfione tam naturali quam ciuili gaudeat, & rem sine superioris domini consensu, ne quidem urgentis necesfitatis tempore, in perpetuum alienare, seruitute onerare, pignori dare &c. nequeat; sed & *hoc*, quod dominium utile in seruitutum numerum falso referatur, ex secundo (§. LXXVIII, 2.) patebit axiomate.

§. LXXXI.

Tam perpetuum quam temporarium

Ad tertium (§. LXXVIII, 3.) notes, recognitionem superioris dominii in eo consistere, quod, quoties uel superior uel utilis mutatur dominus, hic ab illo *inuestituram* uel saltem *inuestituræ renouationem* petere, atque pro inuestitura *laudemium*, *Launechild e*) soluere debeat. Illud præter ea notandum erit, (1) quod nihil referat, ipse dominus utilis, an illius pro-

e) *L. Longob.* II, 1, 6.

procurator inueſtituram petat huiusue renouationem; (2) quod & tempus, intra quod ea petenda, & laudemii quantitas, nimium quantum uariet.

§. LXXXII.

Quartum (§. LXXVIII, 4.) docet, non eſſe, cur uelis (1) dominium alicuius rei diuiſum præſumere; (2) diuiſionem probatam extendere, & (3) u. c. ſub diuiſo iure in certa ſylua capiendi feras, dominium iuris in eadem cædendi ligna, diuiſum intelligere. **non præſumitur.**

§. LXXXIII.

Denique, quia cuique dominio pacto poni poſſunt limites (§. LXVII.), mirum non eſt, quod dominium utile limitetur ſæpe ſucceſſionis, recognitionis &c. intuitu.

TIT. V.
DE
FEVDO.

§. LXXXIV.

F*eudum** eſt uſusfructus rei (§. LXXVII.) qui alicui ſub lege fidelitatis & ſeruitiorum militarium ** in perpetuum competit. Feudum, quod

* Prima ueſtigia feudorum in Germania perueſtigauit IAC. CARL. SPENER *primit. obſeru. hiſtor. feud.*

feud. obs. 1. denominationis uero rationem docet STRVV. *Iurisprud. feud.* c. 1. §. 7.

** Quandoque *aulicorum*, quod docuit BECK *de paribus reip. ministri & uasalli iuribus.*

§. LXXXV.

uarium

Feuda (1) in *noua* & *antiqua*, (2) *data* & *oblata*, (3) *secularia* & *ecclesiastica*, (4) *immediata* & *mediata*, (5) *maiora* & *minora*, (6) *ligia* & *non ligia*, (7) sita *in curte* uel *extra curtem &c.* diuidi, constat inter omnes *f*).

§. LXXXVI.

uasallus accipit,

Feudum qui concedit, audit *dominus*, *dominus superior*, *dominus directus*, *senior*, *patronus;* qui uero illud accipit, *uasallus*, *cliens*, **Mann**, **Lehnmann**.

§. LXXXVII.

Ex quo discimus:

I. Vasallum rei in feudum datæ dominum utilem

II. eumque perpetuum esse, atque

III. domino debere fidem & seruitia militaria.

IV. Domini directi esse, præstare euictionem rei in feudum datæ.

V. Feudum facto niti.

§. LXXXVIII.

est dominium

Vasallus rei in feudum datæ dominus est

f) HORN *Iurispr. feudal.* c. 3.

eſt (§. pr. 1.). Hinc eam (1) tam naturaliter quam ciuiliter *posſidet*, (2) a tertio *uindicat* (§. LVIII.) *g*), (3) *refutat h*), (4) *defendit* (§. eod.).

§. LXXXIX.

Ex eodem conſtabit de cauſa (5) cur conceſſio feudi ad inſtar alienationis ſit, ideoque (6) non niſi res quæ in commercio eſt, & cuius dominium poteſt diuidi, ab illius libero moderatore & arbitro, ei, qui aliquid acquirere poteſt, in feudum dari & offerri queat; (7) cur imperator de imperio, epiſcopus, &, ſede uacante, capitulum de diœceſi * nonniſi (*i*) bona infeudari ſolita *i*), (*h*) quæque lex uel capitulatio non excepit, in feudum dare poſſint.

* Feuda, quæ de diœceſi conferuntur, dicuntur Krumſtabs-Lehn. De quorum origine, natura & indole uide BOEHMERVM d. *de feudis ecclesiaſticis*, KRESSIVM d. Unter dem Krumſtab iſt gut wohnen & *elementa* mea *iuris canonico-pontificio-eccleſiaſtici* lib. II. tit. 37. membr. 5.

§. XC.

Quia uero dominium uaſalli nonniſi uti- utile

g) 2. F. 8.
h) TABOR d. *de refutat. feudi.*
i) HORN c. l. c. V. §. 6. BRVCKNERI d. *de rebus infeudari & ſubinfeudari ſolitis.*

utile (§. LXXXVII, 1.): ad intelligendum est facile (1) cur dicatur *usus fructus k*) (§. LXXVII.). Fallunt autem & falluntur, qui usumfructum I. Rom. hic intelligunt, feudum nominantes, ius in re aliena; (2) cur posit quidem uasallus omnes ex re in feudum data fructus, & ipse & per alium, percipere, neutiquam uero (3) eam seruitute perpetuo duratura onerare *l*), aut (4) in allodialem conuertere *m*), uel (5) in totum alienare, dissentiente superiore domino (§. LXXX.) *n*). Alienans sine consensu domini, nec contractui addens clausulam: bis auf Lehnherrl. consens *o*), priuatur feudo *p*), quod iam tradidit resignauitque. Sic quoque (5) de feudo testari nequit, nisi consentiant dominus & agnati.

§. XCI.

perpetuum,

Vasallo usus fructus in feudo competit (§. LXXXVII, 1.), isque perpetuus (§. eod. 2.). Inde est, quod (1) feudum in heredes, masculos tamen (§. XLII.), transfe-

k) 2. F. 23. f.

l) LUDEWIG d. *de seruit. real. feudo impon.* HORN c. l. c. X. §. 2.

m) HOMBORG *resp.* 11.

n) *I. F. A.* c. 21. 62. 155. *I. F. S.* c. 69. ed. SCHILTER. HORN c. l. c. XIX.

o) ID. c. l. c. XXIII. §. 12.

p) b. STRUV. c. l. c. XVIII. §. 5.

ferat, atque (2) dominium directum suo modo & tempore cognoscere debeat (§. LXXXI.).

§. XCII.

Vasallus domino suo fidem* debet (§. LXXXVII, 3.), sed eam tantum, quæ reuerentiam inuoluit & ex causis feudum concernentibus oritur. Id quod innuit formula: Treu, hold und gewärtig zu seyn. Quæ quum ita sint, dici nequit (1) uasallum, qua talem, ciuem esse; (2) uasallo licere aliquid agere honori, existimationi, uitæ ac fortunæ domini sui noxium *q*). sub lege fidelitatis

* Hanc mediante iureiurando promittere debet uasallus, nisi immunitatem ab eo uel consuetudine uel pacto sibi quæsitam doceat.

§. XCIII.

Ex eo, quod uasallus domino militaria *r*) præstare debet seruitia (§. LXXXVII, 3.) *s*), colligere potes causam (1) cur uasalli dicantur *milites* *t*); (2) cur *seruitia* & ei præstanda sint (*a*) qui dominio directo gaudet reuocabili, (*q*) illudue alternatim tenet ui der Oerterung, Mutschierung, (*c*) qui dignitate inferior est uasal- & seruitiorum militarium, quæ prout

V 2 lo

q) 2. F. 6. 7. 22. 23.
r) 2. F. 23.
s) KOHL *de seruitiis feudal.*
t) 1. F. 19. 21. 22. 23. 2. F. 17, 26. 27. 52.

lo &c. (3) cur neque creditores, neque emphyteuta, neque alii, in quos facultatem fructus ac commoda ex feudo percipiendi transtulit uasallus, ad seruitia militaria sint obstricti *u*). Animi corporisque uitia, quæ uasallum ad seruiendum inhabilem reddunt, a seruitiis personalibus liberare, nemo dubitabit facile.

§. XCIV.

pactum uel consuetudo determinat ea,

Ea uero debentur seruitia, quæ in *literis inuestituræ*, *catalogo feudorum* Lehns-Registraturen, & *matriculis prouincialibus** Ritter-Rollen, nominata sunt *x*). Si nulla ibi seruitiorum occurrat determinatio, cuiusque regionis *consuetudo*** attenditur *y*), uel, ut in Saxonia moris est, *schedulæ lustratoriæ & metatoriæ*, Muster- und Fourier-Zettel, inspiciuntur, & totidem equis Ritter- und Lehn-Pferden *** seruire obligatus quis præsumitur, quot eum, delectu olim facto, comparuisse constat *z*).

* Quo modo illæ condi debeant, docent MEVIUS p. IV. *dec.* 139. HEROLD *conf. decis.* VIII.

Quæ

u) ENGELBRECHT d. *de seruit. uasall. militar.* c. II. §. 10

x) ENGELBRECHT *c. d.* c. III. §. 6.

y) GAIL. *lib.* II. *obs.* 50 *nr.* 17.

z) KNICHEN *de uestitur. paction.* p. II. c. 5 nr. 31.

** Quæ, ad feudi quantitatem respiciens, plerumque iubet, tot præstari cataphractos cum milite ac armis, quot X. mansos Ritterhufen continet beneficium. SCHILTER ad *I. F. A.* c. 8. §. 14 Hinc non omnes uasalli eodem equorum numero præsto esse iubentur.

*** A quibus differunt (*a*) *equi sequelæ* die Heer-Dienst- und Frohn-Pferde, quos ui homagii præstant allodiorum possessores. FRITSCH *de iure sequelæ*. (*b*) *equi feudales*, ad alia quam militaria seruitia destinati, si pretium quæris, quo quique ueneant.

§. XCV.

Nonnisi periculi, domino imminentis, tempore ista præstanda sunt seruitia *a*). Hinc uasallus tempore, quo dominus alii, bellum gerenti, militat stipendio conductus, a seruitiis immunis est *b*). Præterea periculum imminere non sufficit, sed, ut seruitia dominus indixerit, requiritur *c*). Quæ indictio tempori, quo præstanda sunt seruitia, 6. sept. antecedere debet *d*). ubi indicta sunt, præstari debent.

§. XCVI.

Seruitiorum loco pecunia neque exigi neque offerri potest, nisi in illud consen-

 tiant

a) WEHNER *obs. pr.* u. Landes-Rettung KOHL *de seruitut. feudal.* p. VII.

b) HILDEBRAND *de denegat. seruit. feudal.* c. 2. §. 1.

c) 2. F. 26. §. 15. 2. F. 28.

d) *I. F. S.* c. 4. *A.* c. 7.

tiant e), aut ob salutem reip. consentire uideantur f), dominus directus uasallusque. Hodie sæpe fieri solet, daß die Ritter-Pferde mit Gelde bezahlet werden.

§. XCVII.

Quæ domino directo non competant?

Ex quarto (§. LXXXVII, 4.) prono fluit alueo, dominum superiorem uix posse, (1) uasallum ex feudo eiicere, (2) *seruitia* determinata, ubi (*a*) feudo naturaliter quid accessit, augere, uel (*b*) si suo uasalliue facto creuit feudum, pacta conuenta, atque id quod actum est negligere; (3) obligare uasallos ad custodiendas *uias* publicas, aut (4) *steuras** *g*) prædii feudalis intuitu soluendas.

* Alicubi tamen ad quasdam collectas obligati offerunt ein donatiu, præsent-Geld.

§. XCVIII.

Felonia.

Vasallus uel fidem (§. XCII.) uel seruitia militaria (§. XCIII. seq.) domino præfracte denegans, reus est feloniæ, eines Lehns-Fehlers, *h*). Cuius pœna quum sit feudi priuatio: sequitur, ut uasallus, qui

e) STRVV *Iurispr. feud.* c. 16. §. 14. HORN c. I. c. XVIII. §. 16.

f) ROSENTHAL c. VIII. *concl.* 23. CARPZ. *Lib.* IV. *Resp.* 71.

g) STRVV c. l. §. 11.

h) 2. F. 24.

qui dominum directum (1) *non agnouit i)*, (2) *iniuriis proscidit*, (3) *cucurbitauit k)*, (4) *actione famosa conuenit*, (5) *criminis accusauit l)*, (6) *testimonio suo morti tradidit m)*, (7) *in praelio, alioue uitae corporisue periculo constitutum deseruit n)* &c. feudo priuetur, nisi domino ad priuandum agenti (*a*) remissionis (*b*) praescriptionis aliasue exceptiones opponere possit.

§. XCIX.

Quia feudum facti est (§. LXXXVII, 5.), (1) *allodium* praesumitur *o)**, in iis etiam Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus, ubi bona, super quibus reciprocatur serra contentionis, feudo adeo sunt mixta, ut cum eo idem territorium, eundem iurisdictionis ambitum conficiant *p)*. Qua de re (1) heredes allodiales apprehendere possunt possessionem rei, de cuius qualitate feudali disceptatur, dummodo decessor eam qua feuda- Feudum non praesumitur.

 lem

i) MASCOV d. *de praecipuis feloniae speciebus.*
k) SCHLEENSTEIN *de felonia cucurbitantis.*
l) SCHROETERI d. *de delictis uasallorum, quae in personam domini committuntur.*
m) LVDOVICI d. *de testimonio uasalli in causa domini.*
n) STRYK d. *de uasallo desertore.*
o) ID. c. II. §. 6. THOMASIVS *de praesumtione allodialitatis.*
p) SCHILTER *ad ff.* exerc. XVI. §. 37.

lem non possederit; (2) hæc: pertinentien bey einem Lehn haben, & Lehns-pertinentien besitzen, synonyma esse Dd. negant *q*).

* Hæc quoque causa est, cur *equos sequelæ*, neutiquam uero *feudales* præstitos præsumat HILDEBRAND d. *de equo sequelæ &c.* c. 1. §. 12.

** *Proximæ* tantum pertinentiæ cum feudo concessæ uidentur, nisi *remotæ* antiquitus cum illo iunctæ fuerint, & in literis inuestiturarum legantur uerba: mit all- und ieden Zubehörungen, aliaue generaliora, utpote *cum mancipiis, uillis, areis cultis & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, syluis, cunctisque, quæ dici possunt*, uel *castrum cum suis attinentiis, quæsitis & inquirendis, cum uniuersis appendiciis suis*, uel hæc etiam formula: genannt und ungenannt. Quo casu omne quod antiquitus ad feudum pertinuit, eiue iunctum fuit, feudale habeas.

*** In Camera imp. secundum hanc pronuntiatur regulam: *quæcunque uel generice uel specifice in literis inuestiturarum comprehenduntur, ea habentur feuda, usque dum contrarium probetur.* LUDOLFF *obs. for.* 199.

§. C.

Ex eodem constat (2) strictissimæ interpretationis esse feudales literas. Hinc (*a*) castro in feudum dato uel oblato, non statim iurisdictio & circumiacens territorium translata uidentur; (*b*) iure in aliqua sylua capiendi feras in feudum da-

q) FRIESEN. d. *de natura allodii feudo iuncti.*

dato, facultatem ligna ibidem cædendi in feudum datam esse, non potest dici.

§. CI.

Quia feudorum iura pactis moribusque tolli, mutari & imminui possunt, factum est, ut hodie (1) feuda *quædam* in uasallorum filias, alia in quasuis *feminas* eiusdem gradus simul transeant; (2) ut feuda personæ tantum aut sub clausula iuris precarii, biß auf Wiederruf, quandoque conferantur; (3) ut dentur feuda *franca*, *conditionata*, *iusiurandum fidelitatis respuentia*, *noua sub pacto antiqui*, nach Art und Eigenschaft eines alten Stamm-Lehns *collata*, eaque quæ in *pecunia* consistunt, nullis *seruitiis* militaribus, sed palatinis aut cuidam *censui* subsint &c.

Feuda, quæ pactis moribusque mutantur,

§. CII.

Quæ quum ita sint, Dd. feuda in *propria* & *impropria* diuidere solent *r*), statuentes (1) *ea* potius, quam *hæc* præsumenda esse *s*), si uel maxime feuda, quæ dubium circumiacent, ad unum omnia sint impropria*; (2) eam pacti, feudo additi, interpretationem faciendam esse, quæ communi feudorum naturæ conueniat *t*).

sunt uel propria uel impropria.

r) de LVDEWIG *iur. feud.* c. 5. q. 2. p. 275. seq.
s) 2. F. 2. §. 2.
t) HORN c. l. c. III. §. 6.

* Quodsi uero talia sint ex præscripto legis prouincialis, aliud dicendum erit.

§. CIII.

Denique notandum est (1) in causa ambigua stemmatici, des Lehn-Stamms pro uasallo illiusque heredibus præsumendum esse; (2) pleraque *feuda ignobilium* salua nobilitate uix posse possideri hodie *u*); (3) feudum ex pretio ueteris emtum nouum esse.

TIT. VI.

DE SINGVLARIBVS QVIBVSDAM RVSTICORVM PRAEDIIS.

§. CIV.

De prædiis rusticis

Rustici prædia sua uario iure possident, quum in pleno alia, alia in minus pleno eorum sint dominio.

§. CV.

in genere notanda.

Hæc uariis quidem nominibus uariisque iuribus gaudent (§. LXXXIII.), in eo tamen conueniunt, quod (1) tam hereditatrio iure quam ad dies uitæ, nec facile sine scripturis conferantur; (2) canone uel censu onerata sint, eo scilicet, qui fructibus respondeat minime; (3) singu-

u) LVDEWIG c. l. p. 408. seq.

gulari foro plerumque ſubſint; (4) inſcio & inuito domino, alienari nequeant (§.LXXX.); (5) amittantur (*a*) conſolidatione, (*b*) præſcriptione, (*c*) neglectis legibus, ſub quibus eorum facta eſt collatio &c.; (6) quod, prouti ad tempus aut hereditario iure conceſſa, uel inueſtitura a quolibet ruſtico, uel inueſtituræ renouatio a ruſtici heredibus, tempore uel conuentione uel lege determinato petenda ſit (§. LXXXI.).

* Plerumque tamen caducitas, uti loquuntur, remittitur, ſoluta emenda uel aucto in perpetuum canone. Etſi non remittatur, tamen domino non cedunt meliorationes, die Beſſerung, das Schauffel-Recht.

§. CVI.

In præcipuis ruſticorum prædiis ſunt *I. meieria* ſeu uſusfructus uillæ, unde 4. equi minimum ali queunt, ſub lege procurationis & mercedis ruſtico datus. Cum huius poſſeſſore, qui meierus audit, confundas nolim den Halbmeyer, Kother und Brinckſitzer. Meieriæ

§. CVII.

Sicut alia (§. CV, 1.) ita & meierica prædia uel ad tempus dantur uel hereditario iure. Illa mox ad 3. mox ad 6. mox ad plures annos, ſo weit das Miſt-Recht temporarii &

Recht gehet *x*), dantur, hisque præterlapſis redeunt ad dominum.

§. CVIII.

perpetui poſſeſſoris

Quæ iure hereditario data ſunt, nullo facto* nullaque diſpoſitione uillici heredibus queunt adimi *y*), ne quidem *feminis*. Hæ tamen nuptias contracturæ dominum rogare debent, uelit ſponſo dare einen Meyerbrief *z*).

* Hinc, concurſu creditorum orto, ſola melioratio, neutiquam uero ius uillicale ſub haſta uenit. STRVBEN *acceſſ. ad tr. de iure uillicor.* p. 125. ſeq.

§. CIX.

iura,

Meierus, tam temporarius (§. CVII.) quam perpetuus (§. CVIII.), uſufructu gaudet germanico (§. CVI.). Hinc (1) *tributa* ferre tenetur *a*); (2) uillam *uindicare*, & (3) contra tertium illius detentorem agere, nihil tamen (4) in præiudicium domini facere poteſt. Hinc interdicitur (*a*) facultate uillam inter liberos diuidendi, (*b*) diuiſam in dotem dandi *b*), aut (*c*) totam, inſcio domino in extra-

x) Bayer. L. R. tit. 21. art. 2.

y) STRVBEN *acceſſ. ad tr. de iure uillic.* p. 135. ſeq.

z) IDEM tr. *de iure uillicor.* c. 3. §. 17.

a) IDEM c. l. c. 6.

b) IDEM c. l. c. 3. §. 16.

traneum transferendi, uel (*d*) seruitute perpetuo duratura onerandi.

§. CX.

Sicut uero meierus domini iura imminuere nequit, ita nec dominus meieri usumfructum (§. LXXVI.). Nequit itaque (α) adaugere mercedem lege uel conuentione definitam; (β) uillam reuocare pro lubitu, immo ne quidem tempore, quo ipse illa indiget.

§. CXI.

Illud tamen certum est, quod meieria perdita declaretur, quoties meierus (1) mercedem non præstitit, aut (2) inuestituræ renouationem non petiit *c*), suo tempore; (3) agrum neglexit deterioremque reddidit, aut (4) spreto consensu domini alienauit (§. CV, 6.). Sic deperditam qui deserere cogitur meierus, recuperat non solum pretium, quo ædificia & uillica instrumenta redemit, sed & meliorationes (§. eod.*). **horumque amissio.**

§. CXII.

II. *Bona meyerdingica* sunt prædia, quorum usufructus germanicus *d*) rustico in perpetuum conceditur, hac lege, ut con- **Bonorum meyerdingicorum possessores**

c) BVRI Erläut. des Lehn-R. p. 1028.
d) STRVBEN c. l. p. 173.

concedenti censum aliaque præstent, & peculiari iudicio pareant.

§. CXIII.

quo iure gaudeant

Itaque prædii cuiusdam meyerdingici possessor debet (1) suo tempore soluere censum, den Meyerdings-Pfenning, Erben-Zins; (2) uocatus coram iudicio meyerdingico comparere, & (3) huius solius sententiæ parere *e*), (4) fundum meliorem reddere, nec (5) eum, inscio & inuito domino, alienare. Qui secus agit, mulctatur, aut pro re nata, iure meyerdingico priuatur (§. CV, 6. & *).

§. CXIV.

quoque statu?

Meyerdings-Männer uariant quod ad statum; alii enim sunt liberæ, alii seruilis conditionis. Unde est, quod (1) quidam tantum præstent mortuarium *f*), (2) operasque indeterminatas, & (3) subsint domini meyerdingici iurisdictioni, ex antiqua illa potestate dominica fluenti. Unde porro est (4) quod alibi dentur Freydings-Höfe, alibi uero ad prædia meyerdingica non admittantur die Freymänner, nisi ea per substitutum administrare & defer-

e) BVRI c. l. p. 1177. seq.

f) STRVBEN c. l. p. 204.

ſeruire uelint, ſie wolten ſich denn eine getreue Hand anſetzen laſſen *g*).

§. CXV.

III. *Landſidelia*, de qua non facile ſine literis contrahitur (§. CV, 2.) *h*). eſt prædium, cuius uſusfr. germ. ruſtico hac lege conceſſus eſt, ut mercedem conuentione determinatam ſuo, reliqua uero ſeruitia ruſtica eo, quo exiguntur, tempore, præſter. Landſideliæ

§. CXVI.

Quia landſidelio nonniſi uſusfr. in prædio competit (§. pr.): nequit illud oppignorare, ſeruitutibus onerare, diuidere, alienare &c. * niſi domino conſentiente. Quid? quod, ubi *temporarius* eſt, nequidem arbores cædere, aut ſyluas in agros, hosue in pratum immutare poteſt. *Perpetuus* ius ſuum in liberos transmittit, qui tamen inueſtituræ renouationem petere, & ſi landſideliam inter ſe diuidere uelint, communem præſtandorum procuratorem, einen Stamm, Vor- oder Lehn-Träger, Hauptſchuldner und Austrichter, uſusfructus

g) GOEBEL *de ſingularibus quibusdam prædiis ruſticorum* ſect. 4. §. 7. p. 85. GERICKEN ad SCHOTTEL. nr. 3.

h) LVDWIG *de iure client.* ſect. 3. c. 7. §. 5. BVRI c. l. p. 1004.

ter, Mom- oder Lehn-par ꝛc. constituere tenentur *i*).

* Fructus & meliorationes alienare potest (§ CV.*) saluo tamen iure protimiseos ad dominum spectante.

§. CXVII.

mercede oneratus est.

Quia mercedi, quam landsidelius præstare debet, perpetua lex scripta est, nulla quantitatis fructuum ratione habita, illam neque adaugere potest *k*), neque ob sterilitatem remittere tenetur dominus.

§. CXVIII.

Bona zu Walt-Recht.

IV. Bonorum zu Walt-Recht datorum usufructus competit dem Walt-Rechts-Lehn-Mann, qui propterea inde eiici nequit, nisi per triennium agros non coluerit, aut canonem non soluerit *l*). Quod neque dominus canonem adaugere, neque rusticus prædium alienare aut inter liberos diuidere possit, tralatitium est.

§. CXIX.

Schillings-Güter.

V. *Prædia solidorum* Schillingshauer, Schillings-Güter ita dicuntur, quod schillingo interueniente acquiruntur & amittuntur *m*). Rusticus, qui olim ex illis pro

i) BURI c. l. p. 1023.

k) Solm. L. R. §. 9.

l) Ill ESTOR *in anal. Hass.* collect. 3. nr. 8. WALDSCHMID d. *de bonis* zu Walt-R.

m) SCHOTTEL *de singul. & antiq. in Germ. iur.* c. 17.

pro lubitu expelli poterat, hodie expelli nequit, nisi ex iusta causa & decernente principe.

§. CXX.

Huc quoque pertinent VI. bona illa, quæ Laß- oder Laet-Güter propterea dicuntur, quod e manu dimissis olim conferebantur. Eorum, sicut reliquorum prædiorum rusticorum, usufructus conceditur sub lege annui canonis. Sibi concessum rusticus in heredes, quorum tamen numero coniuges accenseri nequeunt, transferre potest; & si eum uelit in alios transferre ualide, hoc faciat coram iudicio latico *n*), & consentientibus iis, qui dicuntur Stamm-Erben *o*). Heres dimidium illius pretii, quod extraneus emtor laudemii loco dat iudicio latico, a quo possessionem suam confirmari petit, für die Ansetzung im Laeten-Gericht, præstare debet *p*)*. Laß- oder Laet-Güter.

* Hæc bona alicubi habentur Pacht-Güter & pro lubitu reuocari queunt RIVINI d. *de prædiis, quæ uulgo Laß-Güter appellantur* §. 11.

§. CXXI.

Quibuscum in omnibus conueniunt, quæ Hägermanns-Güter

n) GOEBEL c. l. sect. 6. §. 17.
o) BVRI c. l. p. 1059.
p) GOEBEL c. l. §. 8.

quæ dicuntur VII. Hägermanns-Güter, si hæc exceperis, quod annuo canone uix sint onerata, nec solo iudicii præscitu, sed demum speciali domini & agnatorum consensu alienari queant q).

§. CXXII.

Probstings-Güter

VIII. Probstings-Güter sunt prædia ab operis* libera, iurisdictioni præpositis in feudum concessæ subiecta, quorum usus fructus rusticis hac lege datur, ut præposito annuum præstent canonem r). Ea in filios, & illas filias, quæ nupserunt homini probstingico, statu libero, transmittuntur; in extraneos, Uthmänner, autem inscio & inuito præposito, uenditione transferri nequeunt.

* Nam præter annuum canonem quatuor tantum cuiusque anni diebus præstant die Borgvesste.

§. CXXIII.

Sattel-freye Güter.

Eiusdem fere farinæ sunt IX. die Sattel-freyen* Güter, distincta ab illis prædiis, quæ dicuntur Sattel-Reit-Lehen s). Immunia sunt ab operis rusticis, obnoxia tamen aliis reip. oneribus.

* Hæc quibusdam ita dici uidentur, quod equus ephip-

q) IDEM c. l. §. 16.

r) IDEM c. l. sect. 5.

s) Ill. AYRER *de prædiis nobil. Bremens. equestr.* p. 35. seq.

ephippio ornatus domino directo præstetur loco laudemii.

§. CXXIV.

Usumfructum hereditarium bonorum, quæ dicuntur X. Zeidel-Güter, quæque a tributis sunt immunia, concedit urbs Norimberga, sub lege determinati census & comparitionis coram certo iudicio *t*). Zeidel-Güter.

§. CXXV.

XI. *Bona uitalitia*, Fall- und Schupflehn, Fall- und Schupflehn-Güter, quæ in tractu Sueuiæ *u*) superioris sunt frequentia, describo prædia, quorum dominium utile sub lege meliorationis & præstationis annuæ, jährl. Zihler, Zihlfristen, Bestand- oder Kauf-Geld, ad dies uitæ unius uel alterius personæ * *x*) concessum est. Possessor der Schupf-Lehn

* Hinc (1) dicuntur Leibfällig, Leibgeding, nec (2) ad heredes transmittuntur. SCHOTTEL de singul. iu G. iuribus c 18.

§. CXXVI.

Quorum possessor (1) dicitur Fall-Lehns-Mann *y*), (2) immunis est a satisda- dominus utilis est

t) SCHWARZII d. *de butigulariis.*

u) WOLFG. AD. SCHOEPF. d. *de bonis uitalitiis Sueuiæ* c. 2. §. 1.

x) BLUMLACHER *de iur. empb. uital. & iure precar.* q. 20. n. 1.

y) SCHOEPF. c. d. c. 2. §. 12.

datione, (3) impoſita prædio tributa ſoluit z), (4) a domino directo pro lubitu expelli nequit, (5) utiliter uindicat (§. LVIII, 8.) a); non tamen (6) prædium pignori in perpetuum ſubiicere, aut (7) plane alienare (§. LXXX.) poteſt b), niſi hoc ſibi ſpeciatim conceſſum eſſe probet c).

§. CXXVII.

ſub lege annuæ præſtationis,

Annua præſtatio, ſub qua bona uitalitia conferuntur, pro *temporis*, *loci*, *prædii*, *&* *conuentionis* uarietate uariat d). In fructibus licet quandoque conſiſtat, poſſeſſor tamen conductor dici e), aut ob ſterilitatem remiſſionem præſtationis petere nequit.

§. CXXVIII.

Hof-Güter

Cum quibus conueniunt prædia ruſticorum in Auſtria, XII. Hof-Güter, Gült-höfe f), ſi illud exceperis, quod Schupfleben ad dies uitæ, auſtriaca uero in perpetuum regulariter concedantur.

§. CXXIX.

z) ID. c. 3. §. 2. c. 4. §. 8.
a) BLVMLACHER c. l. *qu.* 14. *nr.* 2.
b) SCHOEPF. c. d. c. 4 §. 13. c. 6. §. 8. 11. 12.
c) IDEM c. 5 §. 9.
d) IDEM c. 4. § 9.
e) IDEM c. 3. § 2. ſeq.
f) WALTHER *de iur. conſu.* IV, 1. Finſterwalder *pract. obſ.* II, 37, 4. ſeq.

§. CXXIX.

Quibus cognitis ad perspiciendum erit facile, cur prædia rusticorum *censitica* dicta, atque in *laudemialia* & *non laudemialia* diuisa fuerint. De his plura proferre frustraneum esset, quum hodie sint rarissima;

§. CXXX.

Illa uero concedens *dominus*, *dominus directus g*), & accipiens *censitus laudemialis* dicitur. Hunc *dominum* prædii laudemialis *utilem* describo, *ad id obligatum, ut censum præstet laudemiumque.* Censitus est

§. CXXXI.

Unde has depromo regulas:

I. Censito laudemiali usus fructus germ. competit.

II. Domino directo censum & laudemium præstare tenetur.

§. CXXXII.

Fallor aut ex prima (§. pr.) intelligi potest (1) cur censitus laudemialis neque prædium alienare, neque illius faciem in deterius mutare possit, nisi domino directo consentiente (§. LXXX.); (2) cur dominus directus censum augere nequeat dominus utilis

g) FRANTZK. *de laudem.* c. II. §. 55. SCHILTER *exerc.* XVI. §. 84.

queat (§. LXXVI.), multominus (3) censitum ui expellere (§. LXXVII, 1.), nisi eum, qui, quod praxis statuit, prædium laudemiale deterius reddidit, aut censum non soluit.

§. CXXXIII.

ad censum & laudemium obligatus.

Ex secunda regula (§. CXXXI, 2.) discimus, (1) quid uelint uerba: Erb-Zinß-Ehrschatz-Gut, Erb-Zinß-Lehn; (2) cur censiti antiqui heres inuestituræ renouationem petere, & honorarium Schreib-Schillung, Einschreibe-Geld soluere *h*), nouus uero inuestituram petere & laudemium soluere *i*) debeat. Hoc, quod de casu in casum nequit extendi *k*), uariæ pro diuersitate regionis quantitatis est. *Alibi* enim lex uel consuetudo ita determinauit illud, ut annuo par sit censui, daß das Gut so viel lehnt, als es zinset; *alibi* pretii, quo prædium laudemiale quouis tempore uenit, certa pars debetur *l*); *alibi* determinatio l. Rom. uocatur in subsidium, uel saltem, ut ne excedatur ea, præcipitur *m*).

TIT.

h) CARPZOV II, 39, 38. FRANTZKIVS c. l. §. 22. & c. 8. nr. 119.
i) RICHTER p. II. *dec.* 83. nr. 23.
k) WERNHER p. III. obs. 92.
l) LEYSERI d. *de probat. laudem.* §. 5.
m) *Ord. Pol. Magd.* c. 28. p. m. 545. *Anhalt.* tit. XIII. §. Wir befinden auch.

TIT. VII.
DE
PRAEDIIS, QVORVM NATVRAM DESCRIBVNT RECEPTAE LL.

§. CXXXIV.

Emphyteusin, uetustis Teutonum moribus ignotam, populi Romanis prouinciis insidentes, inprimis Longobardi *n*), & Wisigothi *o*) adsciuerunt, adscitam uero ad transrhenanos tulerunt *p*), male tamen ad prædia germanica adplicarunt, clerici *q*). Emphyteusis Ro.

§. CXXXV.

Bona enim, quorum ususfructus germ. hereditario iure concedi solet, Erb-Zinß-Güter, in emphyteutica transformauerunt *r*), atque ad decempedam I. Ro. diiudicarunt. Quo factum est, ut alicubi (*a*) diuisio dominii inter duos inæqualiter facta in locationem conductionem, ex multis causis reuocandam, conuerteretur; (*b*) prædia rustica, si eorum canon intra biennium & triennium non solutus fuerit, cum bonis laudemialibus confusa est.

n) III, 8, 2.
o) X, 1, 11.
p) SCHILTER *exerc. ad ff.* XVI. §. 83.
q) ID c. l. §. 84.
r) KOPP Proben des T. Lehn-R. p. 290.

rit, amiſſa haberentur *s*); (*c*) cenſus promobiles in exilium irent.

§. CXXXVI.

Epicriſis. Interim tamen & illis, qui primoribus tantum labris iuris patrii guſtarunt principia, notum eſt (1) quod fallant fallanturque, qui uocabulo: Erb-Zins-Güter, prædia emphyteutica apud Germanos nominari ſtatuunt *t*); (2) quod cenſus laudemialis domino olim ob canonem ſibi non ſolutum ſola ruſticum pignorandi facultas competierit *u*), (3) quod prædia ruſtica magis cenſitica quam emphyteutica præſumi debeant *x*), quum illa iuri patrio ſint conformia (§. CV.) hæc uero ex legibus Ro. recepta (§. CXXXIV.).

§. CXXXVII.

Superficies. De *ſuperficie* in antiquis germanorum LL. nihil me legere memini. Ut itaque omnis diſputatio de ſuperficie hodie inſtituenda, ex I. Rom. principiis hauriri debeat.

§. CXXXVIII.

Precaria eſt *Precaria*, quam I. Pontificium peperit

s) HEINECC. *E. I. G.* lib. II. §. 43.

t) THOMAS. *ad ff.* VI, 3. p. 110. BEYER ad eund tit. *poſ.* 24.

u) *I. P. S.* I, 54.

x) SCHILTER c. l. MOELLER *ad p II. conſt.* 39. HOFFMANN d. *de. emphyteuſi* c. 4. §. 3.

rit *y*), ubi a maioribus nostris recepta est, induit naturam *usus fructus* z) (§.LXXII.), qui ab ecclesia concedebatur sub lege annui census * & renouationis singulis quinquenniis petendæ.

* Hic, ubi soluebatur ex prædiis, quæ ad censitum olim pertinuerant, dicebatur eigener Zinß.

§. CXXXIX.

Unde constabit (1) cur precaria apud maiores nostros, mox ad tempus, mox hereditario iure concessa fuerit (§. CV.) *a*), sicque (2) mox inuestitura mox illius renouatio petenda fuerit (§. LXXXI.) *; (3) cur faciem fundi, in precariam perpetuam dati, mutare possessori licuerit. ususfruct. germ.

* Hæc precariarum conditio, quæ fuit Carolingorum tempore, ut docent capitularia & precariarum formulæ, MARCVLF. *form* 19. 22. 25. 27. olim suo modo necessariæ, *addit.* IV. *Capit.* c. 132. succedente tempore immutata & uarii generis facta est BVRI c. l. p. 1182. seq.

y) Ill. BOEHMER *I. E. P.* III, 14. *Elem.* tr. *iur. can. pont eccl.* II, 557. seq.

z) *I. P. Sueu.* c. 311.

a) BALVZ *Capit.* Tom. I. f. 332. 347. 411. 525. HOEFERS Unterr. der *allodial*-Güter p. 67. seq.

TIT. VIII.
DE SERVITVTIBVS IN GENERE.

§. CXL.

Seruitutes quarum

SERVITVS est *ius ex re aliena utilitatem aliquam percipiendi.* Percipimus autem utilitatem ex re aliena, ita ut illius dominus aliquid uel facere uel pati uel non facere teneatur. Hinc seruitutes non solum *in patiendo & non faciendo*, sed & *in faciendo* consistere dicuntur *b*).

§. CXLI.

genera uaria

Ius utilitatem ex aliena re percipiendi quum mox personæ mox rei competat: *seruitutes* in *reales* & *personales* diuidunt, atque illas pro diuersitate prædiorum uel *urbanas* uel *rusticas* nominant Dd.

§. CXLII.

De seruitutibus hæc notes uelim:

I. Quicquid præstat utilitatem, illud seruitutis obiectum esse potest.

II. Seruitutem non nisi dominus concedere potest.

III. Concessa seruitus est strictissime explicanda.

IV.

b) GERHARD d. *de seruitut. in faciendo consist.* TITII d. *de seruit. faciendi* §. 39. seq.

IV. Quæcunque seruitus cum effectu concessa uidetur.

§. CXLIII.

Primum (§. CXLII, 1.) nos docet axioma (1) multa immo infinita esse tam realium quam personalium seruitutum genera, ex quibus nominare licebit (*a*) ius in alieno *stercorandi*, das Pferch-Recht *c*), quod iuri pascendi semper annexum esse perperam dicitur *d*), (*b*) *ius uuam exprimendi*, das Kälter-Recht (*c*) *ius fodiendi arenam*, das Recht der Sand-Gruben *e*) (*d*) *uel aridam terram*, Torf und Rasen zu hauen, (*e*) *ius lapides cædendi f*) aut (*f*) *lignandi*. (*g*) Das Teichsel-Recht *g*). (*h*) *iter*, cuius latitudo trium pedum esse debet (*h*) &c. (2) seruitutes uariare pro prædii dominantis uarietate. & infinita,

§. CXLIV.

Ex secundo (§. CXLII, 2.) sequitur (1) ut seruitus ab eo concessa, qui dominus non est, uix prosit; (2) ut dominus re- solus concedit dominus.

uo-

c) SVESER *theatr. seruit.* tit. XI. § 9.

d) STRVV d. *de iure ouium* c. VI. th. 51.

e) ID. c. l. §. 7.

f) ID. c. l. §. 6.

g) SVESER c. l. §. 10.

h) Weichb. a. 129.

uocabilis perpetuam ſeruitutem concedere nequeat (§. LXXX.) *k*), niſi conſentiente ſuperiore domino; (3) ut penes dominum ſit, utilitatem, quam ex re ſua percipere poteſt (*a*) uel diuiſam uel indiuiſam, (*b*) uel pacto uel teſtamento, (*c*) uel expreſſa uel tacita uoluntate, (*d*) uel ad tempus uel in perpetuum alteri concedere; atque (4) utilitatem, quam concedit, certis circumſcribere legibus.

§. CXLV.

Conceſſæ ſunt quidem ſtrictisſimæ

Ex tertio (§. CXLII, 3.) dignoſci poteſt, (1) cur dominus prædii dominantis neque *tempus* neque modum * a concedente definitum negligere posſit, ſed (2) ſeruitutem ſibi conceſſam ita debeat exercere, ut ne ea uſum prædii dominantis egrediatur, aut proprietatem imminuat ſeruientis.

* Hic ubi nondum definitus eſt, definiatur habita ratione prædii aut perſonæ, cui ius aliquod conceditur. MEVIVS p. V. *dec.* 259.

§. CXLVI.

ſed illius interpretationis, quæ ſuum producit effectum,

Ex quarto (§ CXLII, 4.) denique colligo (1) conceſſa aliqua ſeruitute, id ſimul, ſine quo ea exerceri aut exercita continuari nequit, conceſſum uideri, (2) ubi ab eo, qui ſeruitutem concesſit, concedi potuit; (3) domino prædii ſeruientis non li-

k) LEISSER c. l. I, 18, 9.

licere agere aliquid, quo seruitutis sistatur aut imminuatur usus. Hinc pluribus diuerso tempore ius eandem utilitatem percipiendi, concedere nequit, nisi utilitas omnibus sufficiat.

§. CXLVII.

Seruitutem (1) præscriptione, (2) remissione, (3) soluto iure constituentis. (4) præterlapso tempore, ad quod & (5) existente conditione, sub qua resolutiua concessa est &c. exspirare, tam certum est, quam quod certissimum. Quibus modis seruitutes amittantur?

TIT. IX.

DE QVIBVSDAM SERVITVTVM GENERIBVS.

SPECIATIM DE IVRE PASCENDI, CENSVS, APERTVRAE.

§. CXLVIII.

In seruitutibus quoque sunt *iura bannaria* *, ueluti quod quis actum, qui alias meræ facultatis est, in domo alterius, ad huius utilitatem, peragere teneatur. Nota sunt (a) *molendina bannaria*, Zwang-Mühlen, ubi frumenta sua commi- Iura bannaria.

minuere *l*), (*b*) *cauponæ bannariæ*, Zwang-Schencken, (lib. I. §. CCXCII, 2.) ex quibus uinum & cereuisiam petere, (*c*) *furni bannarii*, Zwang-Backhäuser, in quibus panem coquere tenentur cuiusdam districtus incolæ *m*).

* Quæ iura non præsumuntur, sed ea laudans, probare debet, quod constituta fuerint *auctoritate principis*, *pacto* uel *præscriptione*.

§. CXLIX.

Ius pascendi,

Sequitur die Trift *n*), Hut und Weyde, seu *ius pascendi* pecora nostra in alieno prædio. Quod ius, prout nobismetipsis aut prædiis nostris competit, in *reale* & *personale* dispescitur (§. CXLI.).

§. CL.

a domino concessum

Quia ius pascendi in alieno prædio seruitus est: intelligere potes (1) cur illud solus fundi concedat dominus (§. CXLII, 2.); (2) cur ab administratore uel colono *o*) in illis agris, quos administrat uel colit, a burgense in prædio ad ciuitatem spectante, a parocho in prædiis ecclesiasticis &c. alicui concessum subsistat minime (§. CXLIV, 1.); (3) cur dominus utilis tertio ius pascendi in perpetuum conce-

ce-

l) WALDSCHMID d. *de molend. bannar.*

m) STRYK *de iure furnorum.*

n) LEISSER c. l. III, 10, 2.

o) SCHVTZ *de iure pasc.* c. IV. §. 11.

cedere nequeat (§. LXXX.); (4) cur in prædio, quod pro indiuiso plures possident, unus possessor, reliquis inuitis, ius pascendi nemini det ualide *p*).

§. CLI.

Ex eodem intelligimus, (5) cur ius pascendi constituatur mox simpliciter, mox sub lege temporis, loci, generis, aut numeri pecudum (§.CXLIV.); (6) cur fallant & fallantur, qui ex superioritate territoriali uel iurisdictione illud deriuant *q*).

§. CLII.

Sic quoque constabit (6) cur dominus iuris pascendi nequeat *LL.*, sub quibus illa concessa seruitus, negligere, sed potius (7) *tempus*, si quod determinatum in dem Huth-Brief, seruare debeat; (8) cur ille, cui huius uel istius *generis* aut *numeri* pecora in alieno prædio pascere licet, eo pecora alterius generis *r*) aut maioris numeri *s*) mittere nequeat; (9) cur pascere non liceat in *prædio clauso* (§. XXIX.) *t*); (10) cur, cui competit pot-

strictè quidem explicandum est,

p) ID. c. l. §. 3.
q) ENGELBRECHT *de iur. pascend.* §. 3.
r) CARPZOV. *p.* II. *dec.* 106. LEISSER c. l. III, 10, 25. seq. MEICHSNER *decis. Cam.* I, 1, 36.
s) BERLICH p. II. c. 49. nr. 43.
t) ROHR Haußh. R. p. 820.

poteſtas ſaginandi *porcos*, maiores tantum & eos, qui ad ſaginandum habiles ſunt, neutiquam uero porcellos *u*), multo minus boues *x*), in ſyluam poſſit mittere.

§. CLIII.

ita tamen, ut effectum ſortiatur ſuum,

Porro diiudicatu erit facile, (11) cur in prædio ſeruiente, huius dominus non*, niſi ſufficiat ** paſtura *y*), pecora ſua ſimul paſcere, aut ius compaſcui alii concedere queat; (12) cur, ubi paſtura deficit, non ſolum pecora ſua recipere debeat prædii ſeruientis dominus *z*), ſed & extinguatur ius compaſcui, ob copiam paſturæ tertio conceſſum; (13) cur dominus prædii ſeruientis nequeat agros incultos colere *a*), cultos in piſcinam hortumue redigere, aut ſepimento uallare & foſſis cingere *b*), ſyluamue concludere, in das Gehege legen; (14) cur in agris, quod ad paſturam alii ſeruientibus, prohibitum ſit das ſömmern *c*)***, immo omne illud, quod iuri paſcendi nociuum eſſe pot-

u) LEISSER c. l. III, 10, 39.
x) PRVCKMANN *Vol.* I. *conſ.* 14. *nr.* 84.
y) SCHVTZ c. l. c. VIII. ſect. 6. §. 4. STRVV. d. *de iure paſcendi* th. 39.
z) SVESER c. l. *tit.* X. §. 53.
a) SCHVTZ c. l. § 1. ROHR c. l. p. 820. KOB. *de paſcuis ad culturam non redigendis.*
b) MEVKERS Jagd- und Forſt-R. p. 46.
c) LEISSER c. l. III, 10, 33.

poteſt *d*) (§. CXLVI.). Cauſam uero, cur RICHTERVS *e*) ſtatuat, dominum ſeruitutis, ſi in ſuis ipſius fundis paſcua habeat, pecoribus, quæ alit, ſufficientia, ſeruitutem cedere debere, equidem non uideo.

* Diſſ. RIVINVS d *de æquali iure dominantis & ſeruientis prædii, ſi paſcua non ſufficiant* §. 21. ſeq. ſtatuens, dominum prædii ſeruientis, ſiue pacto conſtituta, ſiue præſcriptione quæſita ſeruitus, æquali iure gaudere, atque dominum prædii dominantis.

** Quum parœmia: Kein Müller hat Waſſer, und kein Schäfer hat Weide genug, tam uera ſit quam quæ uerisſima, deciſio quæſtionis: *an ſufficiat paſtura gregibus duobus?* non domini prædii dominantis, ſed boni uiri arbitrio relinquitur. PISTOR p. III. q. 116. nr. 8. SCHMID *ad Ius Bauar.* III, 26, 10. nr. 13. BARTH *de iure paſcendi* c. 3. §. 12.

*** niſi (1) eo demum tempore, quo fruges ſunt collectæ, zu offnen Zeiten, ius paſcendi alteri competat. CARPZOV. p. II. *conſt.* 41. *def.* 3., aut (2) tot inculti relinquantur agri, quot ad paſcua ſunt neceſſarii.

§. CLIV.

nec proprietati noceat.

Quandoquidem ſeruitus omnis ita debet exerceri, ut ſalua maneat proprietas (§. CXLV, 3.): ad intelligendum erit facile, quid cauſæ ſit, (1) cur non liceat *oues*, *capras*, *porcos* paſtum in ſyluas mitte-

d) CARPZOV. III, 41, 1. ſeq.
e) *p.* I. *conſ.* 36. *nr.* 28.

tere *f*); (2) cur, ubi *porci* in ſyluis paſci queunt, plerumque moris ſit, ut eorum nares & ora cum annulis transfigantur *g*).

§. CLV.

Quod *ius paſcendi* in alieno prædio *non præſumatur*, ſed ab eo, qui illud ſibi competere prætendit, doceri debeat, res per ſe clara eſt.

§. CLVI.

Ius compaſcui, Cui non ſoli, ſed una cum aliis ius paſcendi in fundo tertii competit, is *iure compaſcui* Koppel=Weide gaudere dicitur.

§. CLVII.

quod uarium eſt, Hoc ius ad ſeruitutis etiam regulas æſtimatur. Unde ſequitur (1) ut ſit uel *perſonale* uel *reale* (§. CXLI.), & (2) uel *limitatum* uel *illimitatum* (§. CXLIV, 3.); (3) ut, ubi limitatum eſt, neque ad tempus clauſum, neque ad aliud atque determinatum eſt genus pecudúm, extendatur (§. CXLV.); (4) ut in communia paſcua contagioſa & alia, quæ nocent, pecora ducere ſit prohibitum *h*).

§ CLVIII.

quandoque diuiditur. Ubi duo pluresue in prædiis ſuis mutua

f) BESOLD *Vol.* 1. *conſ.* 3. SVESER c. tr. c. VIII. ſect. 2 § 1.

g) KRAISSER *ad conſt. Foreſt. Bau.* art. 5.

h) SVESER c. l. *tit.* X. §. 43. SCHVTZ *c. tr.* c. VIII. *ſect.* 5. §. 16.

tua habent *ex familiaritate i*) compascua, (1) quod uni iustum alteri iniustum esse nequit *k*), ideoque (2) ubi unus agros suos circumsepit, reliquis etiam suos sepe cingere non potest non licere *l*); (3) quilibet dissensu suo ius compascui tollere potest. Contra illud ius compascui, quod *iure seruitutis* debetur, uix unius dissensu tollitur. Si uero perpetuus litium fomes esset, illud magistratus inter socios diuidere potest, uel locorum uel temporis intuitu *i*).

§. CLIX.

Pascua publica, gemeine Huth und Weide, ea uoco, quæ ad aliquam ciuitatem pertinent *n*), siue intra *o*), siue extra huius districtus fines deprehendantur. **Pascuorum publicorum**

§. CLX.

Qui *ciuitatis* ferunt *onera*, illius pascuis queunt, *moderate* tamen h.e. modo restricto ad prædiorum, quæ possident, quantitatem (§. XXXVI.) *p*), uel facultatem pecora **usus sit moderatus.**

Y 2 fœ-

i) MEVIVS *p.* V. *dec.* 552.
k) CARPZOV. II, 41, 10.
l) KOEPPEN *decis.* 12. *nr.* 18.
m) SVESER c. l. §. 94. LEISSER, c. l. III, 10, 43. ROHR c. l. p. 809.
n) LEISSER III, 10, 4. seq.
o) ROHR c. l. p. 813. §. 4.
p) *Ord. Prou. Bauarica* III, 14, 4. *Gothana* tit. 21. FRITSCH *de iure compasc.* §. 14.

fœno, quod ſibi natum eſt *r*), per hyemem alendi, debent frui. Quæ tamen lex modum determinans, quod ad lanios, non ubique ſeruatur uſu *s*).

§. CLXI.

Paſtor. Sic quoque (3) alibi ſtatuta uolunt, ut *publicus paſtor* conſtituatur, & priuato tunc demum liceat ſingularem ſibi ſumere, ſi (*a*) 3. *t*) uel 4. *u*) agrorum iugera poſſideat, & (*b*) publico ſalarium, ſecundum iugera conſtitutum *x*), pro rata ſoluere uelit. Uterque, & priuatus & publicus, cuſtodiam præſtare debet *y*).

§. CLXII.

Cenſus, *Cenſus* eſt ius ex prædio alieno annuum reditum percipiendi.

§. CLXIII.

quicunque ſit, Reditus ille annuus diuiditur, (1) in *conſtitutiuum* & *reſeruatiuum*, quorum illius

r) *Ord. Prou. Bauar.* III, 14, 1. 2. *Brandenb.* p. IV. tit. 20 ibique SCHEPLIZ *nr.* 5 MVLLER *conſuet Marcb* reſ. 116. n. 5. ſeq. *Conſt. Luneb* d. 8. Iun 1678.

s) FRITSCH. *c. tr.* §. 13.

t) *I P S.* II, 25. 54. SVESER c. l *tit.* X. §. 63. REINHARD. p. II. *differ.* 37.

u) MEVIVS p. I *dec.* 28. STRYK *V. m. ff.* tit. de *S. P. R* §. 10.

x) ROHR c. l. p 816.

y) *I. P. S.* II, 48. SCHVTZ c. l. c. 3. §. 3. ſeq.

lius conſtitutio ad legitimam uſurarum quantitatem reſtricta eſt z); (2) in *redimibilem* & *non redimibilem*, quem poſteriorem improbant LL. *a*).

§. CLXIV.

Quum nulla ſeruitus diuidat rei dominium, cenſu onerati agri poſſeſſorem habeo plenum dominum *b*)*. Ut itaque putarem, eum (1) inueſtituram petere, & laudemium ſoluere non teneri; (2) prædium, irrequiſito cenſus domino, quod ad formam mutare, & (3) nulla præuia denuntiatione, uendere atque alienare poſſe *c*). non diuidit dominium.

* Quæ BEYERVS *del. I. Germ.* III, 23, 14. docet, me feriunt neutiquam. Confundit enim ille prædium cenſu oneratum, de quo iam nobis ſermo eſt, cum prædio ſub cenſus lege locato, aut etiam quod ad dominium diuiſo.

§. CLXV.

Hinc domino cenſus neque ius protimiſeos, & inde fluens ius prædium, ſe inſcio alienatum, reuocandi, neque moroſum cenſus debitorem eo priuandi poteſtas competit *d*). Auctoritate tamen

z) *R. I* de A. 1546. *tit.* 17 §. 8.
a) cit. *R. I*
b) FRANTZKIVS *de laudem.* XI, 30. SCHILTER. *exerc.* XVI, 85.
c) LEISSER c. l. I, 18, 65.
d) CARPZOV. II, 39, 2.

Dd. iuris Ro. illud plerisque in locis usu receptum est, ut, qui eiusmodi prædium alienauit, illud domino census significare debeat, soluturus nummum, quem relaxationis grossum, den Auflaß-Schilling nominant.

§. CLXVI.

Ius aperturæ. *Ius aperturæ*, quod alicui in alterius ciuitate, castro aut fortalitio competit, in seruitutibus esse *e*), nec superioritatem territorialem innuere, satis docuerunt AHASVER. FRITSCHIVS *f*), & WILH. DECKHERR *g*).

§. CLXVII.

A seruitutibus distinguas uelim dominium eminens (§. LII.*), ui cuius principes in prædiis ciuium suorum multa, quæ utilitas reip. exigit, faciunt, ita tamen, ut cuiuslibet prædii dominus indemnis præstetur.

TIT. X.
DE AERE ET IN EO EXERCENDIS IVRIBVS.

§. CLXVIII.

Aer est accessorium. A*er* est terræ, quam ambit, accessorium.

§. CLXIX.

e) SCHRADER *Vol.* I. *conf.* 13. *nr.* 74.
f) tr. *de iure aperturæ.*
g) tr. *de iure aperturæ.*

§. CLXIX.

Unde hæc notabis axiomata:

I. Cuius eſt terra, illius quoque aer eſt, terram ambiens.

II. Priuatus terra eſt priuatus aere illam ambiente.

§. CLXX.

Ex primo (§. pr. & XXXIX, 1.) conſtabit de cauſa, (1) cur Bremenſes dicant: der Wind gehört der Herrſchaft *b*); (2) cur princeps aere utatur fruatur liberrime *i*), & (3) peregrinos ſæpe ſub pœna libertatis amittendæ ab eo arceat (lib. I. §. XXX. b.); (4) cur aerem curet ſalubrem, & (5) quicquid eum corrumpere poſſit, ſuo remoueat tempore. terræ, quam ambit.

§. CLXXI.

Ex eodem dignoſci poteſt, (6) cur principes in ea omnia, quæ ſunt fiuntque in aere, territoria ſua ambiente, ſibi poteſtatem tribuant, propttereaque (7) uelint, ut *molendinum* πνευματικον* exſtructurus aerem redimat *k*); (8) cur poteſtatem *altius tollendi* ſæpe reſtringant; (9) cur ſibi uindicent ignes lætiferos Feuer-Wer- Hinc principes eum,

 cker,

b) KRESS. *ſpecim. Iurispr.* lib. I. tit. 2. §. 3.
i) STRYK d. *de iure principis in aerem.*
k) GRYPHIANDER *de inſulis* c. XI. nr. 27.

cket, & (10) aliis negent triumphales & uolubiles, Luft-Springer.

* Quæ, quum eorum stipites fundo infigantur, habeo immobilia (§. VIII.) SCHILTER *exerc.* IV. § 24. eaque, quæ in feudum dari possunt (§. LXXXIX, 6.).

§. CLXXII.

speciatim ius aucupii, uindicant sibi.

Illud porro ex eodem intelligere potes, posse principem (11) *aues* i. e. uolucres, quæ oua pariunt, & pennis decorantur *l*), pro lubitu capere *m*); (12) ius suum cum aliis communicare (*a*) cum gratis tum pro pensione aliqua, (*b*) tam simpliciter, quam sub lege, tempus *n*) modumue aucupii restringente, uel aues, quas uenari liceat, determinante. Unde (α) nata est diuisio des grosen und kleinen Vogel-Waidwercks *o*); (β) ius aucupii modo cum iure uenandi coniunctum est, modo ab eo separatum *p*); (γ) nulla causa est, cur iura uenandi ad aucupium perpetuo adplicare, aut (δ) ubique eandem auium distributionem, easdemue classes quærere uelis.

TIT.

l) RVDINGER *cent.* V. *obs.* 32.
m) RHETIVS *I. P.* II, 26. §. 6.
n) BECK tr. von der Forstl. Obrigk. c. XV. §. 3. p. 239.
o) ID. c. tr. c. XIII. §. 7. p. 220. LEISSER III, 13, 43.
p) WEHNER *obs. pr.* u. Vogel-Waidwerck. BECK c. l. pag. 218. PISTOR *cent.* 9. *par.* 85.

TIT. XI.
DE
FLVMINVM MAIORVM IVRIBVS.

§. CLXXIII.

Flumina maiora, eorumque incrementa & commoda, principis esse diximus (§. XXXIX, 2.). Unde colligi potest ratio, cur mores (1) præter *litora maris*, (2) res ibi repertas *q*) tribuant, atque (3) a priuatis collectas restitui iubeant *r*), principi. In fluminibus maioribus

§. CLXXIV.

Nec minus constabit, cur principes (4) extendant, restringant, prout lubet, flumina maiora, (5) eorumque *ripas* muniant *s*); (6) cur *anchoragium* exigant *t*); (7) cur *insulas* in iis natas *u*)* & (8) *alueos derelictos x*) habeant sibi; (9) cur *piscandi*, *nauigandi*, *grutiæ*, *portuum*, *traie-* principes exercent omnia iura.

q) LINCKENS d. *de iur. fluminum.* c. 3. §. 6.
r) Preuſ. L. R. III, 1. 3. Börnsteins-O. de A. 1693. GRYPHIANDER. *de insulis* c. II. nr. 35.
s) LINCK c. d. c 2. §. 38.
t) HACKMANN *de iure aggerum* c. 2. §. 69. seq.
u) *Const. Adolphi Nass.* de A. 1293. BVCHNER *c. d.* §. 113.-116. SCHILTER *exerc.* IV, 19.
x) *I. P. S.* II, 56. GRYPHIANDER c. l. II, 45. LINCK c. d. c. 3. §. 3. STRYK *u. m. ff.* XLI, 1, 19.

ctus aliaque iura exerceant cum aliorum exclusione; (10) cur aliis prohibeant omnem, aliis concedant hunc. aliis illum fluminis usum *y*); (11) cur nauigantem, quem uelint, conducant saluum *z*), & (12) conductum onerare soleant uectigalibus *a*); (13) cur LL. sub quibus hoc uel illud ius conceditur, non semper eædem, licet omnes stricte explicari debeant.

* In alia quidem omnia cum ZIEGLERO d. *de iur. flumin.* c. 2. § 26. eunt plures iuris interpretes, moti uerbis *Speculi Sax.* II, 56.; ast, ni fallor, eos errare satis docuit THOMASIVS not. *ad Institut.* p. 132.

SECT. I.

DE

IVRE PISCANDI.

§. CLXXV.

Ius piscandi a quo

In fluminibus maioribus *piscatur* princeps *b*), cum exclusione aliorum (§. pr. 9.). Ex quo sequitur, (1) ut princeps, quicquid usum iuris piscandi impediat, aut pisces deuastet, remoueat iure optimo

y) LINCK c. d. c. 2.

z) BVCHNER c. d. §. 238. seq.

a) ID. c. d. §. 128.

b) DU FRESNE u. *Foreste* KLOCK *Tom.* I. *consf.* 33. nr. 24. seq.

mo*; (2) ut priuatus, pisces capturus, principis concessionem uel expressam uel tacitam *c*) docere debeat.

* Hinc u. c. potest soletque præcipere, ut ne fœdens materia, aut cannabis & linum ad macerandum in flumina mittatur *Ord. Bauar.* XVIII, 2. ibique KRAYSER F. S. Fisch-Ordn. p. 13. uel prope ea alantur anates ROHR c l. p. 1251. LEISSER cit l. nr. 39. utne cancri capiantur per spinas intestinis ouium obuolutas mit der Dornwellen und Schaaf-Gedärm 2c.

§. CLXXVI.

Hanc qui docuit, tamen subest LL. piscatoriis, denen Fisch-Ordnungen, quibus principes, præter iam adducta (§. pr.*), solent (1) *pisces nobiliores* reseruare sibi *d*); (2) *tempus piscandi*, (3) formam, modum, mensuramque *retium e*), (4) *piscium*, quos piscari liceat, *magnitudinem*, (5) *piscium* uendendorum *pretium* aliaque determinare *f*). quibus seruatis LL. &

§. CLXXVII.

Iam quum ius piscandi a principe cuidam concessum, sit strictissime (§. CLXXIV, 13.), ad leges piscatorias & ita explicandum, quomodo exerceatur?

c) LEISSER c. l. III, 14, 21. KRAYSSER ad *Const. Piscat. Bauar.* art. I. STYPMANN *de iure marit.* p. V. c. 4. nr. 11.

d) Chur-Bayerische Jagd-Ordn. art. 13. ROHR c. l. p. 1261.

e) LEISSER c. l. III, 14, 26. seq.

f) ID. c. l. nr. 53.

dum, ut iura tertio quæsita salua maneant: sequitur (1) ut ius piscandi exerceri nequeat in toto flumine, in cuius parte tantum concessum est; (2) ut eam partem fluminis, qua ius piscandi tibi datum est, retibus machinisque obstruere nequeas, si lex prouincialis uetet, exitum intercludi piscibus; (3) ut piscationis ergo aliquid facere, quod iuri grutiæ, liberæ nauigationi &c. noceat, sit prohibitum.

§. CLXXVIII.

Conductor iuris piscandi.

Illud denique, quod qui ius in fluminibus maioribus piscandi conduxerunt, tempore, quo princeps excepit hospites, pisces, non tamen gratis, suggerere debeant, quin adducam, mihi temperare nequeo.

SECT. II.

DE IVRE GRVTIAE.

§. CLXXIX.

Ius grutiæ

Ius grutiæ, Floß-Recht, Floß-Gerechtigkeit, Holtz-Flösse, est facultas in flumine maiore cuiuscunque generis ligna transuehendi, usus & commerciorum gratia.

§. CLXXX.

princeps

Ius grutiæ (1) per ministros suos Floß-Meister, Floß-Schreiber ꝛc. exercere, (2) cum

cum aliis, quo uelit *titulo g*), communicare, nec non (3) *modum*, quo illud exerceri debeat, determinare *h*) poteſt princeps, quippe dominus iuris grutiæ (§. CLXXIV, 9.). *i*).

§. CLXXXI.

absque ciuium damno exercet, ac ita

Tantum uero abeſt (1) ut princeps, ius grutiæ exercens, *damnum* pro lubitu inferre posſit ciuibus, ut potius illatum reſarcire teneatur *k*); (2) ut *operas*, quibus ad ius grutiæ exercendum indigeat, quo uelit tempore, ciuibus imponere posſit, ut potius, quas exigit, ſibi deberi, probare *l*), & probatas eo tantum tempore, quo nulli ruſtici in eo ſunt, ut agros colant & fructus colligant, exigere, atque ſeruientibus alicubi *m*) uictum præſtare debeat.

§. CLXXXII.

ab aliis exerceri iubet.

Concesſio iuris grutiæ (§. CLXXX, 2.), (1) ſtrictiſſime explicanda eſt (§. CLXXIV, 13.) *n*), nec (2) tribuit facultatem contem-

g) FRITSCH tr. *de iure grutiæ* c. 3. nr. 8. ſeq. &c. 4.
h) ID. c. tr. c. 2. nr. 11.
i) ID. c. l. c. 3. nr. 4.
k) ID. c. l. c. 5. ſect. 1. nr. 15.
l) KLOCK *Vol.* I. *conſ.* 30. *nr.* 738.
m) FRITSCH c. tr. c. 5 *ſect.* 2. *nr.* 4.
n) ID. c. tr. c. 3. nr. 20. ſeq.

temnendi LL. in publicum editas uel adhuc edendas, Floß-Ordnungen, Floß-mandata, aut (3) aliquid agendi, quo usus aliorum fluminis, uel huius uiciniæ, iurium minor & rarior efficiatur. Hinc damnum ripis, aquæductui, molendinis &c. datum, ubi ex bono & æquo æstimatum est *o*), resarcire debet iure grutiæ inuestitus, si uel maxime illud tempore, quo reuersales dedit literas, expresse non promiserit *p*).

SECT. III.
DE
IVRE TRAIECTVS.

§. CLXXXIII.

Ius traiectus

Ius traiectus est ius habendi pontonem, quo pro certo pontiuegio homines resque transportantur.

§. CLXXXIV.

a principe concessum,

Ius illud in flumine maiore, sine principis permissu, nemo exercere potest *q*). Unde constabit, (1) cur ciues *titulum*, quo ius traiectus exerceant, edere teneantur, nec (2) eo edito, illud eodem semper

o) ID. c. l. c. 5. sect. 1. nr. 11. seq.

p) Res grau. 1651. §. 14. FRITSCH c. tr. c. 3. *nr*. 15. seq.

q) ZIEGLER *de iur. maiest*. II, 16, 4.

per modo, sed (3) alii simpliciter, alii cum iure prohibendi r), (4) omnes tamen salua superioritate exerceant, sicque (5) principes quouis tempore in publicum edere possint Fähren-Ordnungen *.

* Exemplum eiusmodi constitutionis uideas ap. SCHRAMMIUM Histor. Schauplatz der merckwürd. Brücken f. 36. 37.

§. CLXXXV.

Quem iure traiectus *simpliciter* inuestiuit princeps, ille quidem (1) impedire potest, quo minus molitor, piscator aut alius, scapha homines resue flumen transferat, neutiquam uero (2) eos, qui postea ius traiectus legitime acquisiuerunt, ab illius arcere exercitio. exercetur, exclusis iis, qui aeque priuilegiati non sunt.

SECT. IV.

DE MOLENDINORUM IURIBUS.

§. CLXXXVI.

Molendina, de aquaticis mihi sermo est, sunt machinae, quibus frumentum aliaque ad commodiorem usum, mediante flumine praeparantur, uel comminuuntur & conteruntur. Molendina

§. CLXXXVII.

r) I. H. MEIERI d. *de iure ripaticorum* seu *de iure habendi pontonem in flumine publico.*

§. CLXXXVII.

sancta sunt &

Molendina sancta sunt (§. V.). Hinc (1) eorum confractio & destructio sub poena capitis, etiam militibus, interdicitur *s*); (2) qui ex mola frumentum rapit, furti qualificati reus habetur; (3) a metatis immunia dicuntur esse *t*).

§. CLXXXVIII.

quandoque non nisi permittente principe

Molendina in flumine maiore princeps quidem pro lubitu exstruit, atque molitores, quibus exstructa locat, instruit *u*), (2) priuatus uero *x*), licet nobilis *y*), nulla exstruere potest, nisi doceat, hoc sibi permisisse principem (§. CLXXIV, 10) *z*), uel dare LL. prouinciales resque iudicatas *.

* Quod de Saxonia Electorali testantur constitutio inedita ap. LEISSERVM *Iur. georg.* III, 15. 39. *Ref grau* 1603. §. wegen Erbauung der Mühlen HORN *Iurisprud. Feud.* VIII, 26. ZIEGLER *de iur. maiest.* II, 15. 32. seq.

§. CLXXXIX.

s) Reuter-Best. 1570. art. 69. Fußkn. Best. eod. anno art 53.

t) TABOR *de metatis p.* III. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 7.

u) RÖHR Vorrath von *contr.* bey der Hauß-W. p. 272. 286.

x) SCHEPLITZ *consuet. March.* IV, 23.

y) SCHVLENBVRG d. *de priuil. nobil.* p. 54.

z) BESOLD *th. pr.* u. Mühlen SCHILTER *exerc.* XLVIII, 49. STYPMANN *de iure marit.* II; 2. n. 174. & 5. nr. 126.

§. CLXXXIX.

Quia nihil ædificandum eſt, quo læditur aut lædi poteſt intereſſe publicum (§. LXIII. LIX.): uides, cur mores & quarundam prouinciarum LL. uelint (1) ut molendina, quæ dicuntur, terebratoria Bohr- & ea, quibus aſſeres præparantur, Schneide-Mühlen, a ſyluis dominicis diſtent; (2) ut ne exſtruatur molendinum, quod nauigationi damnum ferat. **ſemper tamen iuribus reip.**

§. CXC.

Quum etiam ius tertio quæſitum limitet libertatem ædificandi (§. LIX.), ad intelligendum eſt facile (1) cur nemo molendinum exſtruere poſſit in fundo alieno (§. LXIV. 2.), aut (2) in ſuo illud, quod uſum fluminis tertio competentem rariorem efficit *a*), aut (3) uim facit naturali ſeruituti (§. LXV, 7.). Hinc iubent LL. (4) certo ſpatio a ſe inuicem diſtare molendina, atque (5) rationem haberi *arboris molaris & pali b*), des Fach- und Wehr-Baums. **& tertii ſaluis exſtruuntur.**

§. CXCI.

Qui molendinum inhabitat & molentes recipit, (1) receptos eo ordine ad molendum **Molitorum obligatio,**

a) *L. Alamann.* LXXXIII, 1. RVDINGER *cent.* 3. *obſ.* 68.

b) BILERI d. *de arbore & palo molend.*

dum admittere debet, quo cuiusque frumentum ad molam aduectum est *c*), secundum illud: Wer erst kommet, der mahlet erst, seu, wer vor kommt, der mahlet vor, und das ist Mühlen-Recht *d*), Iure autem *dominum* omnibus *e*), & *bannitos* uolentibus, præfert. Sic quoque (2) canonem & loci & fluminis domino soluere tenetur.

§. CXCII.

uitia. Peccant molitores (1) ubi citra causam unum molentem alteri præferunt (§. CXCI, 1.), lucri cupiditate ducti *f*); (2) ubi machinam molarem (§. CXC, 5.) uitiosam, denuntiatione facta, non corrigunt, (3) ubi plus iusta *g*) *mercede* exigunt, nec (4) *modio* auctoritate publica notato, utuntur, aut molentes alia defraudant ratione &c.

§. CXCIII.

Wasser-Meister. Wasser-Mühl-Meister alicubi constituuntur ad id, (1) ut curent seruari *LL. molares*, (2) ut corrigant uel saltem denun-

c) *I. P. S.* II, 59. f.
d) HERT *lib* 1. *paroem.* 50.
e) MYLER *metrol.* c. 17. §. 6. FRITSCH *iur. fluuiat.* p. III. p. 44.
f) Chur-Sächs. Mühl-Ordn. rubr. Mühl-Meister.
g) *Gl.* ad *I. F. S.* c. XI. nr. 9. HERING *de molend.* qu. 45. nr. 40. & p. 530.

nuntient *uitia molitorum;* (3) ut diiudicent *controuersias* inter molitores super palo molari ortas &c. *b*).

§. CXCIV.

Quid responsurus sim quærenti: *an molendinum de loco in locum transferri, aut multiplicari possit? an ex frumentario molendino olearium facere liceat?* ex antecedentibus patebit cuilibet.

SECT. V.

DE NAVIGATIONE, NAVCLERO ET NAVTIS.

§. CXCV.

Principis est ius nauigandi (§. CLXXIV, 9.). Hinc potest (1) illius *usum* negare aliis, aliis uero concedere (2) modo plenum, modo ad tempus, merces &c. restrictum; (3) *mercatorum*, quibus, ut merces suas nauibus trans mare portent, permisit, *societatem* inspicere, atque dirigere; (4) *LL. de statu, iuribus & mercede i*) *nautarum* ferre; (5) *iura nauium* determinare &c. **Nauigatio**

b) HERING c. tr. qu. 45.

i) LINCK d. *de iur. flum.* c. 2. §. 9.

§. CXCVI

priuilegiis gaudet, ac

Quia nauigatio auget commercia, quæ nimis prosunt reip.: illa, quæ nauibus aut earum cursui nocent, sunt prohibita; ea contra, quæ prosunt, præcepta. Sic u. c. (1) *nauem ascensurus*, si (*a*) in naui bona habeat, uel (*b*) nauclerum fideiussorem, debitorum intuitu arresto onerari nequit *k*), (2) ad *reparandam nauem* qui credidit, tacita hypotheca gaudet *l*), ac iure prælationis *m*); (3) ubi duo unius nauis domini de huius dissentiunt usu, melior est conditio statuentis: nauem uelis dandam esse (§. LXXIV, 5.) *n*); (4) ubi nauis hypothecæ data peregrinis in oris alienata, pignus extinguitur *o*); (5) *res furtiua* trans mare adportata, das über See und Sand gekommene Gut, quam quis b. f. possidet, uindicari nequit *p*).

§. CXCVII.

uectigalibus subest.

Pro securitate præstanda & onere tuendæ nauigationis, mercium, quæ naui uehuntur, immo ipsius nauis euntis *q*), intui-

k) *I. Lubec.* III, 1, 6. *Wysbic.* tit. 3. art. 6.
l) *I. Boruss.* p. II. lib. IV. tit. 5. art. 7. §. 3. *Hamb.* p III tit 5. art. 8.
m) ROHR c. l. p. II. p. 824.
n) *I. Hamb.* II, 13, 2.
o) *I. Lubec.* III, 4, 6. GOETZ d. *de æquit. Iur. Lubec*
p) *I. Hamb.* II, 20, 2.
q) LINCK c. d. c. II. §. 15.

tuitu, *uectigal* aliquod pendendum est. Quo ne defraudentur principes, exercent *ius geranii r*) (lib. I. §. CLXXXVI.), siue iuxta portum exstruunt machinas, quarum ope quæuis onera nauibus extrahere & ponderare possunt.

§. CXCVIII.

Naucleri munus describitur.

Naucleri est (1) nauim non nisi modice *s*) & mercibus licitis, (2) suoque tempore *onerare*, oneratamque, quamprimum fieri potest, (3) *uentis*, quos secundos habet maior pars nautarum *t*), tradere *u*); (4) fata, quæ naui, aut mercibus in eam receptis contigerunt, in librum diurnum, iournal *x*), & post, (5) ad earum dominos *y*) referre; (6) nauim a *piratis* defendere *z*).

§. CXCIX.

Illius porro est (7) *ductorem nauis*, quem uocant einen piloten*, recipere *a*), (8) receptique iussa quod ad cursum nauis sequi;

r) SCHOTTEL *de sing in G. iur.* c. XXIV.
s) Wohlinstruirt. Schiffer sect. I. c. 2. §. 7.
t) *I Wisb* art. 35. 41.
u) *I. Hamb.* II, 13, 5. 6. Langenbecks Anmerckungen p. 32. seq.
x) Schiffer sect. 2. c. 1. §. 3.
y) Ibid. §. 7.
z) *I Hanseat.* III, 12.
a) Schiffer c. l. c. 2. Preus. See-R. c. 3. art. 1.

qui; (9) non nisi urgente necessitate *bodmeriam* contrahere *b*); (10) ad declinandum *naufragium*, quod imminet, ex sententia maioris partis uectorum, aut minimum ex consilio sociorum naualium, leuare nauim, ita scilicet, (11) ut primum merces, quibus se inscio nauis onerata est, post eas, quæ sunt maioris ponderis minorisque pretii, proiiciat.

* Pecunia huic soluenda, das Loots-Geld, quod ad quantitatem uariat. Alibi legalis est, arbitraria alibi. Tantum abest, ut ulla debeatur ei, qui uel imperitia uel negligentia damnum dedit naui, ut hic potius omne damnum resarcire tenetur. Langenbecks Anmerckungen über das Hamburg. Schiff- und See-Recht p. 437. seq.

§. CC.

Denique debet (12) *nautas* amice suoque uictu *c*) excipere, nec (13) morosо & inobedienti alapas plures una *d*) infligere; (14) bona, quibus nauis onusta est, eo, quo destinata sunt, quantum fieri potest, salua ducere *e*), & (15) literas, quibus ea designata leguntur, Fracht-Briefe, suas cuique tradere, bona tamen non (16) prius, quam contributio facta est de iactis mercibus.

§. CCI.

b) Ibid. c. 3. §. 8. seq.
c) *I. Hamb.* II, 14, 17.
d) *I. Wisb.* art. 24. *Hamb.* c. l.
e) *I. Hans.* III, 16. *Lubec.* IV, 1, 7. *Wisbyc.* c. l. art. 61.

§. CCI.

Nautæ delinquunt, dum (1) naucleri iuſſa ſuperhabent *, (2) uictumue contemnunt f); (3) noctu uxorem ſecum habent, aut extra nauim hoſpitantur g); (4) parte mercedis accepta fugiunt h) &c. Nautarum delicta &

* Vim ſuo iuſſui opponentes, in terram, quam uelit, eam tamen, quam inhabitant homines, exponere *I. Hamb*. II, 14, 27. atque capitalis cuiusdam criminis reos uinculis incluſos iudici, qui primus ſibi occurrit, puniendos tradere poteſt nauclerus *I.Hanſ.* III, 11.

§. CCII.

Nauta, qui citra culpam ſuam in grauem morbum incidit, *mercedem uictumque*. prætereaque i), ſi, mandatum naucleri expleturus, uulneratus ſit, ſoſtrum a nauclero petere poteſt k). priuilegia.

f) *I. Hanſeat.* II, 4. 6.

g) IDEM c. l. 3, 3. *Wisb.* c. l. art. 3. *Hamb.* II, 14, 16.

h) *I. Hanſ.* c. l. 4, 25.

i) *I. Hamb.* II, 14, 30. *Wisb.* a. 19. *Hanſ.* tit. 14.

k) *I. Hamb.* II, 14, 17.

SECT. VI.
DE
HAVARIA.

§. CCIII.

Hauariæ

Hauaria uel *communis* uel *grossa* dicitur esse *l*). *Illa* complectitur expensas, sine quibus nulla fere nauigatio; *hæc* autem damna ex iactu nata.

§. CCIV.

grossæ quando locus?

Auariæ grossæ non datur locus, nisi iactus (1) tempore necessitatis (2) ex consilio nautarum (3) ad conseruationem nauis, & in eam receptorum bonorum (4) legitime (§ CXCIX.) factus in causa sit, (5) cur quædam bona seruata fuerint.

§. CCV.

Rerum proiectarum æstimatione facta

Res proiectæ *alibi* æstimantur pretio, quo emtæ sunt, *alibi* pretio, quo uendi potuerint an dem Lossungs-Ort *m*), *alibi* quantum itineris confectum sit, attenditur.

§. CCVI.

quinam contribuant?

Aestimatione legitime facta (§. pr.), pro rata contribuere tenentur omnes, quibus

l) MARQVARD *de iur. mercat.* III, 4. nr. 12. seq. WERNHERI d. *de contribut. propter iactum* th. 3. LVBECK *de iure auariæ*.

m) Wohlinstruirter Schiffer sect. 2. c. 4. §. 16.

bus fuerunt nauis & huic impositæ res illæ, pro quarum uectura pretium soluendum erat *n*), si uel maxime (*a*) sint minoris ponderis, aut (*b*) iactæ, nec per urinatores extractæ *o*).

§. CCVII.

Contra hauariæ non subsunt (1) liberi homines, (2) cibaria *p*), (3) armamenta *q*), (4) pecunia in bodmeriam data &c. *r*). uel non?

SECT. VII. DE ACQVISITIONE EX NAVFRAGIIS. Vom Strand-Recht.

§. CCVIII.

Iactu aut naufragio facto, merces uel a priuatis extrahuntur, capiuntur &c. uel ad littus appulsæ reperiuntur. Das Strand Recht

§. CCIX.

Illæ suis dominis restituuntur, soluto pretio, quod audit Bergegeld, Bergelohn, atque uariat pro uarietate laboris præstiti *s*).

n) Lüb. S. R. tit. 2. art. 4. Langenbeck c. l. p. 171. §. 6.

o) Hamb. S. R. tit. 16. art. 2.

p) HERT. *lib.* I. *parœm.* 37.

q) Hamb. S. R. tit. 18. art. 6.

r) HERT. *lib.* I. *parœm.* 36. Langenbeck c. l. p. 288.

s) MEVIUS p. IX. *dec.* 172. Preussische Strandungs-Ordnung c. 4. art. 22.

Has litoris dominus sibi uindicauit (§. CLXXIII) antiquitus *t*, sub nomine des Strand-Rechts. Unde nata est parœmia: der Schiffer kan Leib und Gut verfahren, wenn er Schiffbruch leidet *u*).

§. CCX.

antiquitus notum est.

Quia uero hoc improbarunt LL imperii *x*), factum est, ut (1) nullibi amplius uigeat ratione cymbarum sine rectore fluctuantium, uel nauium, quæ quidem post mali, uelorum, rudentum & anchorarum amisſionem regi nequeunt, saluæ tamen ad littus appelluntur *y*).

SECT. VIII.

DE IVRE PORTVVM.

§. CCXI.

Portuum

Portus sunt loca conclusa munitaque, in quæ se recipiunt naues, ut tutæ sint a procellarum, tempestatum ac piratarum iniuria.

§. CCXII.

dominium & iura.

Princeps eis præficit ministros *z*), qui cu-

t) SELDENVS *de mar. clauſ.* I, 25.

u) KLOCK *de ærar.* II, 114. SCHLEENSTEIN *de compend. naufrag.*

x) SCHOTTEL *de singul. quibusd. in G. iuribus* c. XX.

y) BEYER *delin. I. G.* II, 6, 15.

z) RHETII d. *de iure portuum*.

(1) curent, ut (*a*) portum ingredientes submittant uela *a*), (*b*) pecuniamque pro receptu soluant; (2) inquirant, (*a*) unde quælibet uauis ueniat, quoque tendat, (*b*) quibus mercibus sit onerata, (*c*) quem agnoscat dominum; (3) exigant & perlustrent literas, quas uocant: *certificat, passeports;* (4) *uiolatores LL. nauigationis*, quosque præternauigans nauclerus uinculis constrictos tradidit (§. CCI.), pœna adficiant sua; (5) *merces illicitas*, quas in naui aliqua deprehendunt, immo & nauim, si hæc & merces eundem habeant dominium, addicant fisco *b*), (6) exigant suo tempore *angarias c*) &c.

TIT. XII.

DE SYLVIS EARVMQVE IVRIBVS.

§. CCXIII.

Syluarum (§. XXX.) alias *maiores* esse, *minores* alias, hasque dici Hölßer, Büsche; illas uero Wälder, quis est quem fugiat? Syluarum uarietas.

SECT.

a) SIBRAND *de submissione uelorum.*
b) HEINECC. d. *de nauibus ob mercium illicitarum uecturam commissis.*
c) LOCCEN. *de iure marit.* I, 5, 5.

SECT. I.
DE
SVPERIORITATE FORESTALI.

§. CCXIV.

Superior forestalis.

Superioritas forestalis Forstl. Herrlichk. est potestas principi competens, qua dirigit quasuis actiones, & cognoscit quasuis causas, syluaticas *d*).

§. CCXV.

fert LL. quæ syluam,

Itaque forestalis superior fert LL. Wald-Forst- Holz- und Jagd-Ordnungen *e*), quibus (1) interdicit eo, quod syluæ nocet *f*) reipublicæque; (2) describit munus *ministrorum forestalium*; (3) pro re nata permittit prohibetue *areas aucupatorias*, *officinas uitriarias*, *carbonarias g*) &c. in sylua exstruendas; (4) pro concessa syluæ in agros uersione sibi uindicat den Neubruch-Zehenden *h*).

§. CCXVI.

segmenta ligni,

LL. forestales porro (5) terminos ponunt *iuri lignandi i*); (6) determinant ligna

d) WESTENHOLTZ *de iurist. forest* c. III. §. 37.

e) Stisser Forst- und Jagd-Hist. c. 6. §. 22. seq.

f) BECK c. l. c. V. §. 2. p. 86. c. XII. §. 1. 2. p. 180. seq. KREBS tr. *de ligno & lapide* p. I. cl. VI. sect. 17. §. 16 nr. 17.

g) KREBS c. l. sect. 6. §. 14.

h) BECK c. l. c. VIII. p. 135.

i) REINHARTH d. *de iure priuatorum circa syluas admodum restricto* §. 8.

gna flumine traiicienda, eorumque quantitatem, itidemque (7) segmentorum ligni magnitudinem *k*) pretiumque. Sic quoque 8) ius arbores cæsas exasciandi, quod dicunt den Wald-Spahn nehmen *l*), bewaldrechten, describunt, & (9) adornant Holtz- und Wald-Höfe, atque Holtz-Märckte.

§. CCXVII.

Dein (10) *ferarum* intuitu sequentia plerumque statuunt: (*a*) ut ne quis feras, dum agitantur uenere, zur Brunst- und Satz-Zeit, uenari *m*), aut cædendo arbores uel alio modo turbare, audeat; (*b*) ut *canes* rusticorum pastorumque fuste onerentur *n*), (*c*) daß die Zeuge und Netze nicht zu enge, damit die Frischlinge durchziehen können. feras,

§. CCXVIII.

Eædem leges (11) plebeiis, aliisque iure uenandi destitutis prohibent, ne cum sclopetis canibusque uenaticis (§. XVIII.) per syluas saltusque uagentur; (12) tempus modumque uenationis determinant. earumque uenationem

§. CCXIX.

k) BECK c. l. c. VII. §. 7. p. 131.

l) REINECCI d. vom Wald-Spahn §. 9.

m) Magd. P. O. c. 9. sect. XI. §. 14. Bayer. Jagd- und Forst-Ordn. c. 3. 21. seq.

n) BECK c. l. c. XIV. §. 6. p. 226.

§. CCXIX.

Volunt porro (13) ut ne oues, ſues, capræ ullo o), reliqua uero pecora glandis legendæ tempore p) (§. CLII, 9.) paſcantur; (14) ut ne dominus ſyluæ ſepes palis præacutis muniat, aut (15) poma, quibus feræ indigent, adimat, aut (16) ſyluam in agros mutet, diſſentiente iuris uenandi, lignandi &c. domino q); (17) ut ne ius cædendi frondes ad retia expandenda & opercula conficienda, das Zweigrecht, nimis extendatur r); (18) ut ne uenationem exercens ullum damnum inferat ſyluæ s), frugibus t), hominibus pecudibusque u).

§. CCXX.

& alia concernunt.

Ex ſuperioritate foreſtali fluit *iurisdictio*, quæ (1) diuiditur in *immediatam* & *mediatam*, hæcque iterum in *omnimodam* & *limitatam*; (2) abſoluitur cura ſyluæ illiusque limitum. Qua de re iudex fore-

o) ID. c. l. c. XI. §. 2. p. 177. ſeq.
p) ID. c. l. c. VIII. §. 2. p. 138. XIV. §. 6. p. 226. FINSTERWALDER *obſ. auſt.* III, 151.
q) Bayer L. R. tit. 26. FRITSCH *de iure boſcandi* membr. VI. n. 5.
r) KREBS c. l. p. I. cl. 4. ſect. 7. p. 170. ſeq.
s) SECKENDORF T. Fürſten-St. III, 3, 5. §. 1. BECK c. l. c. VII. §. 6. p. 125.
t) *I. P. S.* II, 61. *Sucu.* c. 352. nr. 2.
u) BECK c. l. c. XIV. §. 1.

restalis (*a*) iubet, lapides arboresue finales Jagd- und Forst-Steine, poni, a se inuicem distingui, conseruari, in libro forestali, Forst-Buch, conscribi, & in locum demortuarum arborum finalium alias substitui; (*b*) determinat die Anweiß-Gebühr, Schreib- Stamm- und Meß-Gelder *x*).

§. CCXXI.

Sic quoque (*c*) constituit *seruos*, qui syluam a capris, ouibus, suibus defendant, & damnum dantes pignorent *y*), (§. LVIII, 2.). In quorum usum *syluestres casas* *z*) exstruere potest.

SECT. II.

DE SYLVARVM DOMINIO.

§. CCXXII.

Syluæ cuiusque dominus potest (1) *arbores* aridas, mortuasue cædere, (2) effœta ætate aut ui uentorum fulminumque fractas Windfälle, Windbrüche *a*), Syluæ dominus in ea lignat,

x) KREBS *de ligno & lap.* p. I. cl. IV. sect. 17. §. 6. nr. 16. 18. 19.

y) BECK von der Forst-Gerechtigk. c. V. §. 4. p. 87.

z) ID. c. l. c. VI. §. 4. p. 109.

a), uendere, immo (3) lignare *b*), & alios a iure lignandi excludere * pro lubitu; (4) syluam alienare (§. LVI.), & (5) in quam uelit utilitatem uertere, eam tamen, quæ ius tertio quæsitum uix minuat (§. CXLVI, 4.).

* Alicubi tamen certis diebus cremium colligere possunt pauperes, hac lege, ut nulla utantur securi. FRITSCH *de iure bosc.* m 4. nr. 5. Ciues, quibus aliquot orgyas lignorum ex sylua dominica ducere licet, præstare tenentur den Hunds- und Forst-Haber. BECK c. l. c. XI. §. 3. p. 178.

§. CCXXIII.

glandesque legit

Denique potest (6) legere *glandes*, Eichel, Eckerich und wildes Obst *c*), ita tamen, ut, si alius sit uenationis dominus, tantum relinquat, quantum ad feras nutriendas requiritur *d*); (7) porcos in sylua pascere *e*), aut *ius saginandi* aliis concedere; (8) *apes syluestres f*), (9) *gramen*, (10) *uenationem* ** & (11) quæuis emolumenta syluestria uindicare sibi.

** Ali-

a) ID. c. l. c. IX. §. 2. p. 160. HORN d. *de eo quod iustum est circa arbores turbine deiectas* §. 4. seq.
b) BECK c. l. §. 1. p. 157.
c) ID. c. l. c. VIII. §. 3. 4. 5. p. m. 139. seq.
d) HEVSER *de eo, quod iustum est circa ius glandis legendæ* §. 26. seq.
e) BECK c. l. §. 5. p. 149.
f) ID. c. l. c. IX. §. 3.

* Alicubi ius glandes legendi ad uenationis, non uero syluae, dominium spectare tradit RICCIVS Entwurf von der in T. übl. Jagd-Gerechtigkeit c. 3. §. 6.

** Quod ius uenandi (1) sit iuris accessorii & legitimi annexus cuiusque fundi ac syluae, illudque (2) antiquitus in suis & suorum rusticorum praediis exercuerint ingenui, atque, licet postea (3) regalibus annumerata fuerit uenatio in saltu quolibet, nihilo tamen minus (4) adhuc hodie pro nobili possessore equestris nemoris militet praesumtio, quod uenari possit, nisi constet, feudum ei de territorio dedisse principem, luculenter docent LVDEWIG *de uenatu* diss. 4. nr. 2. 3. & diss. 5 p. 30. 37. seq. BOEHMER d. *de iure & statu hom. propr.* sect. III. §. 19. HEINECCIVS *El. I. G.* lib. I. §. 64. 69. STRVBEN *uindic. iuris uenandi nobil. germ.* c. I. §. 24. seq.

§. CCXXIV.

Syluae *maiores* in principis, *minores* in **dominus.** priuatorum praesumuntur esse dominio. Unde colligere potes causam, (1) cur maiores syluae dicantur dominicae, forestatae, & (2) in iis uenandi ius soli competat principi; (3) cur princeps, mediante iureiurando, constituat saltuarios Forst-Meister, und andere Forst-Bediente g), & constitutos, si uelit, dimittat h); (4) cur priuatus, ius aliquod in sylua ma-

g) ID. c. VI. §. 1. 2. p. 102.
h) ID. c. I. §. 4. p. 108.

maiori exerciturus, sibi hoc a principe uel expresse uel tacite concessum esse, docere debeat.

SECT. III.
DE
VENATIONE.

§. CCXXV.

Venatio est *Venatio* * est ius inuestigandi, persequendi & capiendi feras in syluis locisque campestribus alicui competens.

* Olim omnium ingenuorum uita consistebat in uenationibus. TACITVS *de M. G.* c. 13. Unde mirari desinas, (*a*) ordines equestres uenatorios natos, (*b*) patronos electos, (*c*) nobiles in ministrorum forestalium numerum relatos, & (*d*) nomine der Waldbotten, Holtzgrafen uocatos esse.

§. CCXXVI.

1) uel inferior uel superior Est (1) uel *superior* uel *inferior*, seu, quod eodem recidit, uel *maior* uel *minor* *i*). Alicubi additur *media k*). Quid ad unamquamque pertineat, mores loquuntur regionis, & inuestiturarum literae. Plerumque tamen ad *hanc* referuntur capreoli, apri minores, ad *illam* lepores, uulpes &c. ad *istam* ferae maiores, nobiliores, nigricantes ac rubentes, das hohe, rothe

i) Stisser c. l. c. 7. §. 24.
k) ID. ib. §. 30.

rothe und schwartze Wild. Alicubi maiori uenationi non subest ursorum uenatio *l*).

§. CCXXVII.

Diuiditur (2) in *limitatam* & *illimitatam*. Illa est, quam LL., pactum aut praescriptio restringunt uel (*a*) ad certum *genus numerumue ferarum* u. c. auf 4. Stück rothes und so viel Stück schwartzes Wildpret, uel (*b*) ad *personam m*) *, uel (*c*) ad *locum*, uel (*d*) ad *modum* u. c. vom Strick aus *n*), durch Hund und Garn, Abschröcken, Pürschen ꝛc. 2) uel *limitata* uel *illimitata*,

* Huc pertinet uenatio ad oblectationem data, das Lust-Jagen. Stisser c. l. c. 7. §. 58.

§. CCXXVIII.

Denique (3) uel *clamosa* uel *placida* dicitur esse. *Illa* est, quae clamore & canibus uenaticis, itemque per sclopeta & uenabula, peragitur; *haec* uero, quae suscipitur laqueis, retibus, cassibus, foueis, decipulis, insidiisque aliis. 3) uel *clamosa* uel *placida*.

§. CCXXIX.

Quia ferae habentur accessorium syluae (§. CCXXIII, 2.): constat (1) cur mores ius Venationis dominus

l) KNICHEN *de pactis uestit*. p. II. c. 2. nr. 56.
m) HARPPRECHT d *de uenat precar*. §. 25.
n) KRAISSER *ad Ord. for. Bauar*. art. 2. ERTL. *de iurisd. infer*. II, 7, 9.

ius uenandi in *forestis**, principis, (2) in *syluis* contra *minoribus*, earum dominorum** esse, praesumant, & proin (3) uenationem maiorum ferarum principibus uindicent; (4) cur statuant Dd., quod priuatus ius feras maiores, aut minores in syluis maioribus, uenandi possidens, possessionis suae titulum edere teneatur; (5) cur dominium iuris uenandi & potestas LL. uenatorias ferendi non in una semper concurrant persona.

* Harum numerus olim erat exiguus. Unde multis in locis uigebat die freye Pürsch-Gerechtigkeit, quae hodie paucis in locis & admodum restricta superest. v. HARPPRECHTI *sciagraphia liberae uenationis germanicae* inprimis uero *Sueuicae*.

** Quid iuris uenandi nobilibus in hac & illa prouincia competat hodie, tradere sibi sumsit Stisser c. l. c. 1. §. 32. seq.

§. CCXXX.

uenatores constituit. Dominus iuris uenandi ea omnia facere potest, sine quibus uenationis utilitatem percipere nequit. Hinc (1) *uenatores* Jäger, Waid-Knechte, pro lubitu constituit & dimittit, ac (2) ubi pluribus indiget, illis praeficit magistrum, Jägermeister, cuius est (*a*) ius uenandi illiusque fines tueri, (*b*) bannum ferinum, itidem Jagd- & Hund-Häuser, suo tempore uisitare; atque (*c*) ut aedes collapsae re-

reparentur, & (*d*) instrumenta uenatoria sarta seruentur, curare; (*e*) rapaces feras remouere; (*f*) uenatoribus, Knechten, Hegebereitern, Wind-Hetzern ꝛc. imperare, & quæ sunt alia, a SECKENDORFFIO *o*) tradita.

§. CCXXXI.

Sic quoque datur ei potestas (3) turbatores iuris sui *pignorandi;* (4) feram, quam in suo uulnerauit, in uicini fundum suo modo *p*) persequendi, die Jagd-Folge*, & (5) syluam, in qua iure uenandi gaudet, cingendi (§. CXLVI, 1.), ita tamen exercenda, ut ne quid damni ferat dominio syluæ (§. CXLV, 4.), aut iuri pascendi uel lignandi, quod spectat ad alium *q*). Vides itaque (*a*) quomodo explicanda sit parœmia: Wer darf jagen, der darf hagen *r*); (*b*) cum iure uenandi uix coniunctum esse ius cædendi ligna das Holtzungs-Recht *s*). uulneratam feram persequitur, &

* Num dominus syluæ, in quam se recepit uulnerata fera, persequentem præuenire, ac feram sibi sumere possit? disceptant Dd. Vid. RAYS d.

o) T. Fürsten-Staat p. III. c. 3. sect. 5. §. 7.

p) *L. Long*. I, 22. 6. *I P. S* II, 61. RICCIVS c. l. c. 8. RAYS c. d. § 10. seq. 18. seq. 22. seq.

q) KREBS c. l. p. I. cl. 4. sect. 7. §. 2.

r) HERT *lib II. par.* 17.

s) HEROLD *obseru. forest.* nr. 13.

d. *de ferarum persecutione in territorio alieno* §. 21.

§. CCXXXII.

seruitia uenatoria quandoque exigit.

Qui iurisdictioni dominicæ seu patrimoniali subsunt, *canes uenaticos* alere *t*)*, saluos præstare, eosque, si præcesserit indictio (lib. I. §. LXXV.), ad syluam dominicam (ib. §. LXIV.) suis sumtibus (ib. §. LXXIII.) ducere, ibique ligna, quæ dicuntur Wild-Häger, Wild-Zaune, ponere tenentur, nec horum seruitiorum loco pecuniam, inuito iuris uenandi domino, soluere possunt *u*), nisi consuetudo loci, pactum, aut LL. prouinciales loquantur aliud (lib. I. §. LXVII. seq.).

* Hoc onus olim quibusdam monasteriis impositum erat. RICCIVS c. l. c. I. §. 39. Hodie alicubi excoriatorum est, canes uenaticos alere; alibi ciuibus indistincte hoc onus incumbit, hac tamen sub lege, ut præstetur iis der Hund-Haber. SVESER *theatr. seru.* tit. XII. §. 9. & tit. XX. §. 8.

§. CCXXXIII.

Ciues, licet a seruitiis uenatoriis quibuscunque sint immunes, *luporum* tamen per-

t) BECK c. l. c. XVII. §. 259.

u) FRITSCH *de iur. sequelæ* c. XI. §. 3. nr. 9. SVESER c. tr. tit. XX. §. 35.

perfecutioni intereſſe tenentur *x*), ſed ſumtu domini *y*).

§. CCXXXIV.

Priuatis licet feras nociuas, carniuorasque u. c. lupos & urſos *z*), extra ſyluam occidere, dummodo cadauer illiusue ungulas foreſtariis offerant, præmium, das Schüß- und Fang-Geld, accepturi *a*). an priuato permiſſa ſit uenatio?

§. CCXXXV.

Contra LL. uenatorias agunt, (1) qui ius uenandi exercent, quo tamen non gaudent. Hi ferarum fures habentur, nec eadem ubique pœna adficiuntur *b*); (2) qui limites iuri uenandi uel lege uel pacto poſitos negligunt, aut (3) iure ſuo utuntur in præiudicium tertii *c*); (4) qui minorem mediamue quam habent uenationem modo, cui nomen eſt: die Klapper-Jagd, in iis exercent locis, ubi maiores habentur feræ *d*); (5) qui feras uulne- Delicta uenatoria.

 ra-

x) RICHTER Vol. I. p. II. conſ 4. FRITSCH *de ſequela* c. II. nr. 14. ſeq. MVLLER *de perſecut. lupor.* th. XVI. ſeq.

y) CARPZOV. *lib.* I. *Reſp.* 57. SVESER c. l. tit. XII § 9.

z) *I P.S.* II, 61. *Sueu* cap. 352. MVLLER c. d.

a) *Ord. prou Goth.* III, 11. SEB. MEDIC. *de uenat.* p. II. q. 14.

b) *Elem* nr. *iur crim* lib. 1. §. 167. ſeq.

c) RICCIVS c. l c 9.

d) BASTINELLER d. *de modo uenandi*, *dicto*: Die Klapper-Jagd.

ratas in alieno banno persequuntur alio ac præscripto receptoque modo; neutiquam uero (6) qui, ut mensam solemniorem u.c. nuptialem, baptismalem &c. instruere possint, clauso quidem tempore, sed extra syluam uenantur **die Ramler.**

§. CCXXXVI.

Conuenatio, quæ differt

Conuenatio, simultanea uenatio, Kuppel- Samt- oder Mit-Jagd, est potestas in alieno fundo, uel cum huius domino uel cum tertio quodam simul uenandi.

§. CCXXXVII.

a communi,

Ab hac differt (1) inter duos pluresue unius fundi uel syluæ dominos *communis uenatio*, gemeine Jagd *e*); (2) illa uenatio, quæ pluribus in eadem sylua, sed diuerso modo, competit: ut si ad unum spectet ius minores, ad alterum uero, maiores capiendi feras *f*).

§. CCXXXVIII.

seruitus est, quam

Conuenatio seruitus est. Itaque (1) non præsumitur *g*); (2) præscriptione, consuetudine, inuestitura & pacto non minus atque transactione constitui potest

e) FRITSCH tr. *de conuenatione* m. I. §. 10. *Corp. I. For* p. I. tr XV. p. 697. a.

f) SPEIDEL *Spec. iurid.* u. Jagen. MEVRER *lib.* II, *c.* 3.

g) FRITSCH c. tr. m. 2. nr. 1.

eſt *b*), & quidem (3) uario modo (§. CXLIV.). Denique notandum (4) quod ea ſit quandoque reciproca, & (5) tempore, quo uenus feras agitat, exerceri nequeat.

§. CCXXXIX.

Num conuenatio inſcio & inuito altero exerceri queat? quærunt Dd. diuerſum in modum ad illam quæſtionem reſpondentes. Negatiuam ſententiam tenent SPEIDEL *i*), GRYPHIANDER *k*), adfirmatiuam uero AH. FRITSCHIVS *l*). Equidem huic, quocum mores & uenatorum teſtimonia conſentiunt, lubens adſtipulor. **unus inſcio altero exercere poteſt.**

§. CCXL.

Conuenationem (1) ob *abuſum m*), **Contraria.** (2) lapſum *temporis*, ad quod conceſſa, (3) *conſolidationem*, (4) *reuocationem*, (5) *præſcriptionem*, (6) *feloniam*, ſi quis ea inueſtitus fuerit &c. *n*), ceſſare, in aprico eſt. Illud autem notes, liberæ re-

Aa 5 uo-

b) ID. c. l. m. 3.
i) *Spec. notab. uerb.* u. Jagd.
k) *Oecon. legal.* I, 18, 19.
l) FRITSCH c. tr. m. 4. nr. 6.
m) STRYK d. *de abuſu iuris quæſiti* c. 4. nr. 62. ſeq.
n) RAYS c. d. §. 29. ſeq. RICCIVS c. l. c. XII.

uocationi tunc demum locum esse, ubi conuenatio sola familiaritate nititur *o*).

§. CCXLI.

Venatio precaria

Venatio, quae ad preces ita datur, ut pro lubitu reuocari queat, dicitur *precaria*, Gnaden-Jagd; ea uero, quae ministro conceditur ad augendum illius salarium, dicitur Bestand- und Gnaden-Jagd.

§. CCXLII.

a domino datur,

Statuunt Dd. moresque docent, (1) uenationem ad preces alterius concedi posse a quouis *iuris uenandi*, uel ex superioritate uel ex inuestitura, *domino*, immo (2) a tutore pupilli principis *p*); (3) quo minus concedat eam iure uenandi inuestitus, uix impedire pactum de uenatione non alienanda, inuestiturae additum *q*).

§. CCXLIII.

sub certis cautionibus.

Precariam uenationem concessurus solet (1) conficere instrumentum, quo (*a*) *precum*, quibus cessit, mentionem fa-

o) TREIBERI d. *de conuenat. reuocat.*
p) STREITS d. de *uenat precar.* sect. II. c. 2. §. 2.
q) MVLLER c. l. FRITSCH & HARPPRECHT d. *de uenat. precar.*

facit, & (*b*) *locum*, *tempus modumque uenationis* concessæ denotat; (2) exigere *reuersales* literas, quibus is, cui precario concessa est uenatio, utitur uel clausula: wiederrufl., auf Wiederrufen, uel uerbis: - - nur aus Gnaden und keiner Gerechtigkeit, biß auf Ihro H. F. D. Wohlgefallen und wieder abkünden, vergönnet und zugelassen haben. Quarum literarum easdem fere formulas sistunt BESOLD *r*), FRITSCH *s*), MVLLER *t*) aliique.

§. CCXLIV.

Hanc cumulatiue concessam esse, &, quod inde sequitur, illius auctori *conuenationem & ius præuentionis*, die Vor-Jagd *u*), adhuc competere, nullus præsumo, putans, attendendum esse, quid loquantur conceptæ de uenatione concessa literæ *x*). Cæterum *illud* lubens concedo, quod princeps ratione temporis uasallos suos præuenire, & tempore adhuc clauso *y*) uenari possit, ut & *hoc*, quod

Ius præuentionis circa uenat.

r) *th. pr.* u. Jagden.
s) c. tr. th. 9.
t) c. d. c. 4. th. 7.
u) WEIZZENNEGGER tr. *de uenat.* c. V. §. 22.
x) SCHNEIDERI d. *de iure præuent. circa uenat.* §. 14. seq.
y) ID. c. d. §. 13.

quod unus conuenantium alterum praeuenire queat (§. CCXXXIX.). z).

TIT. XIII.
DE
IVRE METALLICO.

§. CCXLV.

Metallorum

Metalla quae olim in Regis fuerunt dominio (§. XXXIX, 4.) *, hodie ui ſuperioritatis territorialis cuique ſtatui competunt in ſuo territorio, ſine decimarum Caeſari ſoluendarum onere a). Quae etiam ſententia LL. imperii confirmata eſt b).

* Quod germani (1) dominium metallorum Regi antiquitus attribuerint, (2) eamque ſententiam perpetuo uſu comprobauerint, luculenter demonſtrarunt TITIVS c. d. §. XIV. BARTHEL *de iure fodiendi metalla* c. 2. §. 1.

SECT.

z) ID. c. d. §. 17.

a) de LVDEWIG *ad A. B.* pag. 820. EISENHART *de regali metallif. iure* c. 2. §. 62. ſeq.

b) *A. B.* c. 9. *R. I.* 1541. §. 63. 1548. §. 38. 1551. §. 48.

SECT. I.
DE
METALLI FODINIS.

§. CCXLVI.

Fodinæ sunt cauernæ uenis metallicis* plenæ, eum in finem, ut metalla fodi possint, apertæ **. fodinæ sunt

* Metallorum nomine uoco non solum aurum, argentum, stannum, plumbum, ferrum, cuprum, orichalcum, sed & wismuthum, cadmiam metallicam fossilem, Robold.

** Eos, qui metallorum uenas, Ottone M. imperante, primum inuentas esse adferunt, erroris incusat & conuincit ERH. REVSCH d. *de originibus metallifod. in Germ.* docens, fodinas longe ante Ottonem M. in Germania cultas fuisse.

§. CCXLVII.

Quia princeps metallorum dominus, prout lubet ei, uel ipse fodinas aperit, uel metalla effodiendi potestatem concedit ciuibus, partem aliquam prouentuum reseruans sibi: fodinæ diuiduntur (1) in *dominicas & sociales* Herren- und gemeine-Zechen, quarum illæ quum mox principis mox reip. sumtibus aperiantur, iterum (2) uel *fiscales uel patrimoniales principis* dicuntur esse. uel *dominicæ* uel *priuatæ*. Illæ uel *fiscales* uel *patrim.*

§. CCXLVIII.

Porro fodinæ diuiduntur (3) in *cultas* 3. uel *cultæ* & uel *desertæ* &c.

& *desertas* Bauhaftige und auflässige Zechen, quibus alii intermediam addunt speciem frist und feder haltende Zechen, (4) in *dimensas* & *nondum dimensas* vermessene und unvermessene; (5) in *steriles*, *suas* & *fœcundas* Zubßzechen, die sich frey halten, höflich und Ausbeut gebende Zechen; (6) in *maiorales* & *minorales*, quæ a diuerso metallorum pretio sic appellantur. Ut alias fodinarum diuisiones tacitus prætereaem.

SECT. II.

DE

FODINARVM DOMINIO AD PRIVATOS SPECTANTE

ET

DIVISIONE IN PARTES, QVAE Kuxe DICVNTVR.

§. CCXLIX.

Fodinas concedit princeps,

Nulla fodina ad priuatum spectare potest, nisi ex concessione principis (§. CCXLV.). Concedit autem eas princeps uel *generaliter* uel *specialiter*. *Generalis* concessio, quæ coniuncta est cum potestate quosuis officiales constituendi hodie est rarissima; frequens contra *specialis*, qua scilicet hoc precanti datur, ut

ut ex certo aliquo terræ ſpatio metalla eruat*, ſaluo tamen imperio principis.

* Poteſtas metallorum inueſtigandorum gratia terram fodiendi cuilibet competit. Es hat iederman ein freies Schürfen. HAPPEL *de uenis metallorum latentibus* Idque quouis in loco, proprio & alieno. Excipere tamen debes beſamte Aecker, Tiſch, Bett und Feuer-Stätten. SPAN *ſpec. iur metall.* p. II. c. I. §. I. p. m 179. Schönbergs Berg-Information v. Schürfen.

§. CCL.

De eo, qui uel ab ipſo principe uel rogatus, ab illius locum tenente, metallorum magiſtro, ut fodinam, &, qui huic inſeruit, aquarum uſum concedat ſibi, per ſolemnes literas *c*), petiit & impetrauit, acceptis literis, Muth-Zettul *d*), dicitur: daß er gemuthet, und den entblößten Gang aufgenommen habe. Audit propterea der Muther.

§. CCLI.

Ubi plures ſeparatim una eademque fodina inueſtiti ſunt, prior præfertur reliquis Semper tamen inuentor fodinæ potior eſt, licet eum inueſtituram petendo præuenerit alius. Id quod teſtantur parœmiæ: der erſte Finder iſt auch der erſte Muther.

c) SPAN. *Spec. I. metall.* p. II. c. 2. §. 3.

d) ID. c. l. c. 4.

ther. Nicht die Muthung, sondern die Findung eines Gangs erlanget das Alter im Felde *e*).

§. CCLII.

sub certis LL. &

Princeps, uel illius nomine rerum metallicarum magister, fodinam dans petenti, solet (1) reseruare sibi *f*) (*a*) certam pecuniam singulis anni quadrantibus soluendam, Receß-Gelder *g*); (*b*) partem metallorum effossorum *decimam**, ad quam exigendam constituit den Zehendner *h*), den Zehend-Gegenschreiber *i*); (*c*) ius πρωτοπραξίας in uendendis metallis, quæ sunt effossa *k*); (*d*) ius particulas minutas, die Hütten-Kretze, in officinis argenteis colligendi.

* Ubi fodina sterilis est, nec ea, ad quam colendam princeps aliquid contribuit, decimæ non debentur SPAN *spec. I. metall.* p. I. c. 6. §. 18.

e) DIETZ *de senioratu metallico.*

f) Eybenstock. Zinn-Berg-Ordn. art. 37. Gieß-Hübl. Eisen-Ordn. art. 6. Pirnische Eisen-Ordn. art. 6. 13. *O. M. S.* art. 92. DEUCER *Corp. Iur. metall.* p. 235.

g) SPAN c. l. c. 10.

h) ID. c. l. p. I. c. 6.

i) ID. c. l. c. 7.

k) MOLLENBEC d. *de regali protimiseos metallicæ iure.*

§. 18. Bergwercks-*Lexicon* u. Arme Zeche, si pauca loca, quibus uicesimae debentur, exceperis. De eo autem, an gypsus, carbones bituminati fossiles Steinkohlen, & lapides fossiles a decimis sint immunes, nec ne? sunt qui disputant. WEHNER *obs. pr.* u. Gibs. Me quidem iudice res omnis dependet ab imperantis arbitrio. LYNCKER *de iur. minerar.* th. 42.

§. CCLIII.

Porro solet (2) iubere, domino illius fundi, ubi effodienda sunt metalla, optionem dari, uelit unicam partem metallicam, eamque ab omnibus oneribus immunem, Erb-Kukus, an 4. suis sumtibus colendas in solatium accipere.

§. CCLIV.

Et quia omnis fodinarum specialis concessio saluo fit imperio (§. CCLI.): uides (1) cur princeps *LL.* ferat *metallicas;* (2) maiores *rerum metallicarum officiales*, u. c. Ober-Müntzmeister *l*), Ober-Bergmeister *m*), Hauptmann und Amts-Verwalter *n*), Müntz-Amtleute *o*), Wardein *p*) ꝛc. ipse, reliquos uero u. c. Abtreiber saluo imperio.

l) ID. p. I. c. I.
m) ID. c. l. c. 2.
n) ID. c. l. c. 5.
o) ID. c. l. c. 8.
p) ID. c. l. c. 9.

ber q), Austheiler r), Berg-Schreiber s), Gegen-Schreiber t), Berg-Geschworne u), Kreutzier x) &c. per rerum metallicarum magistrum constituat, & (3) constitutorum fraudes puniat y); (4) cur modum in causis metallicis procedendi definiat; (5) cur damnum illatura prohibeat &c.

§. CCLV.

Fodinarum cultores sunt

Fodina ad suos cultores uel exercitores Gewercken, relata, dicitur *symposium* eine Zeche z). Eam, ubi a principe concessa est (§ CCLI.), in pleno cultorum dominio esse nemo negabit.

§. CCLVI.

pleni domini &

Hinc fodinarum cultores possunt (1) ne alius in fodinam descendat, *prohibere* a); (2) ius suum in alios (*a*) inter uiuos & mortis causa, (*b*) in totum & in tantum b), (*c*) gratis & pro pretio, *transferre*,

q) ID. c. l. c. 12.
r) ID. c. l. c. 13.
s) ID. c l. c. 16.
t) ID. c. l. c. 17.
u) ID. c. l. c. 18.
x) ID. c. l. c. 22.
y) CAHLEIS d. *de defraudationibus metallicorum circa rem metallicam.*
z) TITIUS c. d. §. 27. Bergwercks-*Lexic.* h. u.
a) *O. M. S.* art. 34.
b) EISENHART. *de regali metallifod. iure* c. IV. §. 19.

re, ideoque (3) partes metallicas *pignori* dare *c*), & (4) fodinarum *usumfructum* aliis concedere *d*). Quando fodinæ dominium donatione, uenditione, permutatione &c. transfertur, opus est *iudiciali adiudicatione e*), *consensu* uero iudicis indiget, partes metallicas daturus pignori *f*).

§. CCLVII.

Sic quoque (5) consequuntur die Ausbeuthe * *g*), qui inter fodinæ cuiusque cultores distribuuntur, secundum partes fodinarum indiuisas, nach den Kuxen. Harum numerum pro ratione fodinarum maioralium & minoralium diuersum determinant leges & consuetudo. Argentariæ fodinæ plerumque in 128 partes diuiduntur, ubi de oneribus ferendis quæritur; sin ea, quæ effossa sunt, distribuenda, 132. partes constituuntur; quatuor enim partes prouentus sine ullis impensis præstandæ sunt principi uel ciuitati,

prouentus consequuntur, nach den Kuxen,

c) TITIUS c. d. §. 34.
d) EISENHART. c. l. c. IV. §. 17.
e) O. M. S. art. 34. 40. 41. 74 Eybenstein. B.B.O. art. 19. 20. 28. Pirnische Eisen-Ordn. art. 4. SPAN c. l. cap. 10.
f) EISENHART. c. l. §. 20. HORN d. *de libro metall. antigr.* §. 51. seq. 58.
g) O. M. S. art. 11. LOEHNEYS Bericht von Bergwercken p. 29. 52.

ti, fundi domino (§. CCLIII, 11.), ecclesiæ & nosocomio.

* Num fructibus annumerari queant, nec ne? disputant BAVSEN *instit. iur. metall.* p. 106. seq. BERLICH p III. concl. 35, nr. 7. seq. KREBS *de ligno & lapide* p. II. cl. 3. sect. 2. §. 4. 19.

§. CCLVIII.

& secundum concessionis legem.

Si quem princeps inuestiuerit minoribus metallis, quibus admixta post inueniuntur nobiliora, uidendum erit: quæ metalla post separationem reliquis ualore præstent? Ubi enim nobiliora reliquis tunc præstare deprehenduntur, princeps; sin hæc illis, inuestitus uindicat sibi omnia *b*).

§. CCLIX.

Iuris metallici amissio.

Ius metallicum *amittitur*, das Feld fält ins freye, (1) quando *legibus concessionis* non fit satis, ut si (*a*) fodinæ non colantur *i*), (*b*) symbola, die Zubusse, non conferantur, (*c*) trimestris recognitio omittatur, wenn das Quatember- oder Recess-Geld nicht erleget wird *k*); (2) præscriptione, non tamen (3) ob delictum com-

b) HORN *Iurispr. Feud.* c. IX. §. 16.
i) Hertwigs Bergbuch u. Auflässig.
k) EISENHART. c. tr. c. V. *O. M. S.* art. 24. 32.

commune *l*), nisi illud, quod uindicatur pœna confiscationis bonorum.

§. CCLX.

Rationalem den Schichtmeister *m*), scansorem den Steiger *n*), reliquosque officiales minores ipsi constituunt fodinarum cultores die Gewercken. A constitutis autem iuramentum & cautionem principis nomine exigunt maiores officiales (§. CCLIV.). Minorum officialium constitutio.

§. CCLXI.

Metallici simul sumti constituunt collegium, quod dicitur die Knapschaft, ideoque gaudent suis *præfectis* seu senioribus, *communi ærario*, *musicis* Berg-Sänger, *actuario*, uariisque *priuilegiis o*). die Knapschaft.

Bb 3 SECT.

l) TITIVS c. d. §. 35.
m) SPAN. c. l. p. I. c. 30.
n) ID. c. l. c. 31.
o) LOEHNEYS c. l. p. 34. 220.

SECT. III.
DE
LIBRIS METALLICIS, SPECIATIM ANTIGRAPHO.

§. CCLXII.

In libris metallicis eminet

Libri, in quos ea, quæ in montibus metalliferis circa res metallicas contingunt, rite referuntur, audiunt *metallici*, suntque liber arrestorum Kummer- und Arrest-Buch, concessionum, Belehn- und Bestätigungs-Buch, decumanus Zehend-Buch, dilationum, Frist- oder Nachlassungs-Buch, dimensionum, Vermeß- oder Erbbereit-Buch, diribitorius Austheiler-Buch, Hand-Buch, iudicatarum rerum & transactionum Schied- und Vertrags-Buch, recessuum, Receß-Buch.

§. CCLXIII.

antigraphus

Eo quoque pertinet *antigraphus*, seu liber, in quem fodinas metallicas, earumque partes & possessores rite refert *p*) αναγραμματευς, der Gegen-Schreiber *q*).

§. CCLXIV.

tribus constans partibus.

Tribus ille constat partibus, (1) dem Lehn-Buch, in quo solemniter *r*) annotari so-

p) HORN c. d. §. 41. seq.
q) SPAN. c. l. I, 16. f. 45.
r) HORN c. d. §. 32.

solet, fodinam petenti a magistro montium concessam esse, (2) dem Gegen-Buch in specie sic dicto, in quo notantur omnia, quæ circa fodinam, illiusue partes obtigerunt, u. c. *translatio*, *retardatum*, *arrestum* tam impetratum quam relaxatum, *pignus* rite constitutum &c. (3) retardat-Buch, in quem scribuntur nomina eorum, qui partes suas ob non solutum canonem amisere.

§. CCLXV.

Hic libellus rite & *præsentibus* iis, quos quælibet res concernit, condendus est, ita ut exprimantur (1) omnia *personarum* & *fodinarum nomina*, (2) *tempus*, quo quælibet res facta, & annotata est. Qui, ubi rite conditus est,

§. CCLXVI.

Sic conditus publicus esse, ideoque *præsumtionem* ueritatis & *solemnitatis* præ se ferre dicitur. Hinc in eo nominatus rerum metallicarum habetur dominus. Noli tamen putare, hanc præsumtionem iuris & de iure esse. Admittitur probatio in contrarium, eique, cuius nomen iniuste deletum est, partes suas metallicas a quolibet possessore uindicandi potestas datur *s*). præsumtionem ueritatis inducit.

s) ID. c. d. §. 72.

TIT. XIV.

DE SALINIS.

§. CCLXVII.

Princeps concedit salinas,

Princeps ad quem salinæ, in quocunque fundo adinuentæ, spectant (§. XXXIX, 6.) *t*), has sæpe dat priuatis, & quidem mox gratis mox *pro canone*, semper tamen salua superioritate. Hinc etiam post salinarum concesionem potest (1) ferre *LL. salinarias* Haals-Thal-Haals-Gerichts-Ordnungen, nec non (2) *iudicia* constituere, & (3) præuio iureiurando inuestire *salinarum inspectores* Saltz-Grafen, Ober-Bornmeister *u*).

§. CCLXVIII.

fert LL. salinarias,

LL. salinariæ, quarum aliquot sistit AHASV. FRITSCHIVS *x*), plerumque determinant (1) munus des Born- und Gegen-Schreibers *y*), (2) uitam, mercedem, laboresque der Born-Knechte und Sol-Zieher *z*); (3) tempus & modum der

t) FRITSCH *de regali salinarum iur*. c. 3.

u) HONDORFS Beschreibung des Salzw. zu Halle c. XX.

x) c. tr. p II.

y) HONDORF. c. l. c. XXVIII. p. 163.

z) ID. c. VII. p. 49.

der Bornfahrt *a*); (4) modum, quo resignari debent die Thal-Güter *b*)*; (5) qualitates eorum, qui ad *societatem salinariam* uolunt adspirare ** *c*); (6) rationem diuidendi reditus; (7) *quantitatem salsuginis* singulis annis coquendæ; (8) pœnam locationis *fictitiarum sartaginum*, (9) modum, quo *diuidatur lucrum* inter salsuginis dominum & sartaginis possessorem dominumue, (10) monopolium *d*) pretiumque salis, (11) pœnam suo tempore non soluti canonis *e*) &c.

* Alicubi recepta est die Lehn-Tafel, quæ semel quotannis, & quidem die a principe stato, producitur, ut possessorum mutationes annotentur, damit die Ab- und Zuschrift geschehe. V. GEIER u. einschreiben in Wachs.

** Halensia statuta uolunt, ut nemo salinas acquirat, nisi burgensis, qui uxorem, atque intra pomœria suas ædes, habeat. Vid. HEROLD *consf. dec.* 32. *concl.* 5. nr. 12. Unde est quod quilibet cotæ possessor ibi tempore der Besatzung iurare teneatur, emolumenta coctionis, Pfänner-Gewinn ad se, non alios, spectare, & cotam uel salsuginem sua ipsius pecunia emtam esse. BEYER *del. I. G.* II, 5, 17.

a) ID. c. XXII. p. 124.
b) ID. c. XXIV. p. 141.
c) ID. c. XVII. p. 94.
d) FRITSCH c. tr. c. 4.
e) HOFFMANNI d. *de emphyteusi* c. 4. §. 13.

§. CCLXIX.

Salinæ Hal. In Salinis Halensibus * duæ reperiuntur societates, *altera* fontium & salsuginis, des Guts-Herren, die auf ihre Ausläufte sitzen, *altera* coctionis & sartaginum, der Pfänner.

* De fontibus ipsis, qui deprehenduntur Halæ, nempe dem Teutschen Born, Hacke-Born, Gutjahr oder Wendischen Born, Metritz agit FR. HONDORF c. tr. modum uero præparandi salem discere potes ex HOFFMANNI Beschreibung des Saltz-Wesen in Halle.

TIT. XV.

DE VIA speciatim REGIA ET IN EA EXERCENDIS IVRIBVS.

§. CCLXX.

Via Via est soli spatium, per quod ire, agere & ambulare potes.

§. CCLXXI.

uariat. Quum uero solum uel *regium* sit uel *priuatum*, illiusque usus uel ad regem tantum uel ad omnes, huius uero uel ad uniuersitatem uel ad priuatum spectet: uia non immerito dispescitur in *regiam* gemeine Heer- und Landes-Straße, *regis*, *uicinalem* Dorf-Straße, & *priuatam* seu agrariam, Feld uel Holtz-Weg.

SECT.

SECT. I.
DE
VIA REGIA.

§. CCLXXII.

Via regia est spatium soli regii, per quod cuilibet alio ire, agere, & ambulare licet. Vel, ut alii describunt, uia, quæ nunquam intermoritur, sed ab utraque parte uel in urbes, uel in flumina aut maria uel aliam saltem uiam publicam exit *f*). **Viam regiam**

§. CCLXXIII.

Quaodoquidem uia regia principis est (§. XXXIX, 7.), patet (1) cur princeps, neutiquam uero nobilis aut ciuitas quæ sub principe est, uiam regiam constituere *, constitutam alienare **, & alienationi LL. scribere possit; (2) cur risu digna sit cautela BARTOLI, ut ciuitas, ualide alienatura uiam regiam, statutum condat, quo priuatam declaret eam; (3) cur penes principem sit uiam regiam defendere, ideoque (4) interdicere, ne quis prope eam effodiat lutum, argillam arenamue *g*), aut aliud quid in ea fiat immittaturque se **princeps, 1) alienat**

f) FRITSCH *de regal. uiar. publ. iure* cap. I. nr. 13. seq.

g) ROHR Haußhaltungs-R. p. II. p. 885.

se inscio uel inuito, atque (5) si iam factum immissumue aliquid fuerit, iubere, illud sui auctoris sumtibus restitui.

* Locus, per quem publica autoritate iter possit fieri, denotatur uel *edicto*, uel *proclamate publico*. *Ord Pol Sax*. 1555. tit. die Land-Strassen zu erhalten.

** *Alienatio uiæ regiæ* a principe facta stricte & ita explicari debet, ut saluum maneat imperium. Hinc princeps & uias in priuatos alienatas curat, pedagiumque determinat.

§. CCLXXIV.

2) ex pedagio, quod exigit,

Ex eodem (§. XXXIX, 7.) porro intelligere potes, posse principem pro re nata (6) ueterem uiam mutare (§. LVII.), nouamque in fundis ciuium, quos indemnes præstat, constituere (§. CLXVII.) *b*); (7) uiam regiam claudere; (8) a transeuntibus *pedagium**, pro uaria rerum trensportandarum grauitate uariam exigere *i*).

* Hoc hodie in formam uectigalis mutare uix licet singulis imperii statibus, si El. Brandenb. exceperis, quippe cui potestas in suis territoriis & regionibus noua uectigalia instituendi, uetera augendi competit, &, quod inde sequitur, pedagium in uectigal transferendi, PFEFFINGER ad VITRIAR. III, 12, 45. B. RHETIVS *Inst. I. Publ. I*, 6, 24.

§. CCLXXV.

b) BASTINELLER d. *de iure uiarum publ.* c. 2. §. 4

i) DEDELL d. *de conseruat. & reparat. uiarum publicar.* §. 14. seq.

§. CCLXXV.

Ex eodem infero (9) uiam regiam, quæ inter duo iacet territoria, *communem esse*. Hinc neque huius neque illius territorii dominus solus (*a*) pedagium exigere, aut (*b*) aliud ius in uia exerciturus, hanc totam occupare potest.

§. CCLXXVI.

Quum intersit reip. uias regias refici, muniri, & sartas tectas conseruari: de hoc solliciti sunt principes, qui & ipsi, ubi pedagium exigunt, sumtus necessarios ferre tenentur *k*). Sin pedagium nunquam exegerint, curant tantum uias reparandas, sumtus uero * mox iuris conducendi dominus, mox ciues ferunt. Principes, sicut hodie, ita & olim, uiarum regiarum curam suscepisse, eorum dicta *l*), LL. que *m*) docent. refici curat.

* Olim etiam mulctæ meretricum, **Huren- und Frevel-Bussen**, inseruierunt sumtibus ad uiam regiam reficiendam necessariis. LVNIG **T. R. A.** p. gen. cont. 2. p. 239.

§. CCLXXVII.

k) *Const. Friderici II* de A. 1236. c. 4. nr. 3. ap. GOLDAST. *Const. Imper.* To. I. f. 82. DEDELL c d. §. 18.

l) SCHRAMM. *de statuis mercurial.* app. nr. 10.

m) **K.** *Iosephi patent* die *reparirung* der Post-Wege und Stege im Röm. Reich betr. *Ref. grau.* 1653. tit. von Iustitien-S. §. 82. **F. Osnabr. Br. Lün. Wege-Ordnung** de an. 1691.

§. CCLXXVII.

3) aperit iis, qui sibi suisque ciuibus non sunt nocituri.

Regia uia patet cuilibet, qui principi illiusque ciuibus non est nociturus. Ut transeant *milites* principis exteri, plane non *n*), & domestici tunc demum, permittitur, si fœdus aut *pactum* de mutuo auxilio transituue *o*), uel salus reip. Germanicæ *p*), uel *uires* exercitus transeuntis illud iubeant. Quouis casu transitus innoxius debet esse ciuibus *q*).

§. CCLXXVIII.

Sic quoque ab usu uiæ publicæ arceantur, quibus interdictum est territorio, quales *banniti r*), *cingari s*), *mendicantes ualidi t*), *milites exauctorati & uagabundi*,

n) *R. I. Aug.* 1559. §. dem zu begegnen.

o) u. c. inter Elector. Brandenb. & Hannou. d. $\frac{8}{18}$ Ian. 1697.

p) *Inst. Pac. Osnabr.* art. XVII. §. 9.

q) ROSENHART *de iure transeundi per territoria.* BEIER *an & quatenus transitus pro exercitu negari possit?* FELTMANN *de transitu exercitus.*

r) *R. I.* 1495. tit. Friedbrecher 1500. tit. die Friedbrecher sollen kein Geleite haben. Erklärung des Landfr. 1522. § Ob aber 1548. §. es soll auch GAIL *de P. P.* II, 1, 13.

s) *Ref. Pol. Aug.* 1500. tit. von Zigeunern 1530. 1544. 1548. 1551 eod tit.

t) *R. I.* 1500. tit. von Bettlern 1530. 1548. 1577. eod. tit.

bundi, ii præſertim, qui dicuntur Rottirer, Gartirer, Herrenloſe Knechte *u*), *atrocium criminum rei fugitiui x*, & alicubi * *Iudæi y*).

* Tantum uero abeſt, ut ab omni territorio patriæ noſtræ arceantur Iudæi, ut potius in plurimis regionibus uia regia gaudeant, adeo ut ne quiquidem t. t. pileo annuloque ſe ab aliis diſtinguere teneantur. *Priuilegium Caroli V.* de an. 1544. §. Wann wir nun ꝛc. ORTH tr. *de regali conducendi iure* c IV. p. 138.

§. CCLXXIX.

Ex eo, quod uia regia ſancta ſit (§. 4) V.), patebit, (1) cur iniuria in uia regia alicui illata grauiori pœna coerceatur, immo (2) quoduis delictum in ea commiſſum maneat pœna ordinaria acerbior; (3) cur uia regia dicatur priuilegiata. ſanctam- que ſeruat.

SECT.

u) *R. I.* 1442. tit. von reiſigen Knechten 1548. tit. von Herrenloſen Knechten 1555. §. Und damit 1654. §. Wo ſich auch. *Ord. Pol. Erf.* 1577. tit. 7.

x) *R. I. Treu.* 1512. §. Und nachdem ſich ꝛc. *Aug.* 1548. tit. Friedbrecher §. eod.

y) *Edict. Brunſ.* 1559.

SECT. II.
DE
IVRE CONDVCENDI.

§. CCLXXX.

Conducit,

Dominus regiarum uiarum poteſt, immo debet z), peregrinantes ſaluos ducere, geleiten, h. e. (a) quamuis iniuriam ab iis defendere, propствreaque (b) ipſas uias uiſitare, den Halt bereiten a), & (c) a facinoroſis penitus purgare.

§. CCLXXXI.

princeps cuiusque territorii

Iam quum dominus uiarum regiarum ille ſit, in cuius deprehenduntur territorio (§. CCLXXIII.): uides, cur, qui ſibi ius conducendi in territorio alieno adſerit, deficiente notorietate b), probare debeat, quo titulo illud acquiſiuerit c).

§. CCLXXXII.

datis uel comitibus uel literis.

Peregrinantes conducit princeps datis *uel* comitibus, lebendiges Geleit, *uel* literis. Comitibus opus erat diffidationis tem-

z) *R. I.* 1555. §. Nachdem aber 1559. §. damit dann ꝛc. GAIL *lib.* II. *obſ.* 64. n. 2. ſeq.

a) BEYER *delin. I. G* II, 8, 13.

b) LEISSER c. l. III, 32, 21.

c) ENGELBRECHT *de ſeruit. iur. p.* ſect. II. m. 2. §. 15. LINCK d. *de iure conducendi.*

tempore. Ex quo uero pax publica ſtabilita eſt, nulli fere comites ſuperſunt, eorum tamen merces ubique adhuc, receptis literis, ſoluenda eſt.

§. CCLXXXIII.

exigens mercedem

Quæ pro conductu rerum ſoluitur pecunia, certo quidem in loco, quem denotat crux aliudue ſignum, exigitur, neutiquam uero huic uel illi uiarum parti cohæret.

§. CCLXXXIV.

Hinc (1) locus exactionis pro lubitu mutari poteſt; (2) qui prope ædes, in quibus exigitur das Geleite, de uia regia deflectit, a debito non liberatur *d*).

§. CCLXXXV.

ab omnibus, qui immunitatem docere nequeunt.

Pecuniam conductus ad unum omnes ſoluere tenentur peregrinantes, niſi ſe ab ea immunes eſſe doceant. Sunt autem in toto R. G. I. ab ea immunes, (1) *electores e*), (2) *ſtatus imperii*, quod ad res, quæ ad eorum uictum pertinent. Sic quoque (3) in Sax. El. *nobiles* pro conductu rerum, quæ ad eorum ſpectant uictum, nihil debent ſoluere *f*).

§.CCLXXXVI.

d) COCCEII d. *de regali uiar. publ. iure.* §. XIV.
e) *Capitul. Leopoldi* art. 22. *Caroli VI.* art. 6.
f) *Reſol. grauam.* 1661. tit. R. S. § 9.

§. CCLXXXVI.

Princeps resarcit damnum quod conducti passi sunt.

Peregrinantes damnum, quod se in uia regia passos esse probarunt, a principe, qui eo conduxit, repetere possunt *g*), nisi (*a*) uel comites conductores *h*), uel uiam regiam *i*), deseruerint, aut (*b*) pecuniam pro conductu soluendam defraudauerint, aut (*c*) prius aliis iniuriam intulerint; (*d*) in principis potestate plane non fuerit, eos saluos ducere.

SECT. III.
DE
POSTIS EARVMQVE IVRIBVS.

§. CCLXXXVII.

Postas

Posta est cursus, quo, cursoribus equisque mutatis, peregrinantes, eorumque res de loco in locum, cui *stationis* nomen est, transferuntur*.

* Me

g) *R. I.* 1555. §. Nachdem aber ꝛc. 1559. §. 34. *I. P. S.* II, 27. WVRMSER *obs. pr.* tit. f. *obs.* 5. CARPZOV. *pr. cr.* q. 111. nr. 164.

h) ORTH tr. *de regali conducendi iure* c. VIII. p. 312 seq.

i) cit. *R. I.* Chur-S. Edict. wegen der hohen Land-Str. aus Pohlen und Schlesien gen Leipzig COCEII c. d. §. XVI. ROSENTHAL *de feudis* c. V. concl. 22.

* Me quidem iudice, curſus Romanorum, quos delineat IAC. REICHIVS d. *de diplomat. & tractatoriis*, von Poſt- und Roſt-Zetteln, cum poſtis noſtris non conueniunt. Neque enim ſtatis diebus currebant, neque priuatis inſeruiebant.

§. CCLXXXVIII.

Diuiduntur autem poſtæ (1) in reitende und fahrende, (2) in ordinair- und extra-Poſten. Curſus equeſtres reitende Poſten, qui extra ordinem inſtituuntur, iterum uulgus diuidit in courier und Staffetten. quascunque

§. CCLXXXIX.

Ius poſtas inſtituendi hodie in reſeruatis Imp. eſſe nego, putans, illud cuiusque uiæ regiæ domino* competere, ſi uel maxime olim hoc iure non fuerit uſus. inſtituit princeps

* Iam MDLXXII. in eo erat Saxonum Auguſtus, ut celeres diſponeret; aſt propoſitum ſucceſſu caruit. Poſtea quam uero El. Brandenb. 1658. & Saxo 1682. poſtas inſtituerant, ab omnibus fere imperii noſtri electoribus principibusque certatim poſtæ inſtitutæ ſunt.

§. CCXC.

Poſtas uel ipſe princeps inſtituit, uel in feudum concedit ciuibus aliisque. Quod poſterius factum eſt ratione poſtarum per imperium, prouincias Auſtriacas, Brandenburgicas, Saxonicas &c. currentium. & inſtitutas quandoque concedit aliis.

§. CCXCI.

An uasallus ius postarum illiusue fructus inscio directo domino pignori dare queat? ex supra constabit dictis (§. XC.) *k*). Illud adhuc moneo, eum, qui, inscio directo iuris postarum domino, uasallo pecuniam credidit, minime in possessionem iuris postarum immitti posse *l*).

§. CCXCII.

Quia princeps nonnisi saluo imperio ius suum aliis concessisse praesumitur, etiam ubi ius postarum concessit priuatis, potest (1) *LL.* ferre de cursu, usuque postarum, de modo recipiendi literas, deque praestanda rerum transportandarum securitate; (2) determinare *uias*, per quas, & *tempus*, quo cursus institui debeat *m*).

§. CCXCIII.

Postarum ministri

Postarum ministri uel *principales* sunt, u. c. Ober-Post-directores, Ober-Post-meister, Postmeister, qui hodie, mox feudi, mox locationis titulo constituuntur; uel *minus principales*, utpote Post-Verwal-

k) HOERNIGK tr. *de regali postar. iure* c. XV. th. 5

l) OCKEL *de regali postar. iure Elect. Princ. Imp.* c. VI th. 2. 3. HOERNIGK c. X. th. 3.

m) HOERNIGK c. tr. c. XVIII. th. 9. OCKEL c. tr. c. V. th. 3.

walter, Poſt-Schreiber, poftilions, qui ut alii miniftri feruique adfumuntur.

§. CCXCIV.

Quorum (§. pr.) unusquisque, dum munus fuum fubit, fanctus eft *n*). Hinc (1) iniuriam iis t. t. illatam grauior pœna *o*) manet; (2) non effe putant mores LLque, cur curfores in itinere uelint gladios, fclopeta, aliaue arma gerere. fancti funt

§. CCXCV.

Eosdem ab *oneribus* immunes effe, negare nequeo, fi ea, *quæ celeritatem curfus impediunt*, intelligis *p*). *Realia* contra, & quæ mercaturæ aut opificio cohærent, ii præftare tenentur, qui res immobiles posfident, aut mercaturam opificiumue exercent. & ab oneribus immunes.

§. CCXCVI.

Perfonæ, *quæ per poftas transferri cupiunt*, quam uelint fedem, occupare nequeunt, fed eo collocantur ordine, quo numos pro uectura foluerunt. Id quod tamen deliquium patitur, (1) fi aliqui per poftam aliunde uenerint in alium adhuc locum transferendi, aut (2) cum uilioris Perfonæ

 con-

n) HOERNIGK c. l. c. XVIII. th. 2. 6.
o) OCKEL c. l. c. VI. th. 4.
p) HOERNIGK c. XVIII. th. 3-5.

conditionis hominibus concurrant personæ in dignitate constitutæ.

§. CCXCVII.

literæ Nullæ recipiuntur *literæ*, quarum inscriptio perspicuis literis non prodit nomen & dignitatem illius, ad quem mittuntur. Verbum: *franco* simpliciter in iis positum non nisi hoc denotat, mercedem pro transportatione per illud territorium, in quo literæ postis sunt concreditæ, solutam esse. Qua de causa hoc sibi datum esse putant postarum magistri, ut literis per plura territoria, uariasque postas, transmittendis inscriberent, quousque facta sit solutio?

§. CCXCVIII.

aliæque res *Cambiales literas*, *res pretiosas* aut *pecuniam* per postam transmissurus, in earum inuolucro, quid & quantum iis insit, inscribere, uel saltem postarum magistro seu directori significare debet.

§. CCXCIX.

a cursore, qui festinare & Cursus dispositorum curruum & equorum, quo personæ resque receptæ transferuntur, festinans *q*), & suo tempore finitus esse * debet. Hinc postarum serui, quos dicunt: *postilions*, ea omnia age-

q) ID. c. l. c. XVII.

agere poſſunt, quæ ad curſum promouendum faciunt. Sic licet iis (1) proximi ruſtici equum inſilire r), ſuorum aliquo mortuo; (2) a uia conſueta per agros aberrare. Sic (3) portæ iis uel noctu aperiuntur, ſi portas fortalitiorum magnarumque urbium exceperis s).

* Ut uero conſtet, an iuſtum tempus curſor ſeruauerit nec ne, transmittitur der Stunden-Zettul.

§. CCC.

Curſorum quilibet ſua *toga*, ſuoque *corniculo* inſtructus eſt. *Hoc*, ut poſſit (1) obuiam ſibi factos de obligatione ad cedendum monere; (2) aduentum, abitum, tranſitumque ſuum iis, quorum eum ſcire intereſt, ſignificare; (3) ſi noctis tempore a uia forte aberrauerit, proximi pagi canes ad latrandum incitare, quo canum latratu ad pagum attractus ab incolis in rectam uiam deduci queat: *illa*, ut de perſonæ ſanctitate conſtet cuilibet. corniculo inſtructus eſſe debet.

§. CCCI.

Si quid rerum transportandarum perditum deteriusue redditum fuerit, poſtarum magiſter damnum datum reſarcire te- ſaluæ

r) ID. c. l. c. XVIII. th. 16.
s) ID. c. l. c. XVIII. th. 7. 8.
t) BARTH *hodeg. for.* p. 771 - 794.

tenetur *t*); secus uero est, si illud casu contigerit fortuito *u*).

§. CCCII.

in locum destinatum

Ubi personæ, res & literæ in destinatum locum translatæ sunt: *personæ*, quo uelint, ire possunt, *literæ* uero resque allatæ per schedulam, in stathmo suspensam, significantur eas recepturis, nisi adsint Brief-Träger, qui pro exigua mercede, quæ a mercede transuectionis differt, res & literas apportant cuique, ad quem directæ sunt *x*).

§. CCCIII.

pro iusta mercede transportari debent.

Pro rerum personarumque transportatione soluenda merces conformis esse debet *taxæ y*), quam princeps præscripsit. Mercedem iustam si quis soluere detrectet, postarum magister res & literas retinere potest.

§. CCCIV.

Magister postarum.

Magistrum postarum, eumue qui illius loco est, oportet etiam (1) literas momentosas signis: *NB. rr.* notare, & (2) si quæ casu resignatæ fuerint, iterum sigillo munire; (3) fasciculorum ex loco con-

u) HOERNIGK c. l. c. XV. th. 18.

x) ID. c. l. c. XV. th. 23.

y) ID. c. l. c. XV. th. 19. seq. 39.

contagioſo uenientium ſuſceptionem denegare z), aut (4) ut ne ſuſcipiendi linteis a) complicentur filis, iubere, (5) ſuſceptos odoribus ſuis ſuffire; (6) ordinationes poſtarum obſeruandas curare; (7) equos & currus quouis tempore paratos habere, & quæ ſunt alia.

§. CCCV.

Equi curſorii (1) lignis aut fuſtibus agitari, (2) onere quinquaginta aut ad ſummum centum libris maiore grauari, aut (3) ſi uel maxime furto ſubducti fuerint, arreſto onerari nequeunt *b*). **Equi curſorii**

§. CCCVI.

A poſtis differunt *nuntii* Bothen, & *ueredarii* Land-Kutſcher, qui tardiorem curſum ſeruare ſolent, atque corniculi, equos mutandi, aliisque iuribus deſtituuntur. Quod ſemper directorio magiſtri poſtarum ſubſint, dici nequit. **Bothen und Land-Kutſcher.**

§. CCCVII.

Ius publicis typis exſcribendi relationes negotiorum ciuilium, rerumque geſtarum nouiter, Zeitungen, & lucrum inde capiendi, plerumque ſibi uindicant po- **Zeitungen.**

z) ACKOLD gründl. Unterricht vom Poſt-Regal II, 3.

a) HOERNIGK c. l. c. XV. th. 21.

b) ID. c. l. c. XVIII. th. 18.

postarum magistri. Verum inter (1) nouellas & postas nullum uinculum interest, illæque (2) ab arbitrio dependent principis c). Unde est, quod principes (a) nouellarum censores constituant d), (b) nouellas confictas quandoque diuulgari, uerasque supprimi e) iubeant; (c) iussus uiolatores (d) eosque, qui falsas nouellas in aliorum præiudicium fingunt f), puniant &c.

SECT. IV.

DE

LONGITVDINE ET LATITVDINE VIAE REGIAE.

§. CCCVIII.

Milliaria, quorum

Via regia, ubi longa est, describitur per spatia, quæ *milliaria* * audiunt, & pro territoriorum diuersitate differunt. Nota enim sunt milliaria *Bohemica*, *Megapolitana*, *Saxonica*, *Vratislauiensia* seu

c) FRITSCH ad LIMNAEVM IV, 8. nr. 267. & disc. *de hod. usu & abusu nouellar.* c. 3. §. 2. LVDWIG. d. *de iure postar.* §. 24.

d) EL. AVG. STRYK. d. *de iur. nouell.* c. 2.

e) ID. c. l. nr. 9. seq.

f) ID. c. d. c. IV. FRITSCH. c. disc. c. V.

ſeu *Sileſiaca g*). Milliaria etiam in *mathematica*, *legalia & uulgaria* diuidi, iam ſupra (lib. I. §. CCLXXXVI.) diximus.

* Maiores noſtri ſpatia illa, quibus itinera ſua ſueuerunt dimetiri, uocabant Rüſta, Raſta. PIERRE DAVITY *le monde* To. I. p. 138.

§. CCCIX.

Milliarium notitia uſum præſtat haud exiguum in negotiis ciuilibus, definiendisque fori controuerſiis, præſertim (*a*) in *diætis* definiendis, (*b*) *iure milliari Saxonico* (lib. I. tit. X. m. IV.), (*c*) conſtituendo *auſtregarum iudicio*, (*d*) definiendo *aduocatorum ſalario*, & (*e*) præſtandis *operis* &c. *h*). notitiæ uſus non exiguus,

§. CCCX.

Milliaria, locorumque diſtantiam in Sax. El. denotant *columnæ* ad regias uias poſitæ. Contra *hodegi lignei*, Wegwei-ſer, Armen-Säulen, in biuiis, triuiis & quatriuiis propterea ſunt erecti, ut uiarum diuortia & compita ſignificent *i*). denotant columnæ

§. CCCXI.

Tam columnæ quam hodegi lignei inuiolabiles ſunt. Violationis pœna arbitra- inuiolabiles.

g) SCHRAMM *de ſtatuis mercurial.* c. III. §. 6. ſeq.
h) ID. c. l. §. 8.
i) ID. c. l. §. 12.

bitraria est, determinanda pro gradu malitiæ animi, magnitudine illati damni, & atrocitate contumeliæ redundantis in principem, cuius nomen & insignia præ se ferunt columnæ hodegique.

§. CCCXII.

Viæ latitudo.

Quia facile fieri potest, ut uiatores, pedestres pariter ac equestres, & currus sibi occurrant inuicem, quum omnibus pateat uia regia (§. CCLXXII. CCLXXVIII.): hanc tantæ latitudinis esse iubent mores, ut currus iuxta currum ibi possit uehi *k*).

§. CCCXIII.

Qu. quis cedere

Quum unus alterum permeare nequeat, sed, ut locus alteri ab altero cedatur, opus sit: notes, *eum cedere debere, qui illud faciliori opera peragere potest.* Unde (*a*) uiator pedestris equitanti, (*b*) equitans currui, (*c*) currus uacuus currui mercibus onusto, (*d*) leuiter oneratus magis onerato, locum debet cedere *l*). Si uero uterque currus uacuus sit, aut æquali pressus onere, uterque pro dimidia

k) *LL. Wisig.* VIII, 4, 25. *Weichb.* art. 129. *I. P. S.* II, 59. OETINGER tr. *de iur. limit.* I, 9. COLER *dec.* 237. nr. 4. *Mand. Saxon.* d. 17. Iun. 1706.

l) *I. P. S.* II, 59. *Sueu.* art. 240. ed. SCHANNAT *LL. Cliu.* tit. 180. §. 1. 2.

dia parte deflectere debet, nisi (α) alterius rector in occurrendo commiserit culpam, aut (β) in altero transeant personæ, quarum dignitatis ratio habenda esset, aut (γ) currui priuato occurrat publicus. Cursus enim publici, ordinarii æque ac extraordinarii, Ordinair- und extra-Posten, nec non cursores equestres, die reitende Post (§. CCLXXXVIII.), ita sunt priuilegiati, ut his omnes uiatores equestres, illis uero omnes currus, uacui sint an onusti, cedere debeant (§. CCXCIX.)m).

§. CCCXIV.

Si uero uia regia tam angusta sit, ut non nisi currus unicus quolibet tempore eam transire queat: uidendum, duo currus, an currus & uiator sibi eant obuiam. *Hoc* casu, si uiatoris uestigia sint qui sequantur, donec ille transierit, currus subsistere debet; *illo* autem, currus, qui posterior uiam ingressus est, retrocedere debet, siue uacuus sit siue oneratus, dummodo aditum suum rite significauerit prioris actor n).

aut retrocedere deceat?

SECT.

m) disp. nr. *de pont. reg. iur.* §. 53. seq.
n) ibid. §. 55.

SECT. V.

DE VIA VICINALI ET PRIVATA.

§. CCCXV.

Via uicinalis

Via uicinalis eſt ſpatium ſoli uniuerſitatis, quo uel in uicum uel ex eo ducimur, uel, ut alii eam deſcribunt, eſt uia quæ in militarem abit, aut ſine ullo exitu intermoritur.

§. CCCXVI.

reficienda eſt.

Quæ uia, ubi impetu aquarum caſuue deuaſtata eſt, ſumtibus uicinorum refici debet. Si quis uero ruinæ & deuaſtationi uiæ cauſam culpa dederit, ſolus ille ſumtus reparationis ſuppeditare tenetur.

§. CCCXVII.

Via priuata.

Viam priuatam illius dominus cuilibet negare, aut aliquibus ſub conditione, qua uelit, concedere poteſt. Nec illa lex reſpuitur, ut uſurus uia priuata, ad hanc ſeruandam aliquid contribuat.

TIT.

TIT. XVI.
DE PONTIBVS,
speciatim REGIIS.

§. CCCXVIII.

Pons est structura, loco inuio superimpendens, ad commodum ultro citroque commeantium facta. **Pontem**

§. CCCXIX.

Pontes continuant uias (§. pr.). Unde constabit, cur pontes (1) a uiis, quas continuant, dicantur, sicque (2) *regius* audiat, qui uias regias utrinque iungit; *uicinalis*, qui uicinalem, & *priuatus*, qui priuatam uiam continuat; (3) cur dentur pontes uicinales & priuati, qui flumini regio; contra pontes regii, qui flumini priuato sunt impositi o); (4) cur pons regius uiæ regiæ iura participet. **regium**

§. CCCXX.

Quæ quum ita sint, pontium regiorum dominum principem uoco, (§. XXXIX.), eumque (1) pontem regium *defendere*, (2) in quem & quo modo uelit **princeps alienare**

o) cit. disp. ur. §. 1. seq.

lit *transferre*, (3) quod ad faciem *mutare*, & (4) illius usum aliis concedere, aliis negare posse, statuo (§. CCLXXIII.) *p*).

§. CCCXXI.

illiusque usum concedere potest.

Sic quoque constare puto, principem posse pro usu pontis aliquid exigere (§ CCLXXIV, 8), sub nomine pontatici, Brücken=Geld *q*). Hoc differt a pensione illa pro securitate in uia regia præstari solita, Geleite, atque a uectigali in specie sic dicto *r*).

§. CCCXXII.

Pontaticum quod

Quia pontaticum pro usu pontis soluitur (§. pr.): sequitur (1) ut illud debeant, quotquot regio ponte sint usuri, secundum illud: vom Brücken=Geld ist niemand frey *s*), neutiquam uero (2) qui ponte regio uti uel nolunt *t*), uel nequeunt; (3) ut, restituto pontis usu reuiuiscat ius pontiuegium exigendi ab omnibus * ponte usuris, sint ciues, clerici, nobi-

p) c. d. §. 9. seq.

q) *Capit. Caroli M.* de An. 803. ap. BALVZ. To. I. f. 402. *Capit.* III, 12. IV, 47.

r) cit. disp. nostra §. 13. seq.

s) *I. P. S.* II, 27. HERT. *epidipn* par. 19. PISTOR cent. 4. par. 77.

t) *Capit.* III, 54. IV, 31. FAVST ab *Aschaffenburg* consf. 63.

nobiles, uectigalibus in genere leuati, an alii *u*).

* Qui a pontatico soluendo uult immunis esse, se ita priuilegiatum, aut testimonio mit einem besondern schriftl. Paß, munitum esse doceat. V. disp. nostra §. 20. seq.

§. CCCXXIII.

Quantitatem pontatici determinat princeps, non tamen quam uelit, sed usui, quem hominibus rebusque transeuntibus pons præbet, & sumtibus ad eum conseruandum necessariis proportionatam, ideoque uariam. Quam proportionem negligens princeps non pontaticum sed uectigal determinat, quod tamen nullus status imperii imponere uel augere potest, nisi consensu imperatoris & Electorum in conuentu declarato *x*). uariat,

§. CCCXXIV.

Pœna, quam uector, pontatici fraudator, soluere debet, *quadrupli* est pecuniæ alias pro transitu solui debitæ *y*). Quorundam locorum praxis pœnam *dupli* surrogauit. Nullo autem tempore locoue statutum est, ut merces, quas quis professus non est, aut pro quarum transitu ni- sub pœna quadrupli soluendum est.

u) c. disp. nr. §. 16. seq.
x) c. disp. §. 27. seq.
y) *I. P. S.* II, 27.

nihil pontatici soluit, quum tamen debuerit, in commissum cadant.

§. CCCXXV.

P. R. alienatio, Alienatio pontis regii in ciuem facta stricte, & ita, ut saluum sit imperium, interpretanda est. Hinc princeps (1) pontes, quos alienauit, curat; (2) eos deteriores reddi prohibet; (3) uetustate aut ui fluminis ruptos reponi, & (4) ligneos sæpe purgari iubet; (5) determinat pontaticum, &, quod minus determinatum augeatur, impedit &c. z).

§. CCCXXVI.

refectio, Ex pontatico, quod in quoque ponte collectum est, pons debet conseruari & reparari. Deficiente pontatico, aut ad sumtus reparationis non sufficiente, sicut olim ex indulgentiis legatisque sumtus ferebantur necessarii, ita hodie, omnes ponti uicinos ad eum reficiendum quid contribuere, uel peregrinos refecto ponte plus pontatici, quam antea, soluere, iubent principes a).

§. CCCXXVII.

dedicatio, Pons regius ubi exstruendus, dominus territorii, uel illius nomine minister quidam,

z) disp. cit. §. 34. seq.
a) disp. cit. §. 41. seq.

dam, aut is, cuius ſumtibus fit exſtructio, lapidem ponit fundamentalem. Simul ac ſtratus eſt plene, dedicatur, & quandoque moneta noua celebratur, necnon ſignis dominum notantibus aliisque ornamentis inſtruitur.

§. CCCXXVIII.

Cæterum pontes regii, non aliter atque uiæ regiæ, ſanctitate gaudent *b*), ſi uel maxime ſignum pacis (§. VI.) non oſtentent. Hinc delictum in iis commiſſum graue dicitur, niſi ceſſet (1) læſi ſecuritas, (2) lædentis dolus, aut (3) pontis ſanctitas. **ſanctitas.**

§. CCCXXIX.

Denique (1) circa *ſigna* iurisdictionis criminalis ad pontem regium communem poſita, & *actus iurisdictionis* ibi exercendos, (2) circa excluſionem ab uſu pontis regii, (3) circa plurium perſonarum rerumque in P. R. occurſum idem iuris eſt, quod de occurſu in uia regia (§. CCCXIII. ſeq.), excluſione ab illius uſu (§. CCLXXIX.), & iuribus in ea exercendis ſupra diximus (§. CCLXXVI.).

§. CCCXXX.

Quæ de uia uicinali & priuata diximus (§. **Pons uicinalis priuatusque.**

b) *I. P. S.* II, 66. *Suen.* c. 195. progr. noſtr. *de regior. pont. ſanctit.*

(§. CCCXV. seq.), ea etiam ad pontem uicinalem priuatumque adplicari possunt.

TIT. XVII.

DE MODIS ADQVIRENDI DOMINIVM NATVRALIBVS.

§. CCCXXXI.

Adquiruntur res

Modi, quibus adquiri potest dominium, uel *naturales* sunt uel *ciuiles*. Ad eos pertinent *accesſio*, *traditio*, *occupatio*; ad hos uero, *præscriptio* & *inuestitura*.

§. CCCXXXII.

1) *accesſione* naturali &

Accesſio plerumque in *naturalem*, *industrialem* & *mixtam* diuiditur. De *ista* ualet axioma: *Accessorium sequitur suum principale* c). Hinc (1) fluminis domino cedunt (*a*) alueus derelictus (§. CLXXIV, 8.) (*b*) insula in eo nata (§. eod. n. 7.), (*c*) bacula; (2) fœtus animalium, & partum ex ancilla natum (lib. I. §. XXIX.*) uentris sibi uindicat dominus.

§. CCCXXXIII.

artificiali.

Quod ad accesſionem industrialem, ger-

c) THOMASII d. *de pretio adfect.* c. 3. §. 38. seq. HEINECCIVS *Elem. I. G.* lib. II. §. 65.

germani has semper usu seruarunt regulas: *I. Res, quæ salua separari potest ab altera separetur, suoque restituatur domino.* Hinc praxis iubet, (*a*) gemmam alieno annulo inclusam, & (*b*) capulum alieno gladio adiunctum eximi, suoque domino sine ullis ambagibus restitui.

§. CCCXXXIV.

Secunda regula hæc est: *Ubi res commode separari nequeunt, ea, quæ minoris pretii est cedat pretiosiori, & fungibilis illi, in quam adfectio cadit;* semper tamen ita, ut dominus rei, cui altera cedit, huius æstimationem præstare debeat. Hinc (*a*) pictura quidem tabulam, & (*b*) scriptura chartam ad se trahit, ita tamen, ut pictor & scriba ad præstandam tabulæ chartæque æstimationem condemnentur.

§. CCCXXXV.

De *adiunctione*, *specificatione*, *ferruminatione*, *adplumbatura* nihil in LL. germanorum me legere memini. *Inædificans* in alieno solo materia sua, hanc tollere potest, nisi dominus soli illius æstimationem ferre mallet *d*). Quid iustum sit circa inædificationem,

§. CCCXXXVI.

Quæ utriusque uoluntate *commiscentur* commixtionem,

 uel

d) *I. P. S.* II, 53.

uel *confunduntur*, fiunt communia; quæ uero unius tantum facto, altero inconsulto, commixta sunt confusaue, relinquuntur commiscenti uel confundenti, alteri ad æstimationem præstandam obligato.

§. CCCXXXVII.

sationem,

Qui agrum alienum b. f. *consevit*, potest sibi uindicare messem, pensione soluta agri domino *e*), nisi hic mauelit æstimationem sementis, & impensas in culturam factas restituere. Si quis uero m. f. sementem fecerit, illam perdit, quin etiam mulctam debet iudici.

§. CCCXXXVIII.

plantas & arbores.

Plantarum arborumque dominium magis ex trunco & ramis, quam ex radicibus æstimant germani *f*). Hinc uicino dant facultatem, ut ramos fundo suo imminentes coerceat *g*), & fructus ex iis prouenientes sibi uel in totum *h*) uel in tantum *i*) uindicet.

§. CCCXXXIX.

Occupatio bellica.

Per bella* occupantur res uel *mobiles* uel

e) *I. P. S.* II, 46.
f) *I. P. S.* II, 52. *Weichb.* art. 126.
g) FACHS *differ. I. Ciu. & Sax.* 14.
h) CARPZOV II, 35, 25. COLER *p.* I. *dec.* 25. SCHROETER d. *de iure uicinitatis* §. 15.
i) *Ref. Nor.* tit. 26. art. 14. Böhm. R. c. 31.

uel *immobiles*. *Harum* occupatio in modis, quibus dominium adquiritur, proprie non eſt. Sæpe enim, quæ flagrante bello capta ſunt, pace ſancita debent reſtitui. Quod ad *mobilia*, ea quæ cultui diuino inſeruiunt *k*), aut ad remp. domi militiæque adminiſtrandam faciunt, principi uel reip., cuius auſpiciis bellum geritur **; reliqua uero ſingulis, qui ceperunt ea, acquiruntur *l*). Sic etiam, quicquid excurſionis tempore captum eſt, capienti cedit *m*).

* Quod olim latrociniis, excurſionibus in uicinas prouincias, & piratica rem facere glorioſum ſibi duxerint germani, teſtantur TACITVS *Annal.* XII, 27. CAESAR *de B. G.* VI, 23.

** Maximiliani II. Articuls-Brief art. 62. Idem in aliis diſpoſitum eſſe ordinationibus bellicis, nos docet WILDVOGEL d. *de præda militari* §. XI.

§. CCCXL.

Qui res *derelictas* capit, ſuas facit; qui uero res ab alio *amiſſas* inuenit, eas non acquirit ſibi, ſed ſub pœna furti domino reſtituere, aut ſi hunc ignoret, ad iudicem deferre tenetur, contentus aliquo Inuentio.

 præ-

k) BEIER *I. milit. prudent.* III, 1, 1. nr. 805. ſeq.

l) Reuter-Beſtall. 1570. §. 93.

m) KVLPIS d. *de priuatis in hoſtem excurſionibus.*

præmio *n*), quod *wegium* uocarunt Burgundi *o*).

* Saxonum mores uolunt, ut, si dominus rem amissam intra 6. septimanas non repetat, pars illius tertia inuentori, reliquum uero fisco cedat. *I. P. S.* II, 37.

§. CCCXLI.

Traditionis symbola

Traditio (§. CCCXXXI.) in *propriam* & *analogicam* solet diuidi. *Hæc* in eo consistit, quod dominus patiatur re sua alium uti; *illa*, ubi res immobiles & pretiosæ extra iudicium *p*)* tradendæ erant, sub uariis fiebat solemnitatibus. Scilicet (1) intererant *testes* tam iustæ ætatis, quam pueri. Illorum aures uellebant, hos pugnis cædebant maiores **, ut rerum gestarum eo magis essent memores *q*); (2) conficiebantur *instrumenta r*); (3) adhibebantur *symbola* *** & ritus in sensus incurrentes; (4) subsequebatur *symposium* ****.

* In iudicio ubi olim facienda erat traditio, tunginus in consilium adhibebat tres homines.

** De quo ritu, cuius mentionem faciunt *L. Alamann.* tit. 94. *L. Baiuuar.* XV, 2. XVI, 2, 1. & 3, 5. erudite disserit, & phrasin germanicam :

n) *L. Baiuuar.* II, 13, 2. *Longob.* I, 25, 1.
o) *L Burgund.* addit. I, 8.
p) *L. Salica* tit. 49.
q) *L. Ripuar.* LX. 1.
r) *L. Burgund.* IX, 1. seq. *Wisigoth.* V, 2, 6.

cam: einem einen Denck-Zettul geben, explicat ECCARD *ad L. Sal* pag. 224.

*** Quæ innumera fuisse existimamus. Tradebant enim res suas per *annulum*, *baculum*, *cespitem*, *chirothecam*, *cultellum*, *festucam* uel *laisovverpum*, *glebam*, *herbam*, *ramum* immo quasuis res alias, quæ negotio conuenire uidebantur. Du FRESNE *glossar.* To II. p. 105. seq.

**** Unde traditionem PER CORNV iure, si quid uideo, deriuant OTTO *Iurispr. symbol.* exerc. 1. c. 11. p. 78. HEINECCIVS c. l. §. 78.

§. CCCXLII.

Ne uero traditio solemnis ex memoria deponeretur, solebant quidam germanorum populi, *symbola* in templis, archiuis, aliisque publicis locis adseruare, immo chartis quandoque adsuere; Angli contra Francique corrumpebant, frangebant, & inutilia reddebant ea, ne in aliorum inciderent manus, aut calumniæ forensi darent occasionem *s*). olim adseruabantur.

§. CCCXLIII.

Quæ (§. CCCXXXIII. - CCCXXXIX.) diximus, adhuc hodie ualent. Sic quoque dum traduntur res immobiles (*a*) *testes* adhibentur, (*b*) *instrumenta* conficiuntur. Quid quod (*c*) in prouinciis, ubi Ius Saxonicum *t*), aut Lubecense *u*) ui- Usus hodiernus.

s) HEINECCIVS c. l. §. 79.
t) I. *P. S.* I, 34. 52. II, 30. *Weichb.* art. 20.
u) MEVIVS ad *I. Lub.* III, 6, 1. nr. 3. seq.

uiget, extraiudicialem traditionem sequi debet *solemnis resignatio* & inuestitura, de qua mox (§. CCCLI.) dicendum erit. *Symbola* non omnino cessare, nos docet rerum immobilium possessionis adprehensio, aut in eam immissio *x*).

TIT. XVIII.

DE
MODIS ADQVIRENDI IVRIS CIVILIS
SPECIATIM
DE PRAESCRIPTIONE ET INVESTITVRA.

§. CCCXLIV.

Præscriptio, quæ

P*ræscriptio* est rei uel iuris ad tertium spectantis acquisitio, facta mediante possessione, per tempus moribus definitum * continuata.

* Hoc olim in rebus immobilibus consistebat 30. a., quibus seculum confici credebant maiores nostri. RICCIVS *de præscriptione Germ.* c. 1. §. 5. & c. 2. Postea uero huic tricennariæ annum & diem addiderunt, atque annalem præscriptionem in rebus mobilibus probarunt Saxones. Deni-

x) KAYSER Anweisung zum Hülfs=*Proc.* c. 3. §. 8.

nique ciuitates, quibus commercia curæ fuerunt cordique, tempus præſcriptionis reddiderunt breuius.

§. CCCXLV.

Unde hæc deduco axiomata:

I. Præſcriptio derelictione præſumta nititur.

II. Tempus præſcriptionis uariat.

III. Præſcriptio alterius actiones excludit, tribuitque dominium.

§. CCCXLVI.

Ex primo (§. pr. 1.) conſtat, (1) cur præſcriptione acquiri nequeant (*a*) res illius, qui non poteſt, ſi uel maxime uelit, alienare & derelinquere, (*b*) res commercio exemtæ, (*c*) res leuandæ nauis gratia eiectæ; (2) cur in præſcriptione diiudicanda ſolius *temporis* habeatur ratio, nec (3) *bona fides y*), multo minus ut ea perpetua ſit, requiratur; (4) cur, *titulus* an adſit iuſtus? quæratur minime; (5) cur re ſua uti, aut in iudicio agere non ualenti, itidem ei, cui datur in integrum reſtitutio, non currat præſcriptio. **nititur derelictione præſumta,**

§. CCCXLVII.

y) THOMAS. ad *Inſtit.* II, 6. p. 160. HEINECCIUS *Elem. I. Germ.* lib. II. §. 106.

§. CCCXLVII.

ex 30/a lapſu

Ad ſecundum (§. CCCXLV, 2.) notes diſtinctionem præſcriptionis in *temporalem & perpetuam*, ſicut olim Francorum, ita hodie omnium germanorum fundatam eſſe moribus.

§. CCCXLVIII.

dominium tribuit.

Ex tertio (§. CCCXLV, 3.) colligo, (1) germanorum moribus non congruere diſtinctionem illam Romanam in uſucapionem & præſcriptionem; (2) non niſi eos, quibus dominium acquirere licet, præſcribere poſſe.

§. CCCXLIX.

Uſus hodiernus doctrinæ de b. f. &

Recepto I. Romano, & Pontificio ſolus temporis lapſus non ſufficiebat, ſed b. f. iuſtusque titulus in *plerisque* requirebatur prouinciis. Interim tamen adhuc *quædam* ſunt prouinciæ, ubi in præſcriptione tricennaria & ſeruitutis perſonarum, quam dicunt liberatiuam, uel tituli uel bonæ fidei non habetur ratio, aut ſaltem adeſſe præſumitur z). Sic quoque alicubi res furtiuæ a tertio breui ſatis tempore poſſunt uſucapi (§. CXCVI, 5.) *a*).

§. CCCL.

z) CARPZOV II, 3, 6. 7. STRYK *V. m. ff.* XLI, 3, 2. RICCIUS c. l. c. 18.

a) *I. Hamb.* II, 19, 3. *Lubec.* I, 8, 1.

§. CCCL.

Tempus præscriptionis hodie nimis uariat. Sic (*a*) quibusdam in locis eadem est mobilium & immobilium præscriptio *b*); (*b*) alicubi præscriptio hereditatis herede destitutæ annalis est *c*); (*c*) dantur præscriptiones 1. 3. 8. 14. 30. dierum, 6. hebdomadum, 1. 2. 3. mensium *d*) 1. 2. 3. 5. 10. 15. 20. 30. *e*) 32. annorum; (*d*) in terris iuris *Culmensis Saxonicique* immobilium præscriptio 30. a., mobilium uero, anni & diei spatio finitur *f*); (*e*) *I. Bauarico* res immobiles emtionis titulo quæsitæ 5. a. inter præsentes, & 10. inter absentes præscribuntur *g*); (*f*) *I. Hamburg.* res immobilis quæ uenit, & coram iudice resignata est *h*), *Lubec. i*) uero actiones, itidem res mobiles & immobiles, anno & die præscribuntur. Si uero rerum dominus extra territorium abfuerit, ei adhuc conceditur annus uti-

tempore præscriptionis.

b) HEINECCIVS c. l. §. 121. RICCIVS c. l. c. V. §. 8.

c) RICCIVS c. l. c. 10.

d) ID. c. l. c. 14.

e) ID. c. l. c. 13.

f) CARPZOV. II, 3, 6.

g) BALTHASAR *tit. IX. resol.* 1.

h) II, 8, 7.

i) I, 8, 1. III, 6, 3. HEINECCII d. *de præscript. annali I. Lub. a iure communi diuersa.*

utilis ad res ſuas uindicandas; (*g*) *I. Norimb. k*) in præſcribendis mobilibus inter abſentes & præſentes diſtinguitur.

§. CCCLI.

Inueſtitura Quia olim nulla fere fiebat traditio, cui non accederet inueſtitura uel alia ſolemnitas (§. CCCXLI.), uſum inueſtituræ hodiernum in rebus immobilibus alienandis mirari deſine. Omnem uero *inueſtituram* modum acquirendi eſſe nego, inter *propriam & impropriam* cum aliis diſtinguens.

§. CCCLII.

propria Eſt autem *propria*, actus ſolemnis, quo quis utile rei ſuæ dominium in alium transfert *.

* Olim in redhoſtimentum factæ inueſtituræ, inueſtitus domino conuiuium lautum exhibere, aliaque præſtare debebat. Quæ, poſtquam, certa pecunia ſunt æſtimata, originem dederunt *laudemiis* & denominationi: Wein-Kauf.

§. CCCLIII.

ſuo modo petita, & Quam inueſtituram (1) intra *tempus* lege determinatum, atque a mutato uel ſuperiore uel inferiore domino computandum, (2) *decenter*, & (3) in *curia* domini

k) II, 16, 9.

mini petere debet is, cui ius ad dominium rei cuiusdam utile competit.

§. CCCLIV.

Soluto *laudemio*, cuius quantitas pro uarietate conuentionum, regionum, qualitatis prædiorum, quorum dominium inter duos inæqualiter diuiſum eſt &c. admodum uariat: inueſtituræ, prout decet (§. pr.) petitæ, actus celebratur ſolemniter & adhibito plerumque ſymbolo, qualitatem rei, cuius dominium utile inueſtitura transfertur, denotante. **ſoluto laudemio impetrata.**

§. CCCLV.

Quia inueſtitura propria dominium transfert utile (§. CCCLII.) potes (1) rem, qua inueſtitus es, uindicare & (2) fructus omnes ex ea percipere (§. LXXIX, 1.), nec non (3) te tueri aduerſus dominum ſuperiorem, ſi hic expulſionem aut priuationem, quam meditatur, executioni dare uelit. **dominium transfert utile.**

§. CCCLVI.

Inueſtiti heredes, ad quos prædium tranſit, renouationem petere, eoque nomine laudemium minus præſtare debent (§. LXXXI.), licet cauſa, cur renouatio olim introducta uideatur, ceſſet hodie: **Inueſtituræ renouationis**

§. CCCLVII.

§. CCCLVII.

fata.

Dd. prædia germanica ad decempedam I. Ro. æstimantes fecerunt, ut & prædiorum censu oneratorum possessores inuestituram uel illius renouationem petere teneantur hodie.

§. CCCLVIII.

Inuestitura feudalis quomodo petita

Vasallus (1) intra *annum**, & quidem (2) in *curia* domini, (3) ea qua par est *deuotione* (§. CCCLIII.), (4) literis Ansinnungs-Zettul, Lehns-Sinnung, uel ipse uel per procuratorem speciali mandato instructum *l*) *inuestituram*, illiusue renouationem petere; &, si, quo minus ad inuestituram suo tempore se sistere possit, impediatur, a domino *contendere* debet, uelit differre terminum, einen Lehns-Indult geben *m*). Quibus precibus facile indulgere dominos, certum est.

* Cui ius *Longob.* 2. F. 24. pr. 1. F. 22. mensem, ius uero *Alemannicum* c. 43. 50. diem addidit.

§. CCCLIX.

impetretur?

Ubi uasallus inuestituram uel illius renouationem decenter petiit (§. pr.) dominus (1) dat ei den Muth-Zettul, (2) figit ter-

l) STRVV. *Iurispr. feud.* c. XI. §. 9.

m) de LVDWIG d. *de prorog. inuest.*

terminum, quo inueſtitura uel illius renouatio ſuſcipienda; (3) *laudemium* atque *iusiurandum* exigit uaſallum rite inueſtiturus, & (4) ubi peregit inueſtituram, uaſallo dat inſtrumentum inueſtituræ ſollemniter renouatum, Lehn-Brief *n*); ſin tantum renouauit inueſtituram, *breue teſtatum*, Lehn-Schein, exhibet.

* Huius ſolemnitates uariant. LVNIG *Corp. iur. feud.* p. III. c. 56. p. 721. ſeq. Singularis illa eſt, quam ex PFEFFINGERI & MVLLERI ſcriptis refert Ill. ESTOR Klein. Schriften p. IV. nr. 12.

§. CCCLX.

Simultanea inueſtitura * (1) tribuit ius in re, (2) ab arbitrio uaſalli feudum poſſidentis dependens minime; (3) ſub pœna priuandi iuris inde quæſiti ſuo tempore renouanda eſt; (4) alicubi ſola ius in feudum ſuccedendi tribuit; (5) amittitur (*a*) renuntiatione *o*), & (*b*) in Saxonia *p*) diuiſione feudi. **De ſimultanea inueſtitura**

* Hæc, cui originem dedit reſtricta agnatorum ſucceſſio, frequentatur in Saxonia, Haſſia, Ill. ESTOR Kleine

n) SIGELII tr. *de literis inueſtitur.*
o) KRAVSII d. *de renuntiatione iuris ex ſimultanea inueſtitura quæſiti.*
p) *I. F. S.* art 32. *Conſt. El. Sax.* 45. p. II.

Klein. Schriften p. II. nr 2. & alibi, SCHILTER *de ſimult. inueſt.* c. 2.

§. CCCLXI.

quæ notanda?

Porro notes uelim, quod (6) alibi ſimul inueſtiti, ſint cuius uelint gradus, ad unum omnes, alibi proximiores tantum ſuccedant; (7) quod in Sax. El. is, qui feudum nouum acquiſiuit, ſimul inueſtiendos præſentare poſſit *q*), (8) præſentati uero præſentanti literas reuerſales* exhibere ſoleant, & (9) ſimultaneam inueſtituram intra annum impetrare debeant *r*).

* Curet uaſallus, ut his literis promittant ſimul inueſtiti, ſe rata habituros eſſe quæuis in eorum præiudicium gerenda. SIEGEL d. *de literis feudi reuerſalibus.*

§. CCCLXII.

Inueſtitura meierica.

Inueſtitura meierica (1) petitur *alibi* præterlapſis annis certi cuiusdam numeri, *alibi* colono, *alibi* uel colono uel domino mortuo *s*), atque ob hanc aliasque cauſas (§. CCCLIV.) (2) non eiusdem ſemper quantitatis laudemio compenſatur (§. CXXXIII.) *t*).

TIT.

q) Lehn=*mandat* de A. 1691.

r) ALEMANNVS *de iure ſimultaneæ inueſtituræ ſ. coniunctæ manus Saxonicæ*

s) STRVBEN *de iure uillicor.* c. VIII. §. 16. ſeq.

t) IDEM *acceſſ.* p. I. p. 54. ſeq.

TIT. XIX.

DE MODIS AMITTENDI DOMINIVM.

§. CCCLXIII.

Dominus esse desinis illius rei, (1) quam *in alios transtulisti*, ita, ut neque legi neque conuentioni contrarieris; (2) quam *dereliquisti* uel expresse, uel tacite. Tacita enim derelictio praescriptioni causam praebet (§ CCCXLVI.). Hinc amissio dominii facto quodam nititur, propterea que non est praesumenda. Quibus modis amittatur dominium

§. CCCLXIV.

Dominium utile speciatim extinguitur (1) *consolidatione*, uel ob refutationem uel ob lapsum temporis, ad quod diuisum erat dominium, facta; (2) resoluto iure constituentis; (3) uiolatis LL. sub quibus dominii diuisio facta est. Id quod uidimus in feudis (§. XCVIII.) bonis meiericis (§. CXI.) &c. utile?

§. CCCLXV.

Rem immobilem, cuius plenus dominus es, alienature, non solum legem & conuentionem attendere (§.CCCLXIII.), sed & alicubi iudicialiter (1) ius tuum re- De inuestitura impropria

signare *u*), & (2) illud petere debes, ut resignatum detur, aut inuestitura iudicialis concedatur ei, in quem, rem tuam extra iudicium alienasti *x*). Hac itaque inuestitura, quam *impropriam* dicunt (§. CCCLI.), dominium non transfertur, sed translatum confirmatur.

§. CCCLXVI.

quæ sint notanda?

Unde notandum (1) resignationem & inuestituram fieri debere præuia alienatione, ac (2) in foro, quo res illa sita est, cuius dominium translatum iam confirmandum petitur; (3) resignationem & reseruationem dominii sibi contrariari; (4) re duobus uendita, ex emtoribus præferri inuestitum *y*); (5) nihil impedire, quo minus uenditor rem, quam pretio accepto priuatim tradidit, nondum facta resignatione, ualide pignori dare possit *z*).

§. CCCLXVII.

Denique notandum duco, (6) quod iudiciali resignatione & inuestitura uix opus

u) *I. P. S.* II, 30. *Sueu.* c 308. 311. VERPOORTEN *de inuestit. allod.* §. 27. seq.

x) *Weichb.* art 20 60.

y) Diss. BASTINELLER d. *de inuestitura bonor. allod. immob.* c. 5 § 3.

z) BERGER *resol Lauterb.* tit. *de act. emt.* q. 4. LEYSER spec. CCCCXLVI. m. 4.

opus ſit, ubi prædia (*a*) præſcriptione quæſita, (*b*) ſub haſta emta, uel (*c*) in deſcendentes translata ſunt; (7) quod hæc inueſtitura alicubi intra annum peti debeat *a*).

TIT. XX.
DE
SVCCESSIONE IN GENERE
ſpeciatim
DE LEGITIMA.

§. CCCLXVIII.

Succedimus uel in *hereditatem* uel *in feudum* aliaue bona ab hereditate ſeparanda. Utraque ſucceſſio eſt uel *legitima* uel *pactitia b*), niſi quod in hereditate etiam obtineat *teſtamentaria* *. Nobis h. t. de *legitima* ſermo ſit, de *pactitia* uero & *teſtamentaria* in ſequentibus. Succesſio

* Hanc olim ignoraſſe germanos, ex TACITO conſtat, & ex antiquiſſimis LL KERSTAN d. *de fideic perp. famil.* §. 6. Diſſentit STRYK *de S. A. I. diſſ.* VIII. c. 1. §. 3. Illud certum eſt, quod teſtamenta, quæ probant *L. Baiuuar.* IX, 3. *Burgund.* XLIII, 1. LX, 1. defenderit ſpeculator Sueuus art. 286.

Ee 3 §.CCCLXIX.

a) *Stat. Dresdenſ.* c. 12. §. 2.

b) TACITVS *de M. G.* c. 20.

§. CCCLXIX.

legitima Lex hereditatem * defert ei, quem defunctus maiori adfectione proſecutus eſt, propereaque (1) deſcendentibus, (2) aſcendentibus, (3) collateralibus, (4) coniugi. Quodſi uero horum nullus ſupereſſet, iubet hereditatem (5) fiſco cedere.

* Itaque hoc titulo nobis ſermo non eſt de ſucceſſione in feuda, aliasue res ab hereditate ſeparandas.

§. CCCLXX.

uariat. Quia iura prouincialia & ſtatutaria ſæpe differunt, notes uelim (1) in *immobilia* ſucceſſionem fieri ſecundum iura loci, quo ea ſita ſunt, in *mobilia* uero ſecundum iura iſtius loci, quo domicilium fixerat, uel, hoc deficiente, natus erat defunctus; (2) haud raro locum dari *iuri retorſionis;* (3) in bona miniſtrorum principis, doctorum aliorumque a poteſtate ciuitatis, ſtatutorum auctricis immunium, ſecundum iura prouincialia non ſtatutaria ſuccedi.

SECT.

SECT. I.
DE
SVCCESSIONE DESCENDENTIVM.

§. CCCLXXI.

Olim omnem, paternam maternamque, hereditatem *c*), præſertim auiaticam *d*), & in immobilibus *e*) bonis ** conſiſtentem capiebant *filii*; his uero deficientibus *filiæ*, quæ, quod quidam requirebant populi *f*), uiris eiusdem conditionis nupſerant. Succedunt 1) filii

* *Nanos*, *monſtroſos* & *lepra laborantes* excluſos eſſe, me usquam legere non memini, illud tantum in Repkouii libro deprehendens, proximum agnatum eorum tutorem fuiſſe fructuarium *I P. S.* I, 4.

** *L. Wiſigoth.* IV, 2, 1. 9. non curo; tota enim quanta ex Romanorum LL. petita eſt.

§. CCCLXXII.

Intelligo autem ex legitimo, uel uero uel putatiuo, matrimonio procreatos, aut per illud ſubſequens legitimatos li- legitimi.

Ee 4 be-

c) *L. Alamann.* tit. LXXXVIII. *Anglion.* & *Werin.* VI, 1. *Baiuuar.* XIV, 4. *Burgund.* XIV, 1. *Longob.* II, 14, 19. *Sax.* VII, 1.

d) *L. Ripuar.* LVI, 3.

e) *L. Sal.* LXII, 14.

f) *L. Alamann.* tit. LVII.

beros. Nati contra ex concubinis uel nullam *g*), uel minimam tantum *h*) hereditatis paternæ partem sibi acquirebant.

§. CCCLXXIII.

Notes porro (1) quod nihil intersit, num adhuc in potestate constituti sint, an separati; (2) quod ex diuersis matrimoniis natorum quisque in sui, omnes autem in communis parentis bona succedant; (3) quod in utero adhuc existens habeatur heres, si suo tempore nascatur uiuus.

§. CCCLXXIV.

Ius repræsentationis. *Ius repræsentationis* olim defendebant Longobardi *i*), & Wisigothi *k*), ignorabant contra reliquæ gentes.

§. CCCLXXV.

Usus hodiernus. Hodie (1) *filii filiæque* ex æquali parte admittuntur ad parentum hereditatem; (2) *nepotes* cum filiis concurrentes ubique, si *Rigam* excipis *l*), succedunt iure repræsentationis, sin (3) soli concurrant, *alibi* in stirpes succedunt *m*), alibi ua-

g) *L. Baiuuar.* XIV, 8, 2.

h) *L. Longob.* II, 8, 6.

i) II, 14, 18.

k) IV, 5, 4.

l) *Stat. Rigens.* IV, 2, 3. STRYK d. *de collat. iur. Rigens. stat. cum iure comm.* c. 6. n. 52.

m) Bayer. L. R. des F. Ober-Pfalz p. III. tit. 13.

ualet regula: manig Mund, manig Pfund *n*); (4) liberi *ſeparati* parentum hereditatis ſunt exſortes, ubi (*a*) ei renuntiauerunt *o*), aut (*b*) in terris I. Lub. degunt (lib. I. §. CCCXVI.) *p*), atque ſuperſunt fratres nondum ſeparati; (5) *illegitimorum* ſuccesſio non ubique eadem; *alibi* enim patri plane non *q*), *alibi* tunc demum ſuccedunt, ſi hic legitimam coniugem aut legitimos liberos non reliquerit; *alibi* ne quidem in matris, legitimam prolem relinquentis *r*) bona ſuccedere poſſunt.

SECT. II.

DE SVCCESSIONE ADSCENDENTIVM.

§. CCCLXXVI.

Liberis deficientibus, antiquitus ſucceſſerunt *parentes* *, ita quidem, ut pater prælatus fuerit matri **. Illud idem media ætate iuris fuiſſe, nec unquam fratres defuncti cum parentibus admiſſos eſſe, utrumque docet Speculum *s*).

2) adſcendentes, quorum ſuccesſio antiqua &

Ee 5 *Hæc

n) *Reform. Nor.* III, 34, 4. §. Wann aber ꝛc.
o) §. Oelßniſche L. O. p. III. art. 4.
p) TADDEL *de abdicatione liberorum.*
q) *I. Lub.* lib. II. tit. 2. art. 9.
r) Fränck. L. Ger. Ordn. tit. 82.
s) *Saxon.* I, 17. ZOBEL. p. III. diff. 6. ibique FACHS & REINHARD. *Sueu.* c. 260. 282.

* Hæc successio est *reciproca*, adeo ut, qui non succedit ascendenti, nec hunc heredem relinquat legitimum.

** Licet *L. Sax.* de hac successione sileat, & *L. Burg.* XIV, 2. fratres sororesque præferat parentibus; tamen *L. Alamann.* XLII, 1. *L. Ripuar.* LVI, 1. *Sal.* LXII, 1. *Wisigoth.* IV, 2, 2. thesin nostram satis confirmant.

§. CCCLXXVII.

hodierna demonstratur.

Hodie adscendentium successio non ubique eadem; etenim (*a*) in *Austria* parentes excluduntur a luctuosa liberorum hereditate *t*); (*b*) *I. Sax.* uterque parens* ex æquis partibus admittitur, & omnes adscendentes fratribus sororibusque germanis præferuntur *u*). Idem *I. Bremensi* dispositum est *x*); (*c*) *I. Lubec.* hereditatem omnem præ auo auiaque, & separati fratris sororisue hereditatem præ patre matreque, capiunt fratres sororesque *y*); (*d*) *I. Mindensi* patrem matremque defuncti excludit (1) superstes coniux *z*); (2) separatus frater sororue in bonis defuncti fratris æque separati *a*). Sin concurrant auus auiaue & fra-

t) FINSTERWALDER lib. II. obseru. 119. p. 609.
u) *p.* III. *const. el.* 17.
x) RHEDEN *de success. coniug. Bremens.* §. 43.
y) *I. Lubec.* II, 2, 1. 7. ibique MEVIVS. STRYK ad *Ius Lubec.* c. IX. n. 29. seq.
z) lib. II. tit 2. art. 4. 6.
a) eod. tit. art. 8.

frater sororue, omnes ſuccedunt in ſtirpes *b*); (*e*) *I. Bauarico c*), *Marchico d*) &c. fratres & ſorores bilaterales una cum parentibus ſuccedunt in capita; (*f*) ex ſtatuto *Budisſinenſi e*) mater, non heres, ſed uſufructuaria tantum, fit bonorum filii filiæue, cui fratres ſunt ſororesue adhuc uiui.

* De formulis: das Erbe geht nicht aus dem Busen; fält der Mutter in den Schoos. Vid. RIVINI d. *de ſucceſſione matris ex ſtatuto Budisſinenſi*, uulgo vom Schooßfall §. 26. seq. PISTOR *cent. 1. parœm.* 80.

SECT. III.
DE
SVCCESSIONE COLLATERALIVM.

§. CCCLXXVIII.

Quid quæque gens circa collateralium ſucceſſionem ſtatuerit, me ſigillatim adducere, fruſtraneum eſſe duco. Res fere omnis eo redit: Deficientibus deſcendentibus & aſcendentibus hereditas cedebat (1) defuncti *fratribus & ſororibus*, eorumque 3) collaterales.

b) eod. tit. art. 7.
c) Churb. L. O. p. III. tit. 7.
d) *Conſt. Ioachimi* I. tit. 6. sect. 2.
e) p. II. tit. 1. art. 4. RIVINVS c. d.

que liberis; post (2) cuique gradu *proximo f*), nulla agnationis aut cognationis ratione habita, nisi in hereditate auiatica, quippe in quam nulla femina succedere poterat, dum uirilis sexus heres supererat *g*).

§. CCCLXXIX.

Medio æuo, inter collaterales primi uocabantur (1) defuncti fratres sororesque bilaterales *h*); dein (2) germanorum fratrum sororumque liberi *i*), & fratres sororesque unilaterales *k*), (3) auunculi, (4) reliqui adgnati cognatique usque ad gradum septimum *l*).

§. CCCLXXX.

Usus hodiernus. Hodie (1) *frater* fratris liberos excludit in ciuitate *Mindensi m*), & omnibus fere terris *iuris Saxonici*; atque (2) *frater separatus* a separati hereditate *I. Lubecensi* excludit non separatum *n*); (3) *fratrum germanorum liberi* in *Marchia* præferun-

f) *L. Burgund.* XIV, 2. *Wisigoth.* IV, 2, 5. 8.

g) *L. Ripuar.* LVI, 2. *Sal.* LXII, 2. seq.

h) *I. P. S.* I, 3. II, 20. ZOBEL *p.* III. *diff.* 17.

i) Ib. I, 17.

k) Ibid. I, 3. II, 30.

l) *I. P. S.* c. l.

m) *I. Mindens.* II, 2, 10 p m. 231.

n) II, 2, 1. ibique MEVIVS *nr.* 65.

feruntur, in Saxonia uero æquiparantur* unilateralibus fratribus *o*), & (4) ubi foli funt, ubique fere fuccedunt in capita *p*).

* Fratres unilaterales germanis gradu remotiores effe uidentur. Hinc rerum forenfium peritis germani pronepos cum uterini nepote in eodem gradu effe dicitur, REINHARD p. I. *diff.* 33. Quia uero parœmia: Die halbe Geburt trit um einen Grad zurück, inter fratres tantum horumque liberos attenditur, nullus dubito, quin frater unilateralis excludat materteram. KRAVSII d. *de fratre unilaterali defuncti materteram in terris I. Sax. communis a fucceffione excludente.*

SECT. IV.

DE SVCCESSIONE CONIVGVM ET FISCI.

§. CCCLXXXI.

Vbi deficiunt defcendentes, adfcendentes & collaterales, ad hereditatem uocatur *coniux fuperftes q*), qui neque delicto neque fententia iudicis talis effe defiit. 4) coniuges

§. CCCLXXXII.

Vacantem hereditatem fifco uindicarunt 5) fifcus.
Baiu-

o) *Conft. Ioachimi* I tit. 6. fect. 3. §. 3.
p) Churf. Bayr. L. R. des H. Ober = Pfalz p. III. tit. 9.
q) *L. Wifig.* IV, 2, 11.

uarii *r*), Franci *s*), Longobardi *t*), Oſtrogothi *u*), quin & medio æuo Saxones, qui ſimul ſtatuerunt, eam præſcribi * poſſe unius anni ſpatio *x*).

* Quæ tamen præſcriptio non erat nocumento heredibus captiuis, aut reip. uel cultus diuini gratia abſentibus.

§. CCCLXXXIII.

Quod ius fiſci germani omnibus fere iudiciis attribuerunt *y*). Hodie uero quædam tantum ciuitates ius illud exercent; in *Saxonia* ſcilicet, quibus eſt alta iurisdictio *z*); alibi, quibus illud uel priuilegio uel conſuetudine & diuturno uſu quæſitum eſt *a*). In *Marchia* fiſcum ſtatim cum coniuge ſuperſtite ſuccedere, inter omnes conſtat *b*).

TIT.

r) *L. Baiuuar.* XIV, 9, 4.

s) *L. Sal.* LXIII, 3.

t) II, 14, 16.

u) *Edict. Theodorici* c. 24.

x) *I. P. S.* I, 28.

y) *Sueu.* c. 268. FACHS *diſſ. iur. ciu. & Saxon.* 35.

z) *Conſt. El.* 38. p. III. STRYK *de S. A. I.* diſſ. 5. c. 3. §. 1.

a) STRYK c. l. §. 9.

b) ID. c. l. §. 10.

TIT. XXI.

DE ORDINE SVCCESSIONIS IN BONA, QVORVM DOMINIVM INTER DVOS INAEQVALITER DIVISVM EST.

§. CCCLXXXIV.

Bona, quorum dominium inter duos inæqualiter diuiſum eſt in perpetuum, transmittuntur (1) in illos domini inferioris *heredes*, qui diuiſi dominii tempore nominati ſunt, &, (2) ſi hi deficiant, in *ſuperiorem dominum*, nunquam (3) in *fiſcum*, ſi uel maxime dominus inferior deliquerit, aut prædium qua mere hereditarium poſſederit. Circa *meliorationes* uero idem iuris eſt, quod circa allodia.

§. CCCLXXXV.

In feuda ſuccedunt ſucceduunt (1) ultimi uaſalli *filii*, & ab his deſcendentes maſculi, ſi ſint ex legitimo thoro procreati * *c*), & ad ſeruitia præſtanda habiles. Hinc excluduntur (*a*) *filiæ* ** *d*), & ex his pro-

In feuda ſuccedunt deſcendentes,

c) 2. F. 26. *A. B.* c. 7. §. 2.

d) GOEBEL d. *de S. A. I.* §. 72. STRYK *de S. A. I.* diſſ. 1. c. 3. §. 3. ſeq.

procreati masculi *e*), (*b*) *clerici f*), (*c*) *uitio animi uel corporis laborantes*, quos dominus directus in praeiudicium agnatorum admittere nequit *g*).

* Ubi plures concurrunt eiusdem gradus, in capita, sin diuersi, in stirpes succedunt

** Quae tamen, si deficiant hereditaria bona, educationem, alimenta, congruamque dotem ex feudo petere possunt.

§. CCCLXXXVI.

an adscendentes?

(2) *Adscendentibus* nullum ius in feuda succedendi competit, nisi mere hereditaria intelligere, aut, quod in paucis casibus *h*) seruatur usu, regulariter fieri, statuere uelis.

§. CCCLXXXVII.

Quaenam successio collateralium,

Quoties deficiunt descendentes, & succedere nequeunt adscendentes, toties uocantur (3) *collaterales*, & quidem ii, qui a primo acquirente descendunt, atque uasallo defuncto sunt agnatione proximi *i*) Proximitatem uero diiudicaturus, debet (*a*) attendere lineam, in eaque gradum, (*b*) notare, eos,

e) 2. F. 11. 1. F. 1. §. 3.

f) 2. F. 21. 26. 30.

g) BERGER *de mutorum surdorumque circa feuda iure*.

h) STRVV *Iurispr. feud.* c. XII. §. 5, GOEBEL c. l. § 74.

i) RITTERSHVS. *partit. feud.* lib. I. c. 61. q. I.

eos, qui a defuncti patre, auo, proauo &c. descendunt, in prima, secunda, tertia &c. linea constitutos dici.

§. CCCLXXXVIII.

Unde sequitur (α) ut frater consanguineus cum germano admittendus sit, (β) uterinus uero nihil iuris in feudum habeat, nisi hoc sit mere hereditarium; (γ) ut ex defuncti uasalli fratre nepotes, pronepotes &c. præferri debeant patruo, sicque multo magis patruo magno k) &c.; (δ) ut primi acquirentis fratres semper excludantur, nisi simultanea inuestitura illis obtigerit l), aut feudum sub lege antiqui concessum fuerit.

§. CCCLXXXIX.

Post collaterales sequuntur (4) cum ultimo uasallo *simul inuestiti*. Succedunt hi modo in tantum, in ein gewisses Lehns-quantum, modo in totum m). Quo posteriore casu feudum mox omnes simul, mox nach rechter Sippzahl, occupant. **simul inuestitorum,**

§.CCCXC.

k) HORN *iurispr. feud.* c. XVI. §. 9. ITTER *de feudis imperii* c. XV. §. 12.

l) 1. F. 1. §. 2. 2. F. 12.

m) CARPZOV. p. III. *const.* 29. *def.* 8.

§. CCCXC.

coniugum, *Coniuges* in feudum succedere nequeunt, nisi hoc illis inuestitura, consuetudo uel statutum dederit.

§. CCCXCI.

domini directi? Si nullus superesset, qui in feudum succedere posit, hoc ad dominum directum reuertitur, nec cedit *fisco* (§. CCCLXXXIV.) *n*).

§. CCCXCII.

Iura prouincialia de successione feudali disponentia. De successione feudali hæc etiam notanda erunt: (1) quod in *Marchia & Pomerania o*), itidem in terris *Brunsuicensibus & Luneburgensibus p*) succedere nequeant per subsequens matrimonium legitimati; (2) quod in *Saxonia* fratres fratrum prædefunctorum filios excludant minime, & (3) nullus collateralium succedat, nisi cum uasallo defuncto simul inuestitus fuerit *q*); (4) quod in ducatu *Megapolitano* uirgines nobiles, masculis non extantibus, ad dies uitæ utantur fruantur feudo. Id quod dicitur das Erb-Jungfer-Recht *r*).

§. CCCXCIII.

n) STRYK c. l. diff. V. c. 2.

o) HOFFMANN in constit. Ioachimi I. p. 82. seq. GOEBEL c. l. §. 72. d.

p) *Constitutio* Henrici Iulii de A. 1593.

q) SCHILTER *de simultanea inuestitura*. HORN c. l. c. XVI. §. 12.

r) TORNOV *de feudis Mecklenburg*. p. 211.

§. CCCXCIII.

Ordo ſucceſſionis in bona *meierica* (§. CVI.) non ubique idem eſt. *Alibi* enim ſuccedit filius natu maior, *alibi* natu minor, *alibi*, ſi patre mortuo liberi ob teneram ætatem uillam curare nondum ſciant, coniux ſuperſtes, qui ad ſecunda uota prouolans illud nouo coniugi præteritis liberis conferre poteſt *s*). **Ordo ſucceſſionis in bona meierica &**

§. CCCXCIV.

In bona zu Walt-Recht data (§. CXVIII.) ſuccedere nequeunt collaterales *t*). **bona zu Walt-Recht data.**

TIT. XXII.
DE
IVRE DEVOLVTIONIS ET RECADENTIAE.

§. CCCXCV.

Ex matrimonio, quod morte iam diſſolutum eſt, procreati liberi alicubi non ſolum defuncti hereditatem, ſed & *bonorum*, ad ſuperſtitem parentem pertinentium, proprietatem conſequuntur. Id quod *ius deuolutionis* * nominant *u*). **Ius deuolutionis**

Ff 2 * Hu-

s) STRVBEN *de iure uillicor.* c. VIII. §. 6.

t) Homb. Stadtbuch ap WALDSCHMID d. *de bonis* zu Wald-Recht p. 8.

u) Ill. ESTOR *de iure deuolutionis* c. I. §. 4. STOCKMANS *de iure deuol.* c. I.

* Huius iuris rationes & fundamenta nos docet Ill. ESTOR c. l. c. 5.

§. CCCXCVI.

uariat. Quod non ubique idem est. *Alibi* enim bona cuiusuis generis, constante matrimonio a coniugibus possessa, *alibi* allodia, *alibi* feuda, *alibi* cuiusuis nominis immobilia, *alibi* quæuis immobilia cum parte mobilium dimidia in liberos deuoluuntur *x*).

§. CCCXCVII.

Ius recadentiæ quid? A quo plane diuersum est *ius recadentiæ*, der Rückfall, ui cuius bona a patre ad filium profecta, in patrem auumue paternum, a matre, in matrem, auum maternum &c. deuoluuntur *y*).

TIT. XXIII.

DE

LEGITIMA ET PORTIONE STATVTARIA.

§. CCCXCVIII.

Legitima Legitimam ignorarunt maiores nostri z), ab hereditate exclusis, dum in domo heredis erant, *alimenta*, statim uero quam

x) Ill. ESTOR c. l. c. 3.
y) *Ord. Iuliac.* c. 88. Brückners d. *de iure recadentiæ* c. V. §. 16.
z) BOEHMERI d. *de spuria filiarum nobilium a successione exclusar. legitima.*

quam ex ea exibant, certam *pecuniæ summam*, aut aliud, unde uiuerent, adsignantes *a*).

§. CCCXCIX.

Ubi uero ius Ro. usu receperunt Germani: factum est, ut ignobiles legitimam Romanam probarent, nobiles contra patriam (§. pr.) firmarent pactis familiæ *b*), quibus (1) *dos* quandoque alimentorum aut legitimæ nomine uocata, & (2) ut ad illum, a quo profecta, redeat, si dotata sine liberis decesserit, conuentum legitur. uaria.

§. CCCC.

Quod ad coniugum successionem attinet, ea antiquis temporibus admodum uaria fuit; quod ex LL. *Alamannorum*, *Baiuuariorum*, *Burgundionum*, *Francorum*, *Longobardorum*, *Saxonum* & *Wisigothorum* docent POLAC *c*) & HEINECCIVS *d*). Coniugum successio antiqua

§. CCCCI.

Speculator Saxo, uiduo tribuit mobilia *e*); uiduæ uero dotalitium, morgengabam, geradam & cibaria *f*). medii æui &

§. CCCCII.

Iura prouincialia & statuta hodie nimis ua- hodierna.

a) SENCKENBERG d. *de grauamine in legitima* §. 17. seq.

b) LVDOLFF *de iure feminar. illustr.* app. p. 43. 59. 65. 71. & alibi.

c) *System. Iurispr. Germ.* ant. II, 10, 4. seq.

d) *Elem. Iur. Germ.* §. 263. seq.

e) *I. P. S.* I, 31. III, 76.

f) *I. P. S.* III, 76.

riant. (1) *I. Hildes.* superstes, adsint liberi nec ne, omnem defuncti substantiam consequitur, dummodo ad secunda uota non prouolet *e*); (2) *I. Norimb. f*) certa pars communis acquæstus debetur uiduæ.

§. CCCCIII.

Porro (3) in *Saxonia*, thoro conscenso (lib. I. § CCCLVI.), quasuis res mobiles * *g*), itidem immobiles æstimato in dotem datas *h*) lucratur uiduus; uidua uero *geradam*, si nobilis, *dotalitium*, *morgengabam*, & *cibaria* **; sin ignobilis, *portionem* capit *statutariam*.

* Eo pertinent pecunia numerata, MOELLER *semestr.* I, 41. dona nuptialia, *P.* III. *const. el.* 22. iocalia, BERLICH *p.* III. *concl.* 29. n. 53. arbores in sylua cæsæ, & alia, quæ nominat HOFFMANN c. tr. c. 3. §. 242.

** In ducatu Slesuicensi & Holsatico petit das Husen- oder Huben-Band.

§. CCCCIV.

Dotalitium Dotalitio, de quo iam supra disputauimus, non Romano sed germanico more utitur fruitur uidua *i*). Hinc (1) dotali-

e) GOEBEL d. *de success. ab intest.* §. 114.

f) III, 33, 4.

g) STRYK c. l. *diss.* 4. c. 3. §. 7. seq. SCHURER *de heredit. quæ ab intestato deferuntur* p. 300.

h) CARPZOV III, 23, 26.

i) COLER *p.* I. *dec.* 60. *nr.* 14. TABOR *de dotal.* §. 25.

litium occupans *k*), & in foro litigans, a præstanda cautione libera est & immunis *l*); (2) iure proprio possidere *m*), nec non (3) facultate ædificandi, rem in melius conuertendi *n*), seruitutes acquirendi, laudemia, census aliasque præstationes exigendi *o*) immo omne quod fructus rationem habere potest, percipiendi &c. gaudere, & propterea (4) tantum fere, quantum uasallus in feudo, facere posse uidetur *p*).

§. CCCCV.

Dotalitium nonnisi ad tempus datur. Hinc (1) dicitur Leibgeding (§. LXXVII.); (2) ad heredes transferri *q*), uel pignori in perpetuum subiici nequit; (3) uidua ab inuestitura petenda *r*) & *laudemio* soluendo libera & immunis est*, neutiquam uero (4) ab *inuentario* conficiendo. ad dies uitæ datur.

* Olim uiduas principum quandoque dotalitii inuestituram a Cæsare impetrauisse, exemplis probauit

k) DEINLINI d. *de uidua Vasalli ab usufructuaria cautione intuitu dotalitii immuni* §. 5. seq.
l) CARPZOV. I, 5, 6. 7.
m) HEINECC. *lib.* II, §. 38.*
n) EVERARD *cons* 217. *nr*. 17.
o) HENEL *de dotalitio* c. VIII. §. 8.
p) *I. P. S.* II, 21. *Sueu.* c. 169. Gl. ad *I. P. S.* III, 77.
q) SCHILTER *exerc.* XVII. §. 20.
r) *I. P. S.* III, 21, 77. *Sueu.* c. 196.

uit MVLLER im Staats-Cabinet, 4te Oeffnung c. 2.

§. CCCCVI.

Ius rerum morgengabicarum.

Res morgengabicæ I. *iure antiquo t) pauciores fuerunt numero atque ſunt hodie u)*. II. *debentur ex ſingulari I. Sax. diſpoſitione x)*, propterea que incognitæ ſunt extra Saxoniam, III. *ſtatim a morte mariti* debentur, & ad heredes transmittuntur *y)*, neutiquam uero ex bonis mariti uiui, ſuper quibus concurrunt creditores, peti queunt; IV. *debentur, deprehendantur quo uelint in prædio*, proprio an locato, dummodo ad inuentarium relatæ non ſint *z)*.

§. CCCCVII.

Sub cibariis

Cibaria, das Mußtheil, ſunt dimidia pars eorum omnium, quæ eſui inſeruiunt, & ante mortem mariti collecta, poſt trigeſimum diem in illius ſuperſunt ædibus.

§. CCCCVIII.

quænam intelligantur?

Ad cibaria autem ſeu comeſtibilia pertinere dicuntur *a)*: alles Fleiſch, geſaltzen und ungeſaltzen, geräuchertes, Speck, Würſte, Butter, Käſe, Schmaltz, Schmeer, Unſchlitt,

t) *I. P. S.* I, 20.
u) BARTH c. tr. p. 629.
x) MODEST. PISTOR. *p.* I. *q.* 32. *n.* 8.
y) *Gl.* ad *I. P. S.* I, 20.
z) BARTH *c. tr.* c. VI. *m.* 3. §. 19.
a) BEYER c. l. II, 17.

schlitt, Honig, Wein, Bier, Meet, die Helfte alles Rockens, Weitzens, es sey in Scheuren oder auf dem Boden, Maltz, Hirschen, gemästete Schweine 2c. Pleniorem comestibilium indicem sistunt STRVV. *b*), BARTH *c*), & HOFFMANNVS *d*).

§. CCCCIX.

Quanta portio cuique coniugi, deficientibus pactis matrimonialibus, debeatur, una regula significari nequit. Alibi enim uirilis est *e*), alibi dimidia *f*), alibi quarta, alibi alia *g*). Sit uero, quae uelit, a coniuge moriente imminui nequit. **Portio statutaria**

§. CCCCX.

Portione statutaria priuatur coniux, (1) qui coniugem necauit aut saltem necare meditatus est; (2) qui ob adulterium aut malitiosam desertionem *h*) per sententiam iudicis coniux esse desiit. Huc quoque (3) referunt Dd. uiduam, quae post mortem mariti luxuriose uiuit *i*). Quo iure? uideant alii. **quando peti nequeat?**

b) *ad* MATTHAEVM *de success.* p. 414.
c) c. tr. c. VI. p. 668.
d) c. tr. c. I. p 57. 109.
e) *Statut. Brunsu.* tit. XIX. §. 1.
f) *Statut. Mindens.* c. I. art. 16. CRVSIVS p. 234. *Constit.* IOACHIMI *de success.* c. 1. ibique HOFFMANN.
g) CARPZOV III, 20, 17. 24. STRYK c. l. §. 18.
h) BOEHMERI d. *de priuatione dotis & successionis statutariae ex capite adulterii* c. 2. §. 22. seq.
i) ZOBEL *p.* III. *diff.* 18.

TIT. XXIV.
HEERGEWETTA, ET IN EAM SVCCESSIONIS ORDINE.

§. CCCCXI.

Heergewettam,

Heergewetta * est supellex militaris, quae ex I. Sax. praecepto, mortui ** agnatorum cedit proximo.

* Haec non ab Henrico Aucupe, sed ex *L. Angl.* VI, 1. repetenda est.

** Olim equitis. *I P. S.* I, 27. Postea uero idem ius ad plebeios, immo carnifices porrectum esse, & applicari hodie, docent CARPZOV III, 38, 25. HEINECCIVS *Elem. I. Germ.* lib. II. §. 278. RICHTER *sect.* 1. *m.* 1. *nr.* 54.

§. CCCCXII.

ad quam uariae res pertinent,

Ad heergewettam referuntur *k*) (1) des Mannes bestes Pferd (gesattelt und gezäumet) (2) sein Schwerd, (3) sein Schild, und sein bester Harnisch, (4) seine täglichen Kleider, (5) ein Heer-Pfül, (6) ein Becken und ein Zwehel, (7) ein Tisch-Lachen, (8) ein kleiner Kessel und Kesselhacken, (9) ein Spieß, Axt oder ander dergleichen Wafen. Unde quandoque uenit nomine der 9. Stück.

§. CCCCXIII.

k) *Weichb.* art. 25. *I. P. S.* I, 22.

§. CCCCXIII.

Unde hæc notes uelim:

I. Heergewettam relinquit non niſi maſculus qui miles fuit, aut eſſe potuit.

II. Heergewetta cedit militi, agnatorum proximo.

III. Defertur ex ſpeciali I. Sax. prouiſione.

§. CCCCXIV.

Ex primo (§. CCCCXIII, 1.) conſtare puto, (1) heergewettam neque a *feminis* neque a perſonis in *clericorum* numerum relatis *l*) relinqui, ſed (2) in harum bonis ſi quæ deprehendatur ſupellex militaris, haberi hereditariam *m*); (3) nihil intereſſe, maſculus heergewettam relinquens, proprium an conductum *n*), unicum an plura poſſederit prædia. **relinquit maſculus**

§. CCCCXV.

Ex ſecundo (§. CCCCXIII, 2.) intelligi poteſt cauſa, (1) cur heergewetta non cedat clerico *o*), aut canonico euangelico, (2) ſtudioſo tamen theologiæ, **agnatorum proximo**

(3)

l) *Gl.* ad *I. P. S.* I, 17.

m) BARTH von der Gerade c. VIII. §. 4.

n) CARZOV. III, 38, 35.

o) *I. P. S.* I, 5.

(3) cur nunquam cedat uterino fratri; (4) cur frater germanus & consanguineus eam simul capiant.

§. CCCCXVI.

ex speciali *I. S.* dispositione.

Tertium (§. CCCCXIII, 3.) nos docet, (1) heergewettæ usum iuraque in terris iuris Saxonici præsumi, alibi uero probari debere; (2) heergewettam cedere (*a*) filio, post (*b*) patri, (*c*) fratri, dein (*d*) cuilibet agnatorum proximo, & (*e*) si nullus eorum extaret, fisco; (3) in heergewetta capienda inter descendentes *p*) quidem, non autem inter collaterales *q*), *repræsentationi* locum esse (§. CCCLXXX, 3.).

§. CCCCXVII.

Ex eodem discere potes (4) res expeditorias, si quæ intra annum & diem (§. CCCL, 4.), a tricesimo computandum, non fuerint petitæ*, *præscribi* fierique hereditarias *r*). Cessat tamen qualitatis heergewetticæ præscriptio, (*a*) si quis mortem agnati sui non cognouerit, aut (*b*) agere impeditus fuerit *s*) (§. CCCXLVI, 5).

* Ex-

p) *Gl.* ad *I. P. S.* I, 24. CARPZOV III, 38, 36.
q) CARPZ. III, 18, 12.
r) HOFFMANN stat. local. von der Gerade und Heer-Ger. p. I. c. I. §. 89. BARTH c. tr. c. VIII. §. 20.
s) *I. P. S.* I, 28. ibique gl.

* *Extraiudicialis interpellatio* non interrumpit præscriptionem, nisi sic interpellatus traditionem heergewettæ promiserit, sed moras nexerit ad anni usque lapsum.

§. CCCCXVIII.

Ex quo modus militandi mutatus est, res expeditoriæ fere ludibrio sunt redditæ. Quo factum est, ut hodie *alibi* separatio rerum utensilium & expeditoriarum ab hereditate cesset; *alibi* res quædam, quæ ad expeditionem militarem uix faciunt, ad heergewettam referantur, & statuta localia nimis uarient *t*). Sic quoque commixtio I. Ro. & Sax. fecit, ut hodie alicubi regula: *non debentur res expeditoriæ, nisi salua sit legitima*, ualeat usu. **Usus hodiernus.**

TIT. XXV.

DE GERADA ET IN ILLAM SVCCESSIONIS ORDINE.

§. CCCCXIX.

Gerada est supellex ad instruendam familiam ornandamque mulierem faciens, proximæ cognatæ * relinquenda. **Ad geradam, quæ**

* Dummodo ex incestu aut adulterio procreata non sit; alias ab auia excluditur.

§. CCCCXX.

t) HOFFMANN c. tr. p. II.

§. CCCCXX.

uariat,

Eam Dd. (1) diuidunt (*a*) in *illatam & acceptam*; (*b*) in *plenam & minus plenam*, in die volle und Niftel-Gerade; (2) dicunt plenam ad *nobiles & ciuici* ordinis uiduas diuerso pertinere modo.

§. CCCCXXI.

pertinentium rerum

Ad geradam utplurimum referuntur (1) *plumæ* (2) *linum*, siue adhuc infectum sit, siue iam factum, (3) *pannus lineus*, (4) *pannus ad uestimenta muliebria incisus*, (5) *mensa*, (6) *lecti*, *ceruicalia*, *puluinaria*, *toralia*, (7) *abenum*, (8) *coli*, (9) *fusi*, (10) *glomi*, (11) *rhombi*, (12) *pepla*, (13) *annuli*, (14) *frontalia*, (15) *serta*, (16) *spiræ*, (17) *bullæ ansaticæ in collo gestari solitæ u*), (18) *forcipes*, & omnis *mundus muliebris x*). Ad NOBILIVM GERADAM adhuc quidam referunt (19) *oues y*), (20) *anates & anseres* feminini generis *z*), (21) den Himmel Wagen.

§. CCCCXXII.

requisita.

Nulla autem res utensilis cedit cognatæ, nisi quam mortua iusto & ad transferendum

u) CARPZ. *lib.*I. *R.* 93. 96.

x) MENCKE *de rebus geradicis.*

y) STRYK d. *de iure cratium* c. 1. nr. 50. seq.

z) gl. ad *Weichb.* art. 23.

rendum dominium habili *a*) titulo sibi acquisiuit, mortisque tempore tam naturaliter quam ciuiliter possedit. Hinc ad geradam referri nequeunt, (1) res, quae iure uel natura *immobilibus* accensentur, utpote candelabra muro adfixa, lecti in diuersoriis *b*), linum a solo nondum separatum *c*), (2) res, quae non feminae mortuae, sed *aliis inseruierunt*, u. c. indusia & focalia masculina, retia piscaria, sedilia ad ornandam domum a marito comparata, res aureae & argenteae, quas maritus uenales habuit *d*), caldarium pro mercede locari solitum *e*) &c. (3) res, quas defuncta mortis tempore uel ciuiliter uel naturaliter *non possedit*. Ia[illegible]um possessio facti sit, cognata hanc illamue rem tanquam geradicam petens, probare debet, quod eam defuncta mortis tempore possederit *f*).

§. CCCCXXIII.

Notes hic sequentia;

I. Gerada est rerum uniuersitas.

II. Geradam non nisi femina relinquit.

III.

---

a) BEYER *delin. I. Germ.* II, 15, 20.
b) *Weichbild.* art. 23. *I. P. S.* I, 24.
c) gl. ad *I. P. S.* I, 24.
d) *I. P. S.* I, 23.
e) PISTOR. R. p. 41.
f) CARPZOV. *R.* 94. COLERP. I. *dec.* 60. *nr.* 45.

III. Gerada debetur cognatarum proximæ

IV. ex speciali I. Sax. dispositione.

§. CCCCXXIV.

Geradam

Fallor aut ex primo (§. pr.) sequitur, (1) ut gerada crescere & decrescere possit, ideoque (2) certum ei pretium statui, aut (3) quod quis futuram emens uendensque ultra dimidium læsus fuerit, certo adfirmari nequeat *g*).

§. CCCCXXV.

morte relictam

Secundum (§. CCCCXXIII, 4.) docet, (1) geradam a *femina*, & maritata & soluta, relinqui, non uero a *masculis h*), sed (2) in horum bonis si quæ deprehendatur res utensilis, eam hereditariam esse.

§. CCCCXXVI.

capit femina

Ex tertio (§. CCCCXXIII, 3.) causam uidere mihi uideor, (1) cur gerada relinquatur quibusuis *cognatis feminei* generis, (*a*) illustribus *i*), ac ciuici ordinis, (*b*) cœlibibus ac maritatis, (*c*) legitimis & illegitimis (§. CCCCXIX.*); (2) cur gera-

g) HOFFMANNI Beschreibung der Gerade c. 1. §. 2. seq.

h) BARTH von der Gerade c. 2. §. 2.

i) BERGER *E. D. F.* p. 589.

geradam capere nequeat (*a*) *maritus*, (*b*) per feminam cognatus, (*c*) aliusque *masculus* *; (3) cur sola cognatio *k*), eaque, quæ per feminam contracta est *l*), neutiquam uero duplicitas uinculi attendatur. Unde (*a*) soror *uterina* cum germana concurrit æqualiter *m*), (*b*) *consanguinea* uero plane excluditur, & (*c*) cognata *collateralis* præfertur paternæ auiæ *n*), fratrumque filiabus.

* Illud singulare est, quod (1) *clericus* ordinatus cum filiabus capere possit geradam maternam *I. P. S* I, 5. LANGE d. *de successione clerici in geradam maternam* §. 8. seq. & (2) *maritus* ex quorundam locorum statutis, ad geradam admittatur, quam tamen hic capit qua hereditatem. BARTH c. l. c. 2. §. 30.

§. CCCCXXVII.

Quandoquidem gerada debetur ex speciali iuris dispositione (§.CCCCXXIII, 4.): consequens est, (1) ut geradam capiens, si maritum exceperis (§. pr.*), heres dici nequeat; (2) ut cognatæ liceat geradam petere, si uel maxime hereditati renuntiauerit *o*). ex speciali dispositione

§.CCCCXXVIII.

k) *I. P. S.* I, 27. CARPZOV. II, 14, 57.
l) *I. P. S.* I, 27. III, 15. COLER *decis.* 43.
m) BARTH c. l. c. 2. §. 4. p. 35.
n) CARPZOV c. l *def.* 56.
o) HOFFMANN c. tr. c. 2. §. 136.

§. CCCCXXVIII.

I. Saxonici. Quum uero debeatur ex I. Saxonici ſpeciali diſpoſitione (§. eod.): uides, (1) cur uſus iuraque geradæ in terris I. Sax. præſumantur *p*), (2) alibi contra probari debeant *q*); (3) cur inter cognatas lineæ collateralis nullus ſit repræſentationi locus (§. CCCLXXX.).

§. CCCCXXIX.

Ordo ſucceſſionis in geradam. Gerada cedit (1) *filiabus* (*a*) legitimis & illegitimis *r*), dummodo ex inceſtu aut adulterio non ſint quæſitæ (§. CCCCXIX.*) *s*), (*b*) ſolutis & maritatis, (*c*) ſecularibus & monialibus *t*); (2) *neptibus ex filia u*) *; (3) *matri*, (4) *auiæ*, (5) *collateralibus* feminini ſexus, mortuæ per feminam cognatis (§.pr.) *x*). Quarum ubi nulla ſupereſt, geradam tanquam uacantem fiſcus ſibi uindicat *y*).

* Nunquam cedit ex filia nepotibus (§.CCCCXXVI.), ſi

p) WERNHER *en.* 350.
q) BEYER *delin. I. Germ.* II, 15, 3.
r) BARTH c. l. c. 2. §. 8.
s) IDEM c. l. §. 10. HOFFMANN c. tr. c. 3. §. 210.
t) IDEM c. l. §. 13.
u) *I. P. S.* I, 27. III, 15. HOFFMANN c. *tr.* §. 208.
x) *I. P. S.* I, 27. BARTH c. tr. c. 1. §. 8. HOFFMANN c. tr. c. 1. §. 8.
y) RIVINI d. *de ſucceſſione fiſci in gerada*

ſi uel maxime clerici eſſent. Conſ. G. A. IENICHEN d. *de clerico nepote, exule ſucceſſionis in geradam auiæ maternæ.*

§. CCCCXXX.

Femina ſoluta ſemper,

Femina ſoluta de gerada, quam ut ſuam posſidet, pro lubitu inter uiuos diſponere poteſt, ſi uel maxime contradicat cognata proxima. Nihil itaque impedit, quo minus geradam (1) lucratiuo aut oneroſo, quo uelit, titulo *alienet* z), & (2) *pignori ſubiiciat* ualide. Hinc cognata (*a*) geradam, quam alii donauit uendiditque mortua, uindicare, immo (*b*) reſiduum pretii petere nequit *a*), atque (*c*) geradam pignori ſubiectam luere tenetur *b*), ſi uel maxime multa ſupereſſent hereditaria bona.

§. CCCCXXXI.

& maritata quandoque geradam alienare poteſt.

Femina maritata nequit (1) marito (niſi (*a*) ob meritum, ſi non ciuiliter, naturaliter tamen, ad antidora obligans, (*b*) coram iudice (*c*) adſtante curatore) geradam *donare c*), & (2) a marito acceptam, hoc diſſentiente, *alienare d*); (3) geradæ, intuitu hypothecam tacitam in

Gg 2 ma-

z) HOFFMANN c. tr. c. IV. §. 316. 321. ſeq.
a) Diſſ. BEYER *delin. I. Germ.* II, 15, 58.
b) *I. P. S.* I, 24. *Weichb.* a. 23.
c) HOFFMANN c. l. c. 4. §. 333. ſeq. 350.
d) ID. c. l. §. 343.

mariti bonis sibi tribuere; (4) ut maritus geradam, quam ipsa eo inscio subiecit pignori, reluat, petere *e*); (5) marito geradam, quam dedit, intra annum reuocanti se opponere *f*).

§. CCCCXXXII.

Dominium geradæ

Denique quia uxoris dominium geradæ illatæ illimitatum, acceptæ uero limitatum est (§. CCCCXXX. seq.): uides (1) cur uxori illatam pro lubitu, acceptam uero, marito demum consentiente (§. pr.) in extraneum alienare, & (3) utramque a mortui mariti hereditate propria* auctoritate separare *g*) liceat; (4) cur maritus geradam illatam pignori subiicere *h*) nequeat, nisi hoc necessitas utilitasque uxoris uelit, &, si tamen hoc fecerit *i*), uel uxore ignorante, uel sciente quidem, sed ad communem familiæ usum *k*), illius heredes eam a nexu pignoris liberare, non tamen illius euictionem præstare *l*), debeant.

* Cognata uero geradam propria auctoritate capere nequit. BARTH c. tr. c. 5. §. 20

§ CCCCXXXIII.

e) BARTH c. l. c. 5. § 8.
f) IDEM c. l. c 4. §. 3. & c. 5. §. 9.
g) HOFFMANN c. tr. c. 2. §. 144. pag. 173. BARTH c. 5. §. 17.
h) ID. c. l. §. 131.
i) *gl ad Weichb.* art. 23. n. 30.
k) BEYER c. l. §. 65.
l) BARTH c. l. c. 5. §. 4.

§. CCCCXXXIII.

Res geradicæ, quas intra annum & diem, a tricesimo computandum *l*), uidua non uindicat, nec cognata petit, *præscribuntur* (§. CCCL. d.), fiuntque hereditariæ. Hinc (*a*) agnati immo heredes testamentarii eas capiunt, atque (*b*) defunctæ pater materque æqualiter diuidunt, quas mater petere desiit. Cessat autem qualitatis geradicæ præscriptio, ubi intra annum & diem agere intermisit (α) ignorans geradam sibi delatam esse (§. CCCL d. *m*), aut (β) minorennis, aut (γ) reuerentiam patri debitam actione lædi putans, filia *n*) (§. CCCXLVI, 5.). 1) præscriptione &

§. CCCCXXXIV.

Præterea femina maritata perdit geradam (2) *adulterio o*), si uel maxime princeps hoc gratia sua aboleuerit *p*), neutiquam uero (3) *desertione*, cui maritus ipse occasionem præbuit. Sic perditam geradam lucratur maritus, uel ea saltem ad dies uitæ adulteræ utitur fruiturque *q*). 2) adulterio amittitur.

l) *I. P. S* 1, 28. *Weichb.* art. 23.
m) *Gl.* ad *I. P. S* c. l. CARPZOV. II, 3, 13.
n) RIVINUS d. *de præscript. geradæ* §. 17. seq. MOELLER *semestr* II, 6.
o) RIVINUS c. d. §. 30.
p) HOFFMANN c. tr. c. 2. §. 138. pag. 166. BARTH c. tr. c. 5. §. 85.
q) BARTH c. tr. c. 7. §. 34.

§. CCCCXXXV.

Non nisi possessæ debentur.

Vidua, mortuo marito, nullas res geradicas, nisi quas, eo uiuo, possedit *, illatas acceptasue, petere potest. Hinc ei non debentur res geradiles, (1) quæ plane non adsunt, uel saltem in illius non fuerunt possessione (§.CCCCXXI, 3.); (2) quas ipsa, inscio & inuito marito, huius tamen pecunia, comparauit sibi *r*); (3) quas defunctus maritus ante conscensionem thori pignori subiecit *s*).

* Hic duo notes uelim (1) possessionem ex custodia *clauium* cistarum, quibus adseruantur res geradicæ, colligi solere; (2) possessionem eo amissam non esse, quod uxor ægritudine correpta marito claues tradere coacta fuerit. HOFFMANN c. tr. c. 2. p. 149.

§. CCCCXXXVI.

Praxis uaria

Non solum numerus rerum geradicarum, sed ipsum etiam ius geradicum, hodie nimis uariat *t*). Hoc enim quibusdam in locis, immo prouinciis I. Sax., abrogatum *, in aliis autem, quibus adhuc uiget, diuersimode determinatum est. *Quædam* scilicet dantur lo-

r) HOFFMANN c. tr. c. 2. §. 129.

s) ID. c. l. §. 123. p. 147.

t) HOFFMANN. Beschreibung von der Gerade p. 14. seq. 25. seq. BARTH. tr. von der Gerade p. 163 - 237. item 238. 257.

loca, ubi non niſi maritatæ geradam relinquunt *x*), *alia* ubi maritus capit geradam filiabus deficientibus *y*), *alia*, ubi filii & fratres, ſi deficiant filiæ & ſorores, admittuntur *z*) &c.

* Hoc caſu quotidie, ita tamen, ut attendatur: num cognata in loco, ubi exulat gerada, habitans cum ſolis feminis, an cum ſolis maſculis, an cum maſculis & feminis ſimul concurrat BEYER *delin. I. Germ.* c. cap. 5. 6. HOFFMANN c. tr. c. 5. §. 428 ius geradicum retorqueri nos docet tritura forenſis.

§. CCCCXXXVII.

Hæc quoque cauſa eſt, cur ſæpe de eo diſputetur: *ſecundum cuius loci ſtatuta gerada capi debeat?* Me quidem iudice, cælibi ſecundum ſtatuta loci originis *a*), maritatæ uero ſecundum ſtatuta loci domicilii *b*) ſucceditur (§. CCCLXX.).

x) BARTH c. tr. c. 2. §. 3.
y) ID. c. l. §. 22.
z) ID. c. l. §. 21.
a) BARTH c. tr. c. 2. §. 17. 39. ſeq. HOFFMANN c. tr. c. 2. §. 221.
b) MOLLER ad *conſt. elect.* p. III. *conſt.* 38. IOACHIMI d. *de ſucceſſione geradæ iuxta forum domicilii inſtituenda.*

TIT. XXVI.
DE PACTIS SVCCESSORIIS IN GENERE

§. CCCCXXXVIII.

Pacta successoria, Pacta successoria iam olim probarunt germani *c*), quamuis aliæ gentes liberiorem *d*), aliæ adstrictiorem *e*), paciscendi facultatem dederint.

§. CCCCXXXIX.

quæcunque sint, Diuiduntur ea (1) in *dispositiua*, *renuntiatiua*, *conseruatiua*, *acquisitiua*; (2) in *uniuersalia* & *particularia*; (3) in *unilateralia* & *bilateralia* seu *reciproca*.

§. CCCCXL.

iniri debent legitime atque Quæ inire possunt illustres non magis atque homines infimæ plebis, dummodo (1) de hereditate tertii uiuentis, quam sperant, ad acta *disponant f*); (2) hereditati sibi delatæ & adhuc deferendæ in iudicio *g*) *renuntient*.

GAIL,

c) BOEHMERI d. *de success∫. hered. coniugum ex pact. dotal.* c. 1. §. 8. seq. & d. *de fundament. pactor. ad fideic. inclin.* c. 2. §. 4.

d) *L. Angl.* tit. XIII.

e) *L. Sal.* tit. 49. 63. *Ripuar.* tit. 48.

f) *I. P S.* II, 30. SCHILTER *exerc.* XXX. § 60.

g) *I P. S.* I, 13.

* GAIL, qui *lib. II obſ.* 127. ſtatuere nullus dubitauit, illuſtres quidem, neutiquam uero ignobiles, hereditates ſibi paciſcendo acquirere poſſe, riſu omnino dignus eſt, vid. KRESS *ſpecim. iurispr. priu.* II, 24, 3. *

§. CCCCXLI.

Porro poteſt quilibet (3) ſibi proſpicere, atque ius, quod habet, ſuccedendi, *conſeruare* confirmareque (*a*) contra ſtatuti rigorem conſuetudinemue, (*b*) contra pactum familiæ *b*); (4) de nouo ius in alterius bona ſuccedendi *acquirere*, dum init confraternitates, ganerbinatus &c.

§. CCCCXLII.

Pacta ſucceſſoria non niſi ſuper hereditate, quæ in alterius paciſcentium eſt arbitrio, ideoque non de iure publico aut ad tertium ſpectante u. c. *legitima, portione ſtatutaria, iure deuolutionis, feudo*, aliisque bonis, quorum dominium inter duos inæqualiter diuiſum eſt, *fideicommiſſo* &c. niſi conſentiente eo, cuius ius interuertitur, iniri poſſe, res ipſa loquitur. de rebus, in alterius paciſcentium arbitrio poſitis.

§. CCCCXLIII.

Pacta renuntiatiua, pro diuerſa renuntiantis intentione, (1) ſunt uel abſoluta uel Pacta renunciatiua.

Gg 5 re-

b) STRYK *de S. A. I.* diſſ. VIII. c. 3. §. 9. ſeq.

ſpectiua, itidem (2) uel pura uel conditionata *i*)*.

* Quorum aliquot *pacta hereditatis renuntiatae reſeruatiua* dicuntur Illuſtr. CRAMERO in *iuribus de pacto filiae nobilis hereditatis renunciatae reſeruatiuo* §. 1. 5.

§. CCCCXLIV.

De quibus notes (1) quod ſalua legitima germanica ineantur, & (2) ſic inita ſint ſtrictisſimae interpretationis *k*); (3) quod ſatius ſit, non tamen neceſſarium, ut iureiurando confirmentur *l*) *; (4) quod obligent renuntiantes, & ab his, renuntiatione facta, cauſam conſequentes.

* Diff. Illuſtr. CRAMER *de pacto hereditario renuntiatiuo* c. 2. §. 18. ſeq. ſtatuens, iusiurandum adeo neceſſarium eſſe, ut ne quidem conuentione partium queat remitti.

§. CCCCXLV.

Quomodo tollantur? Pacta ſucceſſoria tolluntur (1) mutuo *diſſenſu* paciſcentium, eorumque omnium, quibus ex pacto aliquid iuris quaeſitum eſt; ſpeciatim uero *renunciatiua* (2) *morte*, & (3) *remisſione* eorum, in quorum fauorem fuerunt inita.

§. CCCCXLVI.

Producunt hered. pet. conuent. Quibus pactis legitime initis (§. CCCCXL. ſeq.) nec ſublatis (§. pr.) (1) illi,

i) STRYK c. l. c. 10. §. 14. ſeq.
k) *I. P. S.* I, 13.
l) CRAMER cit. comment. c. 3.

illi, qui de hereditate ſua diſpoſuit, adimitur ius alienandi, teſtamentum condendi, noua pacta ſucceſſoria cum aliis ineundi &c. (2) ei uero, qui ſibi hereditatem promitti curauit, datur *hereditatis petitio conuentionalis.*

§. CCCCXLVII.

Si *res ſingularis* per conuentionem inter uiuos, in euentum mortis in aliquem transfertur, acquirens ſucceſſor ſingularis erit, qui nec commoda nec incommoda heredis ſentit *m*).

TIT. XXVII.

DE PACTO CONFRATERNITATIS.

§. CCCCXLVIII.

Pactum confraternitatis Erbverbrüderung eſt conuentio, qua uni familiæ datur ius ſuccedendi in bona alterius, ſi hæc extinguatur. Pactum confraternitatis,

§. CCCCXLIX.

Illud (1) uel *unilaterale* uel *reciprocum*, (2) uel uniuerſale uel particulare dicitur eſſe (§. CCCCXXXIX.). quodcunque ſit,

§. CCCCL.

m) MEVIVS ad *Ius Lubec.* II, 2, 12. n. 2. 42.

§. CCCCL.

Unde axiomata:

I. Pactum confraternitatis est pactum successorium.

II. Ei non nisi in bonis, quæ ab alterius paciscentium arbitrio dependent, locus esse potest.

§. CCCCLI.

successionem

Pactum confraternitatis (1) solo *consensu* confici *n*), nec (2) *iusiurandum*, (3) *renouationem*, aut alia requirere *solemnia* *; idem illud (4) ab illustribus, nobilibus immo plebeiæ sortis hominibus *o*) iniri (§. CCCCXL.), (5) initumque mutuo dissensu paciscentium, uel ab his causam habentium dissolui posse, primum (§. CCCCL, 1), nos docet axioma.

* In *confraternitate* quidem *Saxonico-Hassiaca*, quæ circa A. 1263. uidetur nata, præter iuramentum & renouationem uaria requiruntur solemnia, CARPZOV d. *de pacto confrat. Saxonico-Hassiacæ* c. 2; tamen, quantum ego scio, non ex natura confraternitatis, sed ex pacto & prouidentia maiorum paciscentium.

§. CCCCLII.

Ex eodem intelligere potes causam, cur pactum confraternitatis (6) facultatem alie-

n) STREITS d. *de pacto confratern. inter nobiles aliosque priuatos* §. 11.

o) ID. c. d. §. 8. seq. Diss. STRYK *de S. A. I.* diss. VIII. c. 7. §. XI.

alienandi (§. CCCCXLVI.), & nouam ineundi fraternitatem adimat; (7) onus tutelæ fratris minoris in fratrem maiorem, proximum heredem (lib. I. §. CCCCLI.), transferat *p*); (8) unum fratrem ad alterius personæ bonorumque defensionem obliget; (9) superstiti, extincto altero, hereditatis petitiónem conuentionalem det (§. CCCCXLVI.), aliaque media, ad consequendum id, quod in confraternitatem deductum est.

§. CCCCLIII.

Quia pactum confraternitatis ius succedendi sub conditione tribuit: (1) frater in alterius fratris adhuc uiui bonis nullum ius, nisi quod speciatim sibi concessum esse probet, exercere, nec (2) alterius ciues suos nominare potest. eventualem tribuit

* Illud in confraternitate Saxonico - Hassiaca singulare est, quod frater fratris ciues appellet: liebe, getreue Cuius denominationis causa hæc est, quod ciues unius fratris alteri præstent homagium CARPZOV c. d. th. 64.

§. CCCCLIV.

Ex secundo (§. CCCCL, 2.) sequitur (1) ut de *bonis allodialibus* feudisque hereditariis libere, (2) de *feudo* autem proprio in bona, de quibus disponi potuit libere.

p) STRYK c. l. §. XL.

prio & dignitate ei annexa, tunc demum, si feudi dominus, dignitatisque auctor consentiant (§. CCCCXLIII, 5.), pactum confraternitatis iniri queat. En causam, (3) cur status imperii, pacta confraternitatis inituri, confirmatione Caesaris q) indigeant, nisi (a) ex priuilegio gaudeant libera potestate alienandi feuda, quae ab imperio tenent r), aut (b) agnatos uel simultanee inuestitos fratres adsciscere uelint.

* Hodie & electorum, neutiquam uero omnium imperii statuum, consensu opus esse ei, qui pactum confraternitatis de feudo imperii inire contendit, tradunt CARPZOV c. d. th. 47. STRYK c. l. §. 22. seq.

§. CCCCLV.

Contraria. Cessat confraternitas, si (1) cesset conditio, sub qua ea inita, aut (2) frater fratrem defendere praefracte noluerit, aut (3) is, in cuius fauorem ita conuentum est, re, de qua conuentio celebrata, uti frui nequeat.

TIT.

q) STRYK c. l. §. XVIII.
r) ID. c. l. §. XX.

TIT. XXVIII.

DE PACTO GANERBINATVS.

§. CCCCLVI.

Pactis successoriis annumerari quoque solet *pactum ganerbinatus* *, quod dicitur conuentio **, quam plures nobiles de mutua successione hunc in finem inierunt ***, ut se suasque facultates in castro communi contra uim hostilem unitis uiribus eo facilius tuerentur. Ganerbinatus pactum, quod

* Unde hoc descendat nomen, disquirunt STRYK *de S. A. I.* diss. VIII. c. 8. §. 2. WEHNER *obs. pract.* h. u. cap. I. ECKARD *Catech. theod. Otfridi Mon.* p. 159. seq.

** Ganerbinatus, quorum originem petere debes ex illis temporibus, quibus VIS, non IVS ualebat, (LEIB von Ganerben c. 2. CRAMER *de ganerbinatu* c. 2. KYLLINGER *de ganerbiis castror.* disc. XIII. nr. 1. seq. HERT *de ganerbinatu* §. 2. quem deprehendis in Ill. ESTORIS kleinen Schriften Vol. II. p. 723.) succedente tempore a primo instituto in prædatorum societates degenerasse (LEIB c. l. STRAVCH *de ganerbiis* §. 2. STRYK c. l. §. 9.), propterea que uario modo ab Imp. frenatos esse, tam certum est, quam quod certissimum.

*** Nobis itaque iam sermo non est de illo ganerbinatu, quem constituerunt Imperatores, certo nobilium numero castrum in feudum dantes, hac lege, ut illud defendant, nec alia præstent seruitia. Quam originem habere dicuntur castra *Reineck, Friedberg, Geilnhausen* &c.

§. CCCCLVII.

§. CCCCLVII.

Unde hæc deriuo axiomata:

I. Pactum ganerbinatus nititur solo contrahentium consensu.

II. Obligat ad defensionem castri aliorumque bonorum.

III. Tribuit euentualem successionem.

§. CCCCLVIII.

solo consensu

Ex primo (§. pr.) constare puto, (1) pactum ganerbinatus omnium quidem, non uero unius, *dissensu* dissolui posse s); (2) paciscentium esse, *LL.* Burgfrieden, quas uelint, ganerbinatui ponere. Ut plurimum autem (*a*) describunt cuiusque ganerbiorum iura, (*b*) denominant *armorum* genera, quibus quisque castrum commune defendere debeat; (*c*) constituunt iudices *compromissarios;* (*d*) determinant *successionem*; (*e*) interdicunt *alienatione castri* aliorumque bonorum communium, uel saltem limites ponunt ei t); (*f*) definiunt iura *filiarum uiduarumque* ganerbiorum in castro communi u); (*g*) præ-

s) REVSNER *Vol. I. cons.* 19. nr. 82. seq.

t) STRYK cit. cap. VIII. §. 19. 20.

u) WALDSCHMID d. *de pactis ganerbinat.* p. 43.

(g) præscribunt iurisiurandi, ab unoquoque præstandi, formulam x) &c.; (3) pactum ganerbinatus etiam sine instrumento consistere. Plerumque tamen, ut eo facilius constet probarique possit, de quo conuenerint ganerbii, illud conficitur.

§. CCCCLIX.

Ex secundo (§. CCCCLVII, 2.) patet, (1) pacta ganerbica, quatenus mutuam concernunt defensionem, si a quibusdam imperii statibus inita, Cæsaris confirmatione non indigere; (2) sin autem ea inierint nobiles mediati aliique, qui cuidam imperii statui subsunt, sine huius consensu inita, non ualere y) *; (3) principes I. R. G. pacta ganerbica ineuntes imperatorem excipere debere z). de defensione &

* Medio tamen æuo nobiles sæpe, neglecto territorialis principis consensu eiusmodi pacta iniisse, & post, se immediatos esse, inferre uoluisse, neminem fugit.

§. CCCCLX.

Ex tertio (§. CCCCLVII, 3.) sequitur, (1) ut pactum ganerbinatus ius bona ganerbica alienandi, in feudum dandi &c. adi- successione mutua initur,

x) HEITMANN d. *de austrægis ganerbiorum* §. 5.
y) STRYK c. d. §. 15.
z) KYLLINGER *disc.* XV. nr. 67.

adimat; (2) ut, si bona in ganerbinatum deducta feudalia sint, domini & agnatorum consensus accedere debeat; (3) ut ganerbinatus a superioritate territoriali non liberet (§. pr. *.).

§. CCCCLXI.

uarie dissoluitur.

De eo, quod ganerbinatus cessent (1) omnium ganerbiorum *dissensu* (§. CCCCLVIII, 1.) *a*), & (2) *morte* tam naturali quam ciuili *b*); (3) *castri*, in quo quisque fundatus est, *interitu:* nemo dubitabit.

TIT. XXIX.

DE FIDEICOMMISSIS FAMILIAE.

§. CCCCLXII.

Pacta familiae,

Praedia auita * aliaque bona, quorum extra familiam alienatio in perpetuum negatur, audiunt *fideicommissa familiae.*

* Olim nemo, dissentientibus filiis suis, auita bona in filias, multominus extra familiam alienare poterat. Vid. dipl. ap. SCHATEN *annal. Paderb.* ad A. 1237. p. 33. ad A. 1265. p. 168. seq. ad A. 1302. p. 169. ad A. 1312. p. 251. 259. Ex

a) IDEM c. l. disc. XI.
b) *R. I.* 1500. 1521. tit. wider der Ganerben Schloß.

Ex quo uero I. Ro. filias filiis æquiparans, & cum eo testamenta, receperunt germani: successionem filiis immo omnibus heredibus sic adiuni, & quoduis auitum in extraneos transferri posse putabant illustres nobilesqne. Qua de re splendori suarum familiarum inuigilantes, pacti sunt (1) de bonis hereditariis in familia seruandis, atque (2) de filiarum successione restringenda. Utque securi essent a pactorum impugnatione, iusserunt filias hereditati primum simpliciter, dein iurato renuntiare. GVNDLING *de renuntiatione filiarum illustrium.* Quæ omnia satis illustrat pactum commune nobilitatis immediatæ Sueciæ, Franconicæ & Rhenanæ, de successione filiarum in subsidium tantum admittenda, d. 12. Febr. 1653. initum, relatumque ab HARPPRECHTO d. *de success. filiar. nobil. renunt. & testam.* p. 96. LVNIG. *R. A.* p. sp. cont. 3. p. 14.

§. CCCCLXIII.

Suntque (1) uel *realia* uel *personalia* *, quæcunque seu, quod eodem recidit, uel *diuidua* uel sint, *indiuidua* **; (2) uel *agnatica c*) uel *cognatica d*), seu, quod idem est, uel *propria* uel *impropria*.

* Hæc quibusdam dicuntur umgebende Lehn, propterea, quod ab uno ad alium de familia transeant. Quia uero in ea, ui conuentionis, modo sanguine proprior, modo primogenitus, modo natu maior succedit; diuersa sortiuntur nomina u. c. Stamm- primogenitur- maiorats- Güther.

 ** Illa

c) TEXTOR *de fideicommisso stirpis masculinæ.*
d) RVPRECHT *de fideicommisso familiæ cognatico.*

** Illa non hæc in dubio præsumi docet KNIPSCHILD *de fideicommissis familiarum nobilium* c. 2. nr. 3. seq.

§. CCCCLXIV.

a quolibet iniri possunt.

Cuilibet * licet res suas, ast illas tantum de quibus libere disponere potest, fideicommittere **. Unde episcopi in bonis ecclesiasticis non magis atque imperator in bonis imperii, & uasallus in prædio feudali *e*) &c. fideicommissum familiæ queunt constituere.

* In Elect. *Bauar.*, terris *Brabantinis*, *Silesiacis*, & quibusdam aliis nonnisi principe permittente fideicommissa familiæ constitui possunt. LVNIG *Corp. I. feud.* To. II. p. 524. Com. OETTING. c. diatr. p. 196.

** Quæ ubi numero plures, aut eæ, ad quas aliæ pertinent, catalogo describuntur. Quo facto, *quæ in catalogo non descripta, a fideicommissi onere excepta* uidentur doctoribus.

§. CCCCLXV.

In fideicommissa quinam succedant?

In propria succedunt ii, qui idem nomen gerunt eademque insignia, die eines Stammes und Nahmens sind, auch einerley Schild und Helm führen, dummodo ex legitimo thoro procreati sint, conseruentque familiam *f*)*. His non obest il-

e) KERSTAN *de fideicommisso perpetuo familiæ in feudo* §. 19. seq.

f) COM. OETTINGENS. diatr. *de fideicommissis* c. 3. §. 15.

illud, quod a patre exheredati fuerint, aut familiam propagare nolint.

* Hinc in ea succedere nequeunt (*a*) *spurii*, si uel maxime per rescriptum principis legitimati fuerint; (*b*) *feminæ*, nisi omnes masculi extincti fuerint (§. CCCCLXII.*) BESOLD p. III. *consil.* 113.

§. CCCCLXVI.

Quæ fideicommissa familiæ cessant (1) *extincta familia*, in cuius fauorem, aut (2) deficiente *conditione*, sub qua constituta sint; (3) *præscriptione*; (4) *renuntiatione*, factum tamen patris uix nocet liberis. Quibus modis ea cessent?

§. CCCCLXVII.

Hæc perpendens, quis non intelligit? fallere & falli *g*) eos, qui (1) pacta, bonorum extra familiam alienationem prohibentia, ex I. Rom. æstimari debere, atque (2) ab uno paciscentium reuocari posse statuunt; (3) qui in illis locum dant *iuri accrescendi*, (4) *legitimæ*, & (5) *detractioni ex SCto Trebelliano b*); (6) qui, pacto hoc inito, primum prædii auiti possessorem uocant heredem fiduciarium &c.

Hh 3 §.CCCCLXVIII

g) Ill. BOEHMER d. *de fundamento pactorum familiæ ad fideicommissa inclinantium* c. 1. §. 3.
b) STRYK *de S. A.* I. diss. VIII. c. 1. §. 6. Ill. BOEHMER c. d. c. II. §. 11.

§. CCCCLXVIII.

Bona maioratus

Fideicommiſſa perſonalia (§. CCCC LXIII.), ſicuti nominibus diſtinguuntur (§. eod. *), ita etiam ſucceſsionis ordine. Bona enim *maioratus* cedunt ei, qui gradu proximior, nulla lineæ ratione habita *i*), *ſenioratus* uero prædia illi, qui ætate reliquos ſuperat, ſit cuius uelit lineæ, cuius uelit gradus.

§. CCCCLXIX.

a primogenitura differunt.

Denique *primogenitur*-Güter * primogenito ** ita deferuntur, ut illius, & ex eo progenitorum, habita tamen lineæ, gradus, ſexus & ætatis ratione *k*), ſint in perpetuum.

* Ubi hæc bona uigent, poſtgenitis certa iura, certique reditus adſignantur, ut inde alimenta pro dignitate caperent. Veniunt ea *apanagii* nomine, ſuntque ad inſtar legitimæ germanicæ (§. CCCXCVIII.).

** Ubi non conſtat, quis primus inter gemellos, neque roboris, neque pulchritudinis, neque optionis paternæ habetur ratio, ſed res omnis ſorti committitur. SLEVOGT d. *de iure primogenituræ & maioratus* §. 8. HEILAND cit. d. ſect. 2. §. 12. ſeq.

§. CCCCLXX.

Quænam ſint notatu digna?

Illud denique notes uelim (1) quod in præ-

i) Com. de SOLMS d. *de maioratu*.

k) HEILAND d. *de ſucceſsione ſecundum ius primogenituræ* c. 3. §. 16. ſeq.

prædiis maioratus & ſenioratus ceſſet, in bonis uero ad primogenitum ſpectantibus obtineat, *ius repræſentationis;* (2) quod fideicommiſſa, & realia & perſonalia, diuidantur in *pactitia*, *legalia* & *teſtamentaria*, quia lege, & teſtamento idem, quod pacto ſtatui poteſt. Quorum differentia in eo eſt, quod pactitia, non uero legalia & teſtamentaria, tollere queat familia.

TIT. XXX.
DE
TESTAMENTIS.

§. CCCCLXXI.

*Teſtamentum** eſt actus, quo quis rite ſignificat, in quem, ſe mortuo, ſua bona translata uelit. Teſtamenta

* In diplomatibus & quarundam prouinciarum legibus dicitur ein Geſcheft, Gemecht, Satzung.

§. CCCCLXXII.

Teſtamenta priſcis germanis fuerunt incognita (§. CCCLXVIII.*) *l*). *Viſigothi* uero, *Oſtrogothi* aliique populi, ex quo in Romanorum prouincias tranſierunt, cœperunt teſtamenta condere; in uſum deduxit clerus.

Hh 4 quod

l) TACITVS *de M. G.* c. 20. HEINECCIVS c. l. §. 141. ſeq. & d. *de teſtamenti factione I. G. arctis limitibus circumſcripta* §. 9.

quod & *Francis* quibusdam placuit succedente tempore. Denique ubi clerus persuasit laicis: ecclesiæ datum, deo sanctisque datum esse, & donatori illiusque heredibus æternam salutem tribuere: principes, post ingenui, immo plebeiæ sortis homines ubique locorum cœperunt testari, ita *primum*, ut (1) animæ consuluisse contenti l. Rom. subtilitates spernerent *m*), (2) potestatemque de bonis suis testandi uariis limitibus ex iure patrio circumscriberent, *post* uero (3) hinc inde iuribus peregrinis mores patrios miscerent *n*).

§. CCCCLXXIII.

Unde hæc deriuo axiomata:

I. Nemo testari potest, qui, quid testamentum inuoluat, satis non intelligit.

II. Testator animæ prospicit & bona transfert.

III. Testamentum rite debet condi.

§. CCCCLXXIV.

Testator

Ex primo (§. pr.) sequitur, ut testari nequeant (1) *furiosi* (2) licet stupidi, simplicesque *o*); (3) *infantes*, (4) *impuberes* seu

m) KOPP. *de testam. germ.* §. 3. seq.
n) IDEM c. l. §. 12.
o) STRYK *de caut. testam.* c. 3. §. 25.

seu minores. Quia uero minorennitatis anni pro statutorum uarietate uariant (lib. I. §. XXII. & CCCCLXX.), alibi XVIII. *p*), alibi XX. a. *q*) nati demum testari possunt.

§. CCCCLXXV.

Quum ab initio omnia fere testamenta pro animae remedio ac ad pias causas conderentur (§. pr.), patebit facile, (1) cur testamenta, quae in diplomatibus saepe dicuntur liebster Wille, Seelen-Geräthe, & (2) olim *rectoris* arbitratu plerumque condebantur, ualuerint, licet (3) nullus heres in iis institutus fuerit; (4) cur plerisque testamentis *missae* fuerint institutae; (5) cur, si quid humani passus esset testator ante perfectionem testamenti, hoc illius cognati perficere ac adimplere non dubitauerint *r*); (6) cur in I.P. Alamannico *s*) dicatur: der Man sit in dem totbette, und schaffet siner kinde dink und sinez Wibez und siner Sele. animae prospicit

§. CCCCLXXVI.

Qui finis testamentorum non mutatus ui-

Hh 5

p) *Statut. Cellens.* ap. STRYK c.l. §. 66. *I. Hamburg.* III, 7, 13.

q) HVBER *praelect. ad ff.* I, 3. p. 27.

r) LVDWIG *reliqu. MSt.* Tom. IV. p. 63. 99. 147.

s) c. 55. ap. SCHILTER. *thesaur. antiqu. teuton.* Tom. II. p. 93.

uidetur hodie, quoniam (1) fere ubique formula: Meine Seele befehl ich GOtt ꝛc. teſtamentorum ſolemnis eſt; (2) alicubi teſtamenta ualent, quæ deſtituuntur heredis inſtitutione, neutiquam uero (3) ea, in quibus nihil ad pias cauſas relictum eſt *t*); (4) alicubi actui teſtandi parochus intereſſe ſolet *u*).

§. CCCCLXXVII.

de bona transfert

Quia bona transferuntur teſtamento (§. CCCCLXXIII, 2.), ad mores germanorum adſtricto (§. CCCCLXXII.): eosdem limites teſtamentis atque alienationibus in genere (§. LXII.) poſitos deprehendimus. Etenim (1) alicubi teſtari nequeunt (*a*) feminæ, niſi ſint mercatrices, aut ſolutis adſtet curator, coniugatis uero maritus *x*)*, (*b*) prodigi *y*); (2) nemo, niſi conſentiat is, cuius ius teſtamento interuertitur, poteſt de *feudis* (§. XC, 5.) *z*), reliquisque bonis, quorum dominus minus plenus eſt, itidem de *prædiis hereditariis*

---

t) *I.*[a]*Hamb.* III, 1, 21. *Statuta Zittau.* tit. von teſtamenten.

u) STRYK *de caut. teſtam.* c. XIII. §. 28. ſeq.

x) *I. Hamb.* I, 1, 13. ſeq.

y) *Ref. Nor.* III, 29. 2. §. It. die Verſchwender. St. Würzb. L. G. O. III, 39, 4. *I. Hamb.* III, 1, 15.

z) STRVV *iurispr. feud.* c. XIV. §. 12. 17.

is a) aut saltem *auitis b*) (§.CCCCLXII.*), bonis ad liberos *deuolutis* (§. CCCXCV.) *heergewetta c*), *gerada d*), *portione statutaria*, aliisue rebus **, quas lex *** uel pactum huic uel illi necessario relinqui iubet, testari ****.

* Quid? quod dantur loca, ubi ne *uiduabus* quidem testari licet, nisi hoc illis mariti præmortui permiserint. *I. Lub.* II, 1, 10. 14.

** Ac in Ducatu *Iuliacensi*, *Montensi*, *Frisia Orientali* aliisque locis, ubi niget ius recadentiæ, der Rückfall, (tit. XXII.) nemo testatus potest mori, cuius cognati adhuc uiuunt. *I. P. Ostfris.* II, 135. 154. HERT. *de collis. leg.* sect. IV. §. 26. & d. *de fratr. german. querel.* sect. II. §. 12.

*** Licet testator geradam, heergewettam, & alia ui legis certis personis relinquenda imminuere nequeat, ea tamen potest in hereditatis partem computare. BARTH Bericht von der Gerade p. 130.

**** Hinc feminam, quæ in loco, ubi ius geradicum ignoratur, testamentum condidit, seque postea in Saxoniam contulit, oportet uel testamentum mutare, uel pati, ut ratione geradæ infirmetur illud. BEIER *delin. iur. germ.* II, 15, 54.

§. CCCCLXXVIII.

Sic quoque (5) sicut olim spurii, ita ho-

a) Jülich. und Berg. R. O. c. 69.

b) *I. Hamb.* III, 1, 4. *Lubec.* I, 10, 6. *Mindens.* II, 1, 5.

c) RICHTER *de successs.* sect. III. m. 1. nr. 111. Barth von der Gerade c. 1. §. 25.

d) HOFFMANN *statut. loc.* von der Gerade c. 2. §. 137. c. 4 §. 315.

hodie hagenſtolzii (lib. I. §. CCCCXLI. ſeq.) & alibi nati* ſunt inteſtabiles; (6) alicubi immobilia per teſtamentum transferre *ſanis* tantum *uegetisque*** licet e), uel ſaltem ægrotis tunc demum permittitur, ſi heredes conſenſerint legitimi f); (7) quibusdam in locis immobilia per teſtamentum in eccleſiam g), uel clerum Rom. (§. LXII, 3.), transferri nequeunt.

* *Ius albinagii* (cuius nomen alii ab iis, qui trans *albim nati*, alii ab *Albanis* ſiue Scotis, ſed, me quidem iudice, inuita Minerua deriuant) in Germania quidem & Belgio non amplius uiget, notandum tamen eſt, quia illud Germani in Gallos quandoque retorquent. Conſiſtit autem in eo, quod fiſcus regius ea peregrinorum bona (lib. I, §. DI, 3.) uindicet ſibi, quæ in ſuo deprehenduntur territorio, mortis peregrini tempore. Ceſſat autem ius illud, ubi mortuus (1) uixit in loco ad id priuilegiato, ut peregrinorum quorumcunque ibi mortuorum bona exportare liceat; (2) illius fuit nationis, cui ex pacto, priuilegio aut conſuetudine competit immunitas; (3) peregrinans fuit. Vid. DV FRESNE *Gloſſ.* u. *Albanus.* BEYER *delin. I. Germ.* II, 12. DITHMAR d. *de iure albinagii.*

** Teſtamenta, quæ olim condebantur ſub dio ungehabt und ungeſtabt. KOPP *de teſtam. germa-*

e) *Ius Colon.* tit. von teſtamenten.

f) *I. P. Oſtfriſ.* II, 172. 197. 211. KETTLER *deciſ. Oſtfriſ.* cent. I. dec. 24. nr. 32.

g) KOPP c. tr. §. 7. p. 140. ſeq.

manor. iudic. & sub dio conditis uulgo ungehabt und ungestabt §. 10. p. 151. succedente tempore abrogata. Solm. L. R. p. II. tit. 23. §. 3. & in eorum locum testamenta ægrotorum substituta sunt.

§. CCCCLXXIX.

Modus testamentum condendi, sicut olim* non fuit unus idemque, ita nec hodie. *Alibi* enim testamenta non nisi coram iudice facta ualent *b*); *alibi* sufficit, si testaturus duos senatores secretariumque *i*), aut iis deficientibus zwey erbgesessene Bürger, alibi uero si parochum & 2. testes ** adhibuerit *k*), & denique *nullibi* fere prohiberis testamentum condere ad formam iuris cæsarei. Modi testamentum condendi &

* Olim testamenta uel *per adsignationem census*, uel *coram domino & iudice*, uel *per chartas sigillis munitas* condita fuisse, sicque actus testandi, legandi & donandi eodem plane modo atque alios actus inter uiuos celebratos esse, probare uoluit KOPP c. tr. §. 5. seq.

** Qui

b) *Ius Colon.* tit. von Testamenten und Vermächtnissen. *Francofurt.* ap. SENCKENBERG *select. iur. & histor.* Tom. I. p. 566.

i) *Hamburg.* III, 1, 1. 3. *Lubecens.* II, 1, 2. *Norimberg.* ap. LVDOVICI d. *de actuar. praes in actu testandi* §. 24. *Zittau.* tit. von Testamenten.

k) Ostfries. L. R. lib. II. art. 211. KETTLER *decis. Ostfris.* c. 24. KRIEGER *de testamento coram parocho & 2. uel 3. testibus facto.*

** Qui *I. Prou. Treuir.* ſcabini debent eſſe. Alibi 4. requiruntur ſcabini. HARPPRECHT *reſp. iur. crim. & ciu.* Vol. III. Reſp. 59. n. 96. KOPP c. tr. §. 11. p. 163.

§. CCCCLXXX.

Firmandi. Ne uel ipſe teſtator uel illius heredes teſtamenta ullo infringerent modo, antiquitus confirmata ſunt uel clauſula: *ſtipulatione ſubnixa*, uel *execrationibus l)*, uel *iuramentis*, uel *datis obſidibus m)*.

§. CCCCLXXXI.

Subſtitutionum nulla fit mentio, uel fieri potuit in uetuſtis ac medii æui LL. *Exheredationem* adoptaſſe Wiſigothos *n)*, & Longobardos *o)*; contra Saxones, aliosque germaniæ populos medio adhuc æuo ignoraſſe: tam certum eſt, quam quod certisſimum. Illud enim, quod I. P. Alem. legimus *p)*, unice ex I. Rom. deſumtum eſſe, nemo eſt qui dubitet.

§. CCCCLXXXII.

Quia teſtatori licet, uel mores germanorum uel iura Ro. ſequi (§. CCCCLXXIV.) notes uelim (1) unumquodque teſtamentum

l) STRYK d. *de execrationibus teſtator.*

m) KOPP. c. tr. §. 6. p. 138. ſeq.

n) III, 4, 7. IV, 5. 1. 2.

o) II, 14, 12. 23.

p) cap. 252.

tum ex principiis iftius iuris, quod teftator fecutus eft, & (2) conditum fecundum ftatuta, quibus iura Ro. admixta funt germanorum moribus, ita, ut quam minimum a patriis recedatur moribus, explicari debere.

TIT. XXXI.

DE SVCCESSORVM IVRIBVS ET OBLIGATIONE.

§. CCCCLXXXIII.

Quum adhuc de uarietate caufarum fuccesfionis actum fit, fupereft, ut de fucceſforis tam uniuerfalis quam particularis iuribus & obligatione quædam proferamus. Succeffor uniuerfalis

§. CCCCLXXXIV.

Succeffor uniuerfalis, qui *heres* audit, confequitur ea defuncti iura, quæ neque perfonalia funt neque defuncto competierunt ex pacto maiorum, fibi heredi contrario. Sic quoque non confequitur bona, quæ ab hereditate feparari, & certis perfonis tradi iubet fingularis legis difpofitio. heres

§. CCCCLXXXV.

Heredis eft (1) iufta mortuo facere. Quare intra tricefimum* neque familiæ her- defuncti fepulturam curare, &

herciſcundæ neque alia actione conueniri, aut ad actum publicationis teſtamenti citari poteſt *p*).

¹ De pœna, quæ immineat iis, qui intra 30. d. heredis quietem, curamue ſuſceptam de iuſtis mortuo faciendis, turbant, non omnino conſtat. HORN d. *de die triceſimo* §. 50. ſeq.

§. CCCCLXXXVI.

facta præſtare tenetur

Heredis porro eſt (2) facta, quibus defunctus hereditatem grauare uoluit, potuitque *q*), præſtare. Unde immunis eſt a præſtatione factorum imperfectorum *r*), illicitorum *s*).

§. CCCCLXXXVII.

Sic quoque non eſt, cur præſtet facta, rem ab hereditate ſeparandam adficientia, aut ſeruet auitorum bonorum oppignorationem, alienationem locationemue *t*), in quam ipſe non conſenſit.

§. CCCCLXXXVIII.

ad uires usque hereditatis.

Nihil autem factorum præſtat ultra uires hereditatis *u*). De quibus ut conſtet, *uel* inuentarium ſolemniter confectum ede-

p) *I. P. S.* I, 20. 22. III, 15. *Alamann.* c. 261. *Ius Lubec.* II. art. 27. ibique MEVIUS.
q) *Capitul. R. Franc.* VII, 246. ſeq.
r) *I. P. S.* I, 10.
s) *I. P. S.* I, 6. *Sueu.* c. 255.
t) *I. P. S.* III, 77.
u) *L. Wiſig.* VII, 5. 8. *I. P. A.* c. 356. Obſt. *L. Ripuar.* LXVII, 1.

edere, *uel* repertorium priuatim confe-
ctum iureiurando confirmare debet *y*).

* Olim defcendens ultra uires rerum mobilium non tenebatur. *I. P. S.* I, 6.

§. CCCCLXXXIX.

Succeffor fingularis a cura funeris immunis eft, nec expungit deceſſoris *nomina*, nifi iftarum reium, in quas fuccesfit, intuitu contracta. Quod ad reliqua, in fubfidium tenetur, fi fucceſſerit ex fpeciali legis difpofitione, nec ex pacto & prouidentia maiorum. Obligatio fucceff. fingul. fpeciatim

§. CCCCXC.

Succeffor feudalis, cui, inuitis etiam allodialibus heredibus, licet poffesfionem apprehendere, (1) *feudalia debita* foluere (§. pr.) *z*), (2) heredibus allodialibus defuncti *meliorationes* *, fi quæ in rem feudi perpetuam factæ, reftituere, atque (3) filiabus *dotem*, uiduæ uero *dotalitium* præftare tenetur. feudalis

* In Sax. meliorationes in ædificia factas heredes allodiales repetere nequeunt.

§. CCCCXCI.

Frater in fratris bona fuccedens præftare debet ea, quæ deceffor faluo confra- ex confraternitate &

y) SCHILTER *exerc.* XXXIII, 151.
z) MVLLERI d. *de are alieno a fucceſſoribus feudi foluendo.*

fraternitatis pacto, & salua natura saluisque iuribus rerum, quarum intuitu confraternitas inita est, promittere potuit uoluitque. Unde, si super feudo confraternitas inita, frater succedens ea tantum præstare tenetur, ad quæ successor feudalis obligatus est (§. pr. 2. 3.), nisi adhuc ad alia pacto se obligauerit *a*).

§. CCCCXCII.

ganerbinatus pacto, Successor in ganerbinatus, fideicommissa familiæ, speciatim maioratus, primogenitur-Güter ꝛc. ad ea tantum præstanda obligatus est, quæ (1) exigit natura prædiorum, quibus, & (2) quæ denominat lex, consuetudo, hominis dispositio aut ultima uoluntas, qua hæc uel illa qualitas data est.

§. CCCCXCIII.

succ. in heerg. Is, cui heergewetta delata est, hanc nonnisi trigesimo præterlapso petere potest, & si eam consequutus fuerit, quæuis nomina illius intuitu contracta, reliqua uero, si deficiant res hereditariæ, expungere tenetur (§. CCCCLXXXIX.).

§. CCCCXCIV.

Idem dicendum est de obligatione success...

a) CARPZOV *de pacto confratern. Sax. Hass.* c. 2. §. 44.

ceſſoris in *geradam b*), niſi quod (*a*) marito idem illud incumbat atque heredi (§.CCCCXXVI *); (*b*) ante 30. ad extradendas claues agere liceat *c*).

§. CCCCXCV.

Vidua poſt 30. *dotalitium* occupare poteſt, & *cibaria*, dummodo rerum occupatarum iuratam edat ſpecificationem.

TIT. XXXII.

DE ACQVIRENDA VEL OMITTENDA HEREDITATE.

§. CCCCXCVI.

Hereditas (1) *acquiri* poteſt furioſo *d*), & impuberi, nec non (2) abſenti per procuratorem ſpeciali mandato inſtructum; (3) *non adita*, de qua repudiata non conſtat, ad quoſuis heredes *transmittitur* *. Hereditatis

* COLER *deciſ.* 68. nr. 12. Apud Wiſigothos liberi recens nati hereditatem ſibi debitam in parentem ſuperſtitem transmittere non poterant, niſi diem uitæ decimum ſuperaſſent. *L Wiſig.* IV, 2, 2; apud Alamannos contra ſufficiebat, infantem uel unam horam uixiſſe, oculosque apertos habuiſſe. *I.P.A.* c. 273.

b) BARTH von der Gerade c. 1. §. 4. *c*) c. 7. §. 4. MODEST. PISTOR p. I. q. 32. nr. 1.
c) *gl* ad *Weichb.* art 23.
d) MEVIUS *p.* IV. *dec.* 112.

§. CCCCXCVII.

a rebus aliis separandæ

Qui ſimul ad rem *allodialem & feudalem* ſeu aliam, cuius alius eſt dominus ſuperior, aut ad *hereditatem & heergewettam* ſeu *geradam*, uocatur, poteſt hanc petere & illi renuntiare (§. CCCCXXVII, 2.), niſi a defuncto deſcendat, ſitque illius heres neceſſarius *e*).

§. CCCCXCVIII.

præſcriptio.

Hereditas ex rebus *mobilibus* conſtans, itidem gerada & heergewetta intra annum & diem præſcribuntur *. Hereditatis uero ex rebus *immobilibus* conſtantis præſcriptio non eſt ubique eadem. Olim I Sax. ſi per 30. annos, annum & diem, ea non eſſet adita, heres habebatur mortuus, & fiſcus occupabat illam *f*).

* Contra hereditatem præſcribi poſſe negat *I. P. A.* c. 270.

TIT. XXXIII.

DE HEREDITATE DIVIDENDA.

§. CCCCXCIX.

Hereditatem

Separatione feudi ab *allodio*, porro (2) rerum expeditoriarum (§. CCCCXII.) uten-

e) HORN. *iurispr. feud.* c. XVI. §. 24. STRVV *iurispr. feud.* c. XIV. §. 8.

f) *I. P. S. I*, 28. ſeq.

utensilium (§.CCCCXXI. seq.), morgengabicarum (§.CCCCVI.), comestibilium (§.CCCCVIII.) & mobilium (§. CCCCIII.*) a *hereditate* facta, & (3) *ære alieno* non minus ac *præcipuo*, si quid lex, mos regionis, pactum uel testamentum alicui adsignauerit, detracto: bona eiusdem generis, si a pluribus eodem iure petantur, diuiduntur.

§. D.

Nimirum facta collatione bonorum, si quæ istius generis, cuius sunt iam diuidenda, unus & alter coheredum ex beneficio defuncti iam acceperit*, hereditatem natu maior in tot partes diuidit, quot sunt heredes; ex constitutis uero partem, quam uult, minor eligit, secundum illud: Der Aelteste theilet, der Jüngste wehlet. diuidit

* Quodsi uero collationem remittere uoluerit, potueritque defunctus, aliud dicendum est.

§. DI.

Hereditatem diuidit maior natu, nulla sexus *g*), aut heredum numeri *b*) habita ratione. natu maior, &

g) EYBEN *elect. feudal.* c. IX. §. 5.

b) *Spec. Sueu.* c. 266. *Weichb.* art. 26. *gl.* ad *I.F. S.* c. 32. nr. 5.

§. DII.

minor eligit.

Minor natu eligit, si uel maxime cum maioris natu concurrat descendentibus. Si uero nepotes neptesue ex maiore & minore inter se concurrant, istorum ipsorum aetas attenditur *i*). Ius enim optionis, tanquam personalissimum, ad heredes non transmittitur *k*).

§. DIII.

Res indiuiduae.

Bona, quae diuidi nequeunt, *uel* alienantur & pretium inde redactum inter heredes diuiditur, *uel* adsignantur ei, quem sors lexue denominauit. Quandoque heredes alternando utuntur fruuntur re diuidi nescia *l*).

§. DIV.

Feudorum diuisio.

Diuidi etiam possunt *feuda*, tam regalia * quam non regalia, dummodo exceperis (*a*) electoratus, (*b*) principatus, comitatusque iuri primogeniturae uel regimini alternatiuo Mutschierung obnoxios. Etiam minori ius optionis in feudalibus competere, quod aliqui negant *m*), luculenter docuit ill. BVDERVS *n*).

* Olim

i) BEYER d. *de prouerbio:* maior diuidit, minor eligit. c. 2. §. 9.

k) CARPZOV. III, 15, 12. seq.

l) HOFFMANN *de iure rerum indiuiduarum.*

m) ap. SCHNADERBACH. d. *an optioni minoris in feudalibus locus sit.*

n) *amoen. I. Feud.* in. 22.

* Olim feuda regalia, essent, cuius uelint generis' erant indiuidua *I. F. S* c. 16. SCHILTER ad *I. F. A.* c. 42. ITTER *de feudis. imper.* c. 12.

§. DV.

Hodie (1) in *Saxonia* quidem, praesertim *Electorali o)*, ducatu *Coburgico p)*, ciuitate *Mindensi q)*, & quibusdam locis aliis *r)*, ius optionis minori natu competit, non tamen ubi tres pluresue sunt heredes *s)*, & (2) in ducatu *Brunsuigo-Guelpherbytano* non nisi quod ad praedia rustica, Acker-Höfe *t)* obtinet. (3) Denique *I. Lubecensi u)*, & *Culmensi x)* hoc dispositum est, ut qui primus ad diuisionem prouocauit, masculus sit an femina, senior an iunior, rem aestimet, & alteri det ius optandi rem uel pretium. Usus hodiernus.

§. DVI.

Cum hoc optionis iure quodammodo conueniunt (1) ius petendi Kührgeld ad

o) *Const El.* 15. p. III.
p) S. Coburg. L. O. tit. 33.
q) *Ius Mind* II, 2, 23.
r) GAIL II, 116. MYNSINGER IV, 37. GISEBERTVS *peric. statut. harmon.* p. II. art. 37. nr. 333. BETSIVS *de statut. pactis & consuet. famil. illustr.* c. 4. § 10. seq.
s) BEYER *delin. I. Germ.* II, 13, 12.
t) BEYER c. l §. 6.
u) III, 13, 1. ibique MEVIVS.
x) III, 10, 13.

minorem natu pertinens *y*); in Frisia Orientali, fratri minori sedes paterna præ maioribus natu possidenda datur *z*).

TIT. XXXIV.
DE
HEREDITATE IN ALIVM LOCVM TRANSFERENDA.

§. DVII.

Census detractus

Gabella est certa pars transportandorum bonorum illi præstanda, cui ex bonis nondum exportatis ius erat collecta petendi*; atque mox *census detractus* Abzuggeld, mox *census emigrationis* Nachsteuer dicitur, prout scilicet ab herede extraneo, aut ab emigrante transportantur bona.

* Hic census nititur uniuersali fere germaniæ consuetudine, & adprobatus est *R. I.* 1555. §. 24. 1594. §. 82.

§. DVIII.

Unde prono alueo fluunt sequentia:

I. Cuius est collectare, illius quoque est gabellam exigere.

II. Cen-

y) PHILIPPI *de subbast.* c. 4. comm. 14. p. 368. seq.

z) WICHT d. *de origine & causa statuti Ostfrisici, quo fratri minori sedes paterna præ maioribus natu possidenda in successione relinquitur.*

II. Census detractus soluitur ab herede; census emigrationis uero ab emigrante bona tributaria transferente.

§. DIX.

Ex primo (§. pr. 1.) colligo, (1) *dominum iurisdictionis* tam ciuilis *a*), quam criminalis *b*), nonnisi priuilegio, præscriptione aut moribus regionis munitum, (2) sed regulariter *dominum* illius *territorii*, in quo bona, in alium locum transferenda, sita sunt, iis partem detrahere posse; (3) gabellam, si qua de nominibus detrahenda, cedere domino iuris collectandi in domicilio defuncti *c*); (4) fieri posse, ut bona ab uno ciuitatis uel loci angulo ad alium transferens, gabellam debeat. **domino iuris collectandi**

§. DX.

Ex secundo (§. DVIII, 2.) discimus (1) *heredem* uel *legatarium extraneum* huius & illius ordinis *d*) debitorem census detractus esse, non tamen (2) intuitu familiæ nondum diuisæ, uel diuisæ sed plane non transferendæ *e*); (3) *emigrantem* **intuitu bonorum tributariorum iam transferendorum,**

Ii 5 dum

a) Diss. MEICHSNER Tom. II. lib. I. dec. 8.

b) Diss. COTHMANN R. 19. nr. 11. SCHEPLITZ *consuet March.* III, 8, 25 nr. 47.

c) IO. IOD. BECK vom Abschoß und Nachst. c. VII. obs. 10.

d) SCHEPLITZ c. l. q. 1. nr. 7. 8.

e) KOEPPEN *decis.* 5. *nr.* 10.

dum bona tributaria transfert, censum emigrationis debere, emigret ex necessitate *f*) an ex libera uoluntate, ex causa religionis *g*) an ex alia.

* Ex priuilegio tamen immunes sunt *assessores iudicii aulici* R. Hof-R. Ordn. Ferdinandi III. de A. 1654. tit. 1. & *cameralis*, quibus uulgo adduntur *consiliarii, ecclesiæ, clerici* V. LVDOLFF *obs. for.* 169 *studiosi &c.* De eo, quod huc referendi sint domuum priuilegiatarum possessores, ut statuit BECK vom Abschoß und Nachst. p. 57. non leue mihi resídet dubium.

§. DXI.

Notes præterea (4) quod nulla gabella præstetur, (*a*) ratione *bibliothecæ*, (*b*) *instrumentorum rusticorum*, (*c*) *sortis*, quam testator extraneo credidit *h*), & denique (*d*) omnium *mobilium*, si ea transferantur ex loco, ubi exulat die Vermögen-Steuer; quodque (5) censum emigrationis soluere non teneatur ciuis u. c. Ienensis, qui Vinariæ conduxit bona immobilia, & præterlapso conductionis tempore huc redit.

§. DXII.

debetur pro uarietate locorum uarius.

Quantitas gabellæ, alicubi pars est bonorum centesima, alibi quinquagesima, ui-

f) BEYER c. l. §. 23.

g) *I. P.* art. V. §. 12. SIMON d. *de iuribus emigrandi* c. 7. th. 2.

h) RAVCHBAR lib. I. q. 17.

uicesima alibi, alibi decima *i*), alibi alia *k*). Atque in ea computanda respicitur ad pretium, quod *uel* ex bonis tributariis redactum, *uel*, ubi res non uenit, iurato *l*) determinarunt periti uel rem translaturus.

§. DXIII.

Gabella hodie non ubique uiget *m*), & in locis, ubi recepta, sæpe pactis uicinorum determinata est *n*), uel adhuc determinatur *literis reuersalibus*.

§. DXIV.

Media, quibus gabella petitur, sunt uel *ordinaria* uel *extraordinaria*. Ad *illa* pertinent (1) condictio ex statuto, priuilegio uel moribus, (2) actio confessoria utilis; ad *hæc* uero (1) mulcta, (2) arrestum tam personale quam reale *o*). **Media illum petendi.**

§. DXV.

Opponere autem potest gabellæ debitor (1) exceptionem *compensationis*, (2) *deficientis consuetudinis*, (3) *pacti de non petendo* (§. DXIII.), (4) *immunitatis*, (5) *præscriptionis*. **Exceptiones.**

LIB.

i) *O. P. Anhalt.* tit. 24. ZEPPER ad *O. P. A.* tit. 18. p. 196.
k) BEYER *delin. I. G.* I, 20, 17.
l) BECK c. l. c. VIII. *obs.* 2.
m) BEYER c. l. § 30.
n) THOMASIUS d. *de iure detract.* §. 20. seq. 27. seq.
o) *R. I.* 1594. §. 82.

LIB. III.

DE
IVRIBVS CONTRACTVVM.

TIT. I.
DE
CONVENTIONIBVS.

§. I.

Conuentiones

Conuentio eſt duorum pluriumue conſenſus * in idem placitum.

* Qui ubi nondum ſatis declaratus eſt, ceſſat conuentio. vid. MVLLER d. *de minutis* oder von punctationen.

§. II.

principales ſubdiuiduntur

Prouti conuentiones uel per ſe ſubſiſtunt, uel conſtitutæ iam obligationi accedunt: in *principales* & *acceſſorias* diuiduntur.

§. III.

in beneficas & onerofas.

Principales iterum in *beneficas* & *onerofas* non immerito diuidit THOMASIVS *a*), *onerofas* uocans, quibus mutuæ præſtationes promittuntur, *lucratiuas* uero, quibus nobis ab alio gratis aliquid dari fieriue ſtipulamur.

§. IV.

a) *ad Inſtit.* p. 211.

§. IV.

De conuentionibus hæc notes axiomata:

I. Omnis conuentio nititur consensu.

II. Pacta fieri debent de rebus & factis nostræ potestati & arbitrio relictis *b*).

III. Pactum deliberatum obligat, sancteque seruandum est.

§. V.

Omnis conuentio, quæ consensu uel puro

Ex primo (§. pr.) sequitur, (1) ut, qui consentire nequeunt, nec contrahere possint; (2) ut contractus eorum, quorum intellectus immaturus est, non ualeant, nisi iusto & legitimo consilio sint suffulti. Hinc (α) *minores* ex contractibus, quos sine tutorum consensu inierunt, non obligantur, nisi (*a*) in quantum locupletiores facti sunt, aut (*b*) dolum commiserunt (lib. I. §. CCCCLXVI, 3.); (β) *feminæ*, quæ curatoribus inuitis & dissentientibus contraxerunt, se aliis certo tantum modo obligant (lib. I. §. CCCC LXXVIII, 2.); (3) ut, ubi consensus est dubius, imperfectus, & nihil certi definiens, aut ab errante, ebrio, irato, iocante, simulanteue declaratus, aut iniusta ui

b) *L. Wisigoth.* II, 5, 7.

ui *c*), dolo malo metuue extortus *d*), cesset conuentio; (4) ut promissa, quæ sic dicuntur, ut iactentur, non obligent *e*), secundum illud: Ehren=Worte binden nicht *f*); (5) ut tam singuli, quam morali aliquo uinculo inter se coniuncti homines (*a*) ipsi & per alios (*b*) uerbis & factis contrahere possint; (6) ut solo consensu perficiatur, nec instrumentis *g*), aut rerum traditione ad perfectionem suam indigeat.

§. VI.

uel conditionato nititur, &

Consensus modo purus modo conditionatus est. Hic in purum transit, ubi (*a*) conditio existit uel adimpletur, aut (*b*) remittitur, uel (*c*) quo minus adimpleatur, impeditur ab eo, in cuius fauorem addita. Quod contractus initus sub conditione, hac deficiente, effectu suo destituatur, tralatitium est.

§. VII.

de rebus factisque nostræ potestati relictis inita est,

Quia pacta fieri debent de rebus & factis nostræ potestati & arbitrio relictis (§. IV, 2.) diiudicatu erit facile, (1) cur *filius*

c) *I. P. S.* III, 41. *Sueu.* c. 343.
d) *L. Wisigoth.* II, 5, 5. 8. V, 4. 1. 3. *I. P. S.* III, 41. *Sueu.* c. 343.
e) SCHOEPFFERI d. *de uerbis honoris.* c. 6.
f) HERT. lib. I. *par.* 10. PISTOR *cent.* 3. *par.* 71.
g) IMHOFF d. *annon omnes contractus iuxta usum fori germanici sint consensuales.*

us iuſtæ ætatis, aut minorennis adſtante curatore, de rebus ſuis cum patre conuenire poſsit (lib. I §. CCCIII, 7.); (2) cur *homo proprius* de prædiis, a domino ſibi datis, ſine huius conſenſu paciſci nequeat (lib. I. §. XLVII.); (3) cur alium promisſione tua obſtringere nequeas, (4) pro alio tamen promiſſum, cui factum proprium implicatum eſt, ſeruare debeas *b*); (5) cur ualide conueniri nequeat (*a*) de re, quæ extra commercium eſt, (*b*) de facto imposſibili, turpi, eoue, quo ius alteri quæſitum interuertitur.

§. VIII.

Quia pactum deliberatum obligat (§. IV, 3.) mores (1) ex eo dant & *actionem** & *exceptionem*, (2) negant locum *pœnitentiæ* eſſe *i*), aut (3) promittentem ſemper liberari poſſe præſtando id, quod intereſt. ſeruari debet

* Hæc in bonis eſſe, atque ad heredes & contra heredes transmitti dicitur.

§. IX.

Pacti cuiusdam religionem uiolare, maiores noſtri cum perpetua infamia coniunctum habuerunt *k*). Ex quo uero gentium germanicarum quædam in Roma- ſancte.

b) HEINECCIVS c. l. § 347.

i) HERT. lib. I. *par.* 8 *I. P. S.* I, 7. *Sueu.* c. 259.

k) TACITVS *de M. G.* c. 24. *Annal.* XIII, 54.

manorum prouincias abierunt, apud eas illud inualuit, ut pacta conuenta *uel* in scripturam * redigerentur, quae annum & diem contineret, essetque firmata paciscentium testiumque signis, *uel* symposio, arrha *l*), dextra *m*), stipulis e manu eiectis *n*), alioue solemniori ritu firmarentur *o*). Denique, ubi fides gallica mores corrupit germanorum, conuentionibus accesserunt *iuramenta*, *lex obstagii*, *instrumentum guarentigiatum*, *promissio soluendi sub infamia*, *imprecationes* ** &c. Unde nata est conuentionum diuisio in *simplices & firmatas*, in *principales & accessorias* (§ II.).

* Hanc strictissimae interpretationis esse, nemo ignorat.

** Quae omnia sequuntur uim & iura conuentionum, quibus accesserunt; propiereaque simul cum his corruunt.

§. X.

Conuentio, tam simplex quam firmata, intelligitur *rebus sic stantibus* inita. Hinc ab obligatione liber & immunis est, sine cuius culpa mutata est illa rerum facies, qua ductus conuenit.

§. XI.

l) *L. Baiuu* XV, 10. *L. P. Sueu.* c. 247. §. 2.
m) *Capit.* VI, 228.
n) *Capit.* VI, 285.
o) EVER. OTTO *Iurispr. symb.* exerc. 2. c. 10. HEINECCIVS c. l. §. 335.

§. XI.

Species pactorum est *transactio*, qua res dubia utriusque litigantis consensu, dato aliquo uel retento uel promisso deciditur. Transactioni

§. XII.

Transigere licet (1) de rebus omnibus, de quibus honeste paciscimur, (2) de negotiis, quae ratione iuris uix incerta sunt, u. c. de re iudicata *p*); sufficit enim, euentum adhuc lubricum esse *q*). quando fit locus?

TIT. II.

DE MVTVO.

§. XIII.

Mutuum* est contractus (§. I.), quo res fungibilis (lib. II. § LI.) ea datur lege, ut fiat accipientis, & tantundem quandoque in eodem genere restituatur. Mutuum, quod a

* Antiquis temporibus, quibus magna erat penuria pecuniae, non adeo frequens fuit hic contractus. Unde in plerisque ueteribus germanorum legibus uel nulla uel rara huius contractus mentio.

§. XIV.

p) STRYK *V. m. ff.* II, 15, 7.

q) THOMAS. ibid. p. 65.

§. XIV.

promisso mutui differt,

Quum ex quolibet pacto deliberato nascatur obligatio (§. IV, 3.), constat, cur, qui mutuum promisit, illud præstare, is uero, cui promissum est, illud accipere teneatur *r*).

§. XV.

Unde hæc deriuo axiomata:

I. Res mutuo data fit accipientis.

II. Creditori debitor obligatur ad tantundem in eodem genere restituendum.

§. XVI.

est alienatio

Ex primo (§. pr.), ni fallor, sequitur, (1) ut mutuum consistat alienatione; (2) ut ei tantum mutuum dare liceat, qui potest alienare; (3) ut numi alieni mutuo dari nequeant; (4) ut debitor re sibi credita abuti possit (lib. II. §. LIV, 3. LXI.).

§. XVII.

obligans debitorem, ut quandoque restituat

Quia creditori debitor ad tantundem in eodem genere restituendum obligatur (§. XV, 2.): sequitur, (1) ut ille tantum quem nihil impedit, quo minus alii se obliget (§. V, 1. 2.), possit res accipere mutuas, & quidem (2) fungibiles, neuti-

r) *I. P. S. I, 7. Sueu. c. 12.*

tiquam uero illas, quæ ad qualitatem differunt.

§. XVIII.

Tantundem creditori restituere debet debitor (§. XV, 2.). *Numi* uero debiti in quouis monetæ genere restitui queunt* *s*), nisi partes de certo conuenerint. Quo casu aliud substitui nequit *t*), nisi promissum plane deficiat *u*). **tantundem,**

* Id quod tamen secus est *I. Hamb.* III, 1, 9. quo mutuum in numis aureis & imperialibus sumtum, in iisdem restituendum est, si uel maxime nihil conuentum fuerit.

§. XIX.

Si numis mutuo datis aliud pretium statuatur succedente tempore, atque fuit die contractus: debitor mox eiusdem tantum nominis & qualitatis, mox eiusdem nominis, qualitatis & numeri numos soluere tenetur, prout nimirum de iisdem numis aut eorundem numorum numero conuentum fuit mutui dati tempore *x*).

s) THOMASII d. *de mutuo* §. 45. CARPZOV. II, 29, 1. seq.

t) *Ord. monet. Ferdin.* 1559. §. die ietzt gemeldte ꝛc. Nieder-Sächs. Müntz-Ed 1568. BOCER *de iure monetandi.*

u) LUDOLFF *obs. for.* contin. p. 366.

x) PFENNIGK tr. *de rei numariæ mutatione & augmento* lib. II. c. 6.

§. XX.

& interim soluat usuras

Donec pecunia mutuo data restituatur, debentur *usuræ*, siue promissæ fuerint, siue non * *y*). Plerumque tamen, ut lites euitentur, chirographo solent inseri uerba: gegen landübliche Zinsen.

* Hinc mutuum gratuitum, Geld so keine Renten gibt, non præsumitur *I. Lubec.* p. III. tit. 1. art. 12.

§. XXI.

legitimas.

Usurarum quantitas Sec. XIII-XV. arbitraria & sæpe magna fuit. An *quincunces* legibus imperii fuerint definitæ nec ne? nostris temporibus disputatum est. Illud scio, quod (1) diuersarum prouinciarum LL. non easdem determinent, atque (2) maiores, quam lege prouinciali permittuntur, usuras, u. c. centesimas, sibi stipulari possit creditor, magnum periculum in se suscipiens.

TIT. III.

DE

BODMERIA.

§. XXII.

Bodmeria

Bodmeria* est conuentio, qua nauis patrono aliquid creditur hac lege, ut il-

y) *R. I.* 1600. §. So viel nun &c.

illud, si carina nauis salua redierit, cum magno restituat fœnore.

* Bodmeriam satis antiquam, & in germania una cum negotiationibus maritimis natam esse, patet ex *Iure Wisbyensi* art. 40.

§. XXIII.

Unde has deduco regulas:

I. Bodmeria est species mutui.

II. Creditor periculum carinæ in se suscipit, propereaque

III. magnas usuras exigit.

IV. Creditum & usuræ debentur, ubi carina nauis rediit.

§. XXIV.

est mutuum, quo

Ex prima (§. pr.) satis perspicuum esse puto, (1) bodmeriam speciem alienationis esse; (2) debitorem pecunia, sibi in carinam nauis credita, abuti posse, & (3) tantundem restituere debere, quantum accepit (§. XVI.); (4) magistros nauium nonnisi exercitorum, si præsentes sint, consensu, uel, iis absentibus, urgente necessitate z)*, contractum bodmeriæ celebrare posse, & (5) si sic celebrauerint, inde obligari nauis dominos, si uel ma-

z) STYPMANN *iur. maritim.* p. III. c. 5. nr. 70. seq. *I. Naut. Hans.* art. 6. §. 2. *Wohlinstruirter* Schiffer sect. 2. c. 3. §. 4. seq.

xime pecunia mutuo sumta in eorum rem non fuerit uersa *a*).

* Qui secus faciunt, & dolo malo sumunt pecuniam sub lege bodmeriæ mutuam, ipsi tenentur; &, si plus sumserint mutuo, quam nauis, illius armamenta, & merces debita ualent, infamia notantur *I. Hamb* II, 18, 3. 4. immo quandoque pœna corporis adflictiua uel capitali adficiuntur. *Ius Naut. Hans.* tit. VI. §. 3.

§. XXV.

creditor, qui periculum carinæ in se suscipit,

Quia creditor periculum carinæ in se suscipit (§ XXIII, 2.) (1) constabit de ratione parœmiæ: Wer Geld auf Bodmerey gibt, laufft risico *b*). Sciendum autem est, creditorem non omne periculum, sed illud tantum, quod carina nauis incurrit, & inopinatum est, in se suscipere solere. Itaque (*a*) fert damnum naui, illiusue carinæ, tempestate, scopulis, pyratarum incursibus &c. datum *c*), neutiquam uero (*b*) quod patronus nauis sibi conciliauit ipse, dum u. c. *uectigal fraudauit*, *illicitas merces ad traiiciendum adsumsit*, *cursum mutauit &c. d*). Sic quoque (*c*) iactu facto in partem damni non uenit pecunia sub lege bodmeriæ credita, se-

a) Wohlinstruirter Schiffer c. l. §. 11.
b) PISTOR. *cent.* 1. *parœm.* 13.
c) STYPMANN c. tr. IV, 2, 102. seq.
d) LOCCENIVS *de iure marit.* lib. II. c. 6. §. 9.

fecundum illud.: Von Bodmerey gibt man keine Haverey (lib. II. §. CCVII, 4.) *e*).

§. XXVI.

Ex eadem regula caufam colligo, (2) cur licet, naue fine domini aut guberna toris culpa (§.pr.) intercepta, pereat creditum *f*), debitor tamen iura fua in na ue cedere debeat creditori *g*). & carina pereunte creditum fuum perdit,

§. XXVII.

Caufa, cur creditor magnas ufuras exigere posfit, fufceptio eft carinæ nauis periculi (§. XXIII, 3.). Hinc ceffante periculo u. c. carina in portum quo tendit adpellente, non poteft non maiorum ufurarum curfus fifti. magnas ufuras exigere poteft

§. XXVIII.

Ad quartam regulam (§. XXIII, 4.) notes, debitori, ad expungendum nomen & ufuras, quas promifit, foluendas dari obligato XX. d. inducias *h*), quæ tamen non impediunt, quo minus creditor nauim arrefto oneret. carina redeunte foluendas.

Kk 4 §. XXIX.

e) PISTOR. *cent. 4. par. 2.*

f) *I. Hamb.* II, 18, 7.

g) *I. Hamb.* c. l. §. 6. LYNCKER d. *de bodmeria* th. 22.

h) SCHOTTEL *de antiqu. in german. iuribus* c. 22. §. 8.

§. XXIX.

Qu. An. bodmeria creditori ius pignoris tribuat?

Qui ſub lege bodmeriæ pecuniam credidit (1) alicubi gaudet iure in carina nauis *i*), propterea que contra quemuis illius poſſeſſorem agere* poteſt *k*); (2) ubique omnibus chirographariis præfertur *l*), (3) poſtponitur tamen iis, qui ad conſtruendam nauim pecuniam crediderunt. Unde in prouerbium ceſſit: ein Bol-Brief geht vor dem Bodmerey-Brief *m*). Si plures concurrunt, qui ſub lege bodmeriæ crediderunt, poſteriores prioribus præferuntur, ſecundum illud: Der iüngſte Bodmerey-Brief geht dem älteſten vor *n*).

* Cui actioni alibi anno Preuſ. See-R. c. 7. art. 18. alibi 6. menſ. præſcribitur Dän. See-R. c. 5. art. 8.

§. XXX.

Cautiones.

Caueat creditor (1) ut magiſtro nauis maiorem ſummam pecuniæ credat, ac conſtant armamenta nauis, illiusque merces; & (2) ſi coexercitor, quanti ualet pars nauis ad illum pertinens.

TIT.

i) STYPMANN c. l. III, 5, 55. ſeq.
k) Wisbyſches See-R. art. 40. Dän. See-R. c. 5. art. 8. Preuſ. See-R. c. 7. art. 18.
l) STYPMANN c. l. nr. 59.
m) PISTOR. *cent.* 3. *par.* 33.
n) IDEM *cent.* 4. *parœm.* 3.

TIT. IV.

DE COMMODATO.

§. XXXI.

Commodatum* est contractus, quo quis rem suam alicui gratis utendam concedit, hac lege, ut eam finito usu restituat. Commodatum

* Hoc & mutuum, sicut communi nomine a germanis uocantur, ita sæpe in antiquis LL. inter se confunduntur.

§. XXXII.

Itaque commodans (1) manet rei commodatæ *dominus*, (2) illiusque *casum* sentit, cui commodatarii dolus culpaue non præcessit *o*). Non tamen (3) actionem uindicatoriam contra tertium siue b. siue m. f. possessorem *p*) instituere potest. Dicunt enim Germani: Hand muß Hand wahren *q*). dans manet dominus

§. XXXIII.

Quæ paroemia hodie in Saxonia *r*) destituitur usu, Hamburgi *s*) uero, Lube- nec tamen uindicat.

Kk 5 cæ

o) *L. Fris.* ad d. XI. *Wisigoth.* V, 5, 1. 2. 5.

p) *I. P. S.* III, 22.

q) HERT. *lib.* I. *par.* 18. PISTOR. *cent.* V. *par.* 70.

r) SCHULTZ *Synop. Institut.* III, 15.

s) II, 2, 7.

cæ *t*), immo omnibus locis ubi I. Lub. uiuitur, adhuc obtinet *u*), ſed ſub aliqua reſtrictione. Commodanti enim facultatem rem commodatam a tertio poſſeſſore uindicandi Lubecenſes dant, ſi pretium refundere uelit; *Hamburgenſes* uero, ſi tertius poſſeſſor in m. f. ſit.

§. XXXIV.

Commodatarii obligatio. Commodatarius debet finito uſu *rem integram x*) reſtituere, *damnum* culpa datum reſarcire *y*), neutiquam uero *caſum** præſtare, niſi re contra commodantis uoluntatem fuerit uſus *z*), aut eum in ſe ſuſceperit.

* Olim mortuo animali, quod quis commodato acceperat, illius corium commodanti reddere tenebatur, *L. Baiuuar.* XIV, 1, 2.

§. XXXV.

Culpæ præſtatio. Addere hic iuuat, quod germani in contractibus has obſeruaſſe uideantur regulas: I. Quilibet tenetur rem alienam maiore diligentia quam ſuam cuſtodire, aut reſarcire damnum culpa ſua datum *a*). II. Qui-

t) III, 2, 1. 2.
u) AMSELS d. *de rationabilitate canonis I. Lub.* Hand muß Hand wahren.
x) *I. P. S* III, 5. *Sueu.* c. 243.
y) *I. P. Sueu.* c. 246.
z) *I. P. S.* III, 22. *I. Hamb.* II, 2. ſeq. *Ref. Nor.* XIV, 1. §. 4.
a) THOMAS. *ad ff.* XIII, 6. p. 170.

II. Quicunque rem alterius custodiendam pro certa mercede suscipit, casum ferre debet *b*). III. In quocunque contractu utriusque uersatur utilitas, in eo parem diligentiam sibi inuicem præstare debent contrahentes.

TIT. V.
DE
DONATIONE.

§. XXXVI.

Donatio * est conuentio, qua res nostra gratis in alium transfertur. Donatio

* Maiores nostri, licet in summa paupertate constituti essent, tamen liberales & ad donandum procliues fuerunt. Hoc est, quod ex TACITO *de M. G.* c. 14. 15. 21. CAESARE aliisque patet scriptoribus.

§. XXXVII.

Quæ uel ex mera liberalitate uel sub modo fieri, proptereaque uel *simplex* uel *relata* esse dicitur.

§. XXXVIII.

Hic notes sequentia:

I. Donatio in contractibus est.

II. Donatione transfertur dominium.

§ XXXIX.

b) L. *Wisig.* V, 5, 1.

§. XXXIX.

est contractus, quo

Quia donatio in contractibus est (§. XXXVIII, 1.) sequitur, (1) ut *consensu* sufficienter declarato perficiatur (§. IV, 1. V.), & (2) producat obligationem uel ante rei donatæ traditionem; (3) ut *ui & metu* extorta non ualeat *c*) (§. V, 3.); (4) ut oblatio sine acceptatione *, & hæc sine illa, donationem non conficiat.

* Ut hæc solemnibus uerbis aliisque signis declaretur, nullibi requiritur.

§. XL.

transfertur dominium

Ex secundo (§. XXXVIII, 2.) constabit de causa, (1) cur ille tantum, qui rerum suarum *liber est moderator*, neutiquam uero (*a*) minor *d*), (*b*) tutor, (*c*) prodigus, attamen filius patri (§.VI,1.), & filio mater (lib. I. §. CCCIII, 11.), pro lubitu donare queat; (2) cur donatio *in fraudem creditorum* facta irritetur *e*); (3) cur donari queant *res* (*a*) *præsentes & futuræ*, (*b*) *mobiles & immobiles*, (*c*) *geradicæ* (lib. II. §.CCCCXXX, 1.seq.) *f*), & aliæ omnes, si eas exceperis, quæ uel omni uel saltem donantis commercio sunt exemtæ (§. VI,

c) Ibid. V, 12. 1.
d) *L. Longob.* II, 29, 5.
e) *L. Mind.* I, 12, 4.
f) SCHILTER *exerc.* XLIII, 14.

VI, 4.), quales ſunt res *alienæ g*) *litigioſæ h*); (4) cur donatio *bonorum hereditate quæſitorum* conſentientibus heredibus olim facienda (lib. II. §. CCCCLXII.*) *i*).

§. XLI.

Fidem ſemel datam ſeruant germani (§. VIII.). Unde donationem legitime factam reuocari poſſe negant, niſi ſit (1) inofficioſa *k*), aut (2) ingratus factus donatarius *l*). irreuocabiliter.

§. XLII.

Sic quoque tempore, quo Romanorum mores germanis innotuerunt, cæpit donatio apud acta*, adhibitis teſtibus aut confectis inſtrumentis fieri. Medio æuo lectulo adfixi *m*), ſiue peſte ſiue alia lue conflictarentur *n*), non, niſi ad pias cauſas, donare poterant (lib. II. §. CCCC LXXVIII, 6.). Quibus ſolemnitatibus olim fuerit

* Unde *donare* in L. Longob. dicitur *thingare*, quod uocabulum, prout ſolet, erudite explicat ECCARD *ad L. Sal.* XLVII, 1.

§. XLIII.

g) *L. Baiuuar.* XI, 11, 2. *Longob.* II, 19, 1.
h) *L. Wiſigoth.* V, 4, 8.
i) *L. Burgund.* XLIII. LXI.
k) *L. Ripuar.* LIX, 9.
l) *L. Longob.* II, 14, 24. V, 15, 3.
m) *Weichb.* art. 65. *I. P. S.* II, 12.
n) *Bulla Gregorii* poſt. Spec. Sax.

§. XLIII.

& hodie sit opus. Usus doctrinæ traditæ (§ pr.) hodie nimis uariat, & alicubi plane nullus est. In terris, ubi *ius Saxonicum o)* aut *Lubecense p)* uiget, immobilium donatio ad acta, & ubi auita sunt, heredibus una consentientibus, fieri debet. Apud *Mindenses* donatio a uegeto facta ualet a traditionis tempore *q)*; contra donatio ab ægroto facta, nulla est & irrita, nisi (*a*) in eam consenserint heredes *r)*, aut (*b*) constet, quod donatio in fauorem piæ causæ tendens legitimam lædat minime *s)*.

TIT. VI.

DE
DEPOSITO.

§. XLIV.

Ex deposito Depositum est conuentio, qua res alicui gratis custodienda datur & suscipitur, hac lege, ut quandocunque restituatur.

§. XLV.

Unde sequentia fluunt:

I. Præ-

o) MOELLER ad p. III. *const.* 1. *nr.* 7. *const.* 3. *nr.* 38.
p) I, 9, 2.
q) *Ius Mind.* I, 12, 2.
r) ibid *art.* 1.
s) ibid. *art.* 3.

I. Præter cuſtodiam in depóſitarium nihil iuris transfertur.

II. Depoſitarius obligatus ad rem reddendam tempore, quo deponenti uidebitur.

§. XLVI.

Ex primo (§. pr. 1.) conſtare puto, (1) depoſitarium rei depoſitæ non quidem *caſum* ſentire, tamen (2) *culpam* præſtare debere *t*). Hinc intelligere potes *tam* cauſam, cur depoſitarius, cuius res una cum depoſita incendio ſunt crematæ, nihil plane, excepto auro & argento, reſtituere debeat *u*); *quam* facti ſpeciem, de qua L. Longobardica *x*) & utrumque Speculum *y*) loquuntur, quando depoſitum furto ablatum domino deponenti a depoſitario reſtitui iubent. depoſitarius ad culpam præſtandam

§. XLVII.

Quia cuſtodia uariat pro contrahentium arbitrio rebusque in depoſitum datis: quæ cuſtodia hoc uel illo caſu præſtanda ſit, prudens iudex ex contrahentium uerbis aliisque circumſtantiis diiudicabit.

§. XLVIII.

t) *I. P. S.* III, 5. HERING *de caſu fortuito a depoſitario præſtando.*

u) *L. Baiuuar.* XIV, 2. *Capitular.* V, 204.

x) II, 27.

y) *Saxon.* c. l. *Sueu.* c. 225. ed. SCHANNAT.

§. XLVIII.

& rem reſtituendum obligatur.

Depoſitarius rem depoſitam ſine ulla exceptione debet reddere (§. XLV, 2.) z), idque quouis tempore*, non tamen alio modo, atque quem deponens determinauit. Depoſitum dolo malo celans ad conuictionem usque, olim tertiam aut quintam partem domino, cui fraudem intulerat, ſoluere tenebatur a); hodie uero fiſco mulctam præſtat arbitrariam.

* Id quod tamen ceſſat, ſi *ſalus reip*, *præceptumue ſuperioris* obſtet reſtitutioni.

§. XLIX.

Uſus hodiernus.

De hodierno (§. pr.) dictorum uſu dubitabit nemo. Sic conſtat, I. Lub. b) expresſis uerbis uelle, ut ne depoſitarius rem depoſitam, furto rapina incendiis aliisue caſibus fortuitis perditam, reſtituat, ſi ſe (a) in ea re eandem diligentiam, quam in ſuis adhibere ſolet, adhibuiſſe, aut (b) ſuas ſimul amiſiſſe, iureiurando probet. Cur ex eiusdem & Culmenſis iuris diſpoſitione deponens contra tertium rei depoſitæ poſſeſſorem agere nequeat, colligere potes ex §. XXXIII. ſeq. c).

§. L.

z) *Capitular.* VI, 3, 23.

a) *L. Longob.* II, 55, 35. *Capitular.* V, 204.

b) III, 3, 1.

c) PISTOR *cent.* V. *par.* 70.

§. L.

Species depositi *sequestrum* est, quo sequester ad rem custodiendam, administrandam, & finita lite uictori restituendam obligatur. Hoc plerumque male cedit litigantibus. Unde natum est prouerbium: Sequester macht leere Rester *d*). Sequestrum.

TIT. VII.

DE MANDATO.

§. LI.

Mandatum est conuentio, qua quis alterius iubentis negotia suscipit. Mandatum, quod

§. LII.

Illud non semper fuit gratuitum, sed honorarium, immo mercedem admisit definitam *e*). Propterea tamen in locationem conductionem degenerauit minime, quod uel ex culpæ præstatione discimus. mercedem admisit,

§. LIII.

Fines mandati strictisſime seruare, nec u.c. rem alterius, quam uendendam suscipit, minoris uendere &c. oportet mandatarium. *Finibus* mandati *seruatis*, lucrum strictisſime seruandum est.

d) IDEM *cent.* VII. *par.* 41.
e) *L. Baiuuar.* XIV, 1. *Wisigoth.* V, 5, 1.

crum & damnum ad mandantem reuertitur *f*); *neglectis* uero, mandatarius intereſſe & damnum præſtare tenetur *g*).

TIT. VIII.
DE
EMTIONE VENDITIONE.

SECT. I.
DE
ILLIVS NATVRA ET INDOLE.

§. LIV.

Ex E. V. quæ

Emtio uenditio eſt conuentio de re pro certo pretio in alium transferenda *h*).

§. LV.

Unde facile patet:

I. Emtionem uenditionem alicuius rei perfici, ſimul ac de illius pretio conuenit.

II. Emi uendi poſſe, quicquid in commercio eſt.

§. LVI.

nititur ſolo conſenſu

Fallor aut ex primo axiomate (§. pr. 1.) quilibet intelligere poteſt, (1) cur germanus dicat: Bieten und wieder bieten macht den Kauf *i*); (2) cur, ſimul atque de

f) *L Wiſigoth.* II, 3, 7.
g) *Capitular.* VII, 238.
h) *I. P. S.* I, 9, 34.
i) PISTOR *cent.* I. *parœm.* 50.

de consensu in rem & pretium constat, perfecta sit E. V., nullusque detur *pœnitentiæ* locus *k*), si uel maxime nulli testes adhibiti, nullæque literæ* scriptæ fuerint; (3) cur, ubi consensui tacita subest conditio, adhuc imperfecta sit emtio uenditio; (4) cur emtio uenditio dolo ui & metu extorta sit inualida *l*) (§. V, 3.); (5) cur ad uendendum nemo cogi possit, nisi hoc exigat utilitas publica (lib. II. §. LIX.); (6) cur *traditione* non sit opus *m*), sed, simulac perfecta est emtio uenditio, emtor (*a*) periculum sentiat, dummodo (α) in mora tradendi non fuerit, nec (β) culpa doloue causam damno dederit, uenditor *n*); (*b*) omnes fructus percipiat, illos quoque, quos uenditor post contractum separauit.

* Antiquitus in E. V. rerum mobilium uel literarum uel testium testimonia accedere solebant. *L. Baiuuar.* XV, 2, 1. quid? quod res immobiles emi uendique debebant apud acta & solemniter *L. Ripuar.* LIX, 1. LX. Medio æuo ubique debebat, *I. P. S.* I, 9, 51. III, 4. *Sueu.* ap. SCHILTER *exerc.* XXX, 41. & hodie in locis, ubi ius Saxonicum uiget, debet rerum immobilium uenditioni accedere iudicialis resignatio, non

k) *L. Sax.* XV, 1. *Edict. Theodor.* c. 147. *Ius Mind.* I, 9, 1.

l) *L. Wisigoth.* V, 4, 3.

m) FINSTERWALDER *pract. obseru.* II, 76.

n) *Spec. Sueu.* c. 247. §. 2. *I. Mind.* c. l. art. 12.

non quod antea emtio imperfecta, & poenitentiæ locus sit, MEVIUS *ad I. Lub.* III, 61. sed ut emtor uerus euadat dominus (lib. II. §. CCCLXV. seq). CARPZOV. *lib.* V. *R.* 2. 40. KLEIN d. *de resignatione.*

§. LVII.

super re commercio non exemta declarato.

Quia emi uendi possunt, quae sunt in commercio (§. LV, 2.): sequitur, (1) ut nihil intersit, sintne *res præsentes* an *futuræ*, (2) *corporales* an *incorporales*, quo & annuos reditus* refero; (3) ut *homo proprius* cum, & sine prædio emi uendi possit *o*) (lib. I. §. XXXV, 3.); contra (4) ut emi uendi nequeant (*a*) *res sacræ* (*b*) *publicæ* (*c*) *alienæ p*), (*d*) *litigiosæ q*), (*e*) *hereditariæ* (lib. II. §. LXIII, 2.) *r*), (*f*) *homo liber* & nobilis *s*), (*g*) *frumenta*, quæ in herbis sunt**, *uuæ pendentes*, immo (*h*) quicquid uel lex *t*) uel conuentio alienari prohibet.

* Horum pretium determinarunt *R. I Aug.* 1500. c. 30. *Ref. Pol. Aug.* 1530. tit. von wucherlichen contracten 1548. *tit.* 17. §. 8. *Ord. Polit.*

o) MEVIUS vom Zustand und Abforderung der B *q.* 2. *nr* 93.

p) *L. Baiuuar.* XV, 4.

q) *L. Wisigoth.* V, 4, 9.

r) *I. Mind.* c. I. art. 6.

s) *L. Baiuuar.* XV, 5. *Saxon.* II, 7.

t) HEINECCII d. *de nauibus ob mercium illicitarum uecturam commissis.* I. A. STEPHANI d. *de rebus exportari prohibitis.*

lit. Francof. 1577. tit. 9. *R. I. nou.* 1654. §. 74. Ex quibus uero rationibus illud factum sit, disquirit MICH. GRASS *collat. I. C. Rom. cum Recess. Imp.* sect. VIII. §. 1. p. 371. seq.

** *Const. Caroli M.* tit. *de prohibitione alienationis futuror. fruct. Ref. Pol.* 1548. tit. von Verkaufung der Früchte auf dem Felde 1577. tit. 19. Magdeb. L. O. c. 50. S. S. Weimarische L. O. tit. 46. Valet tamen conuentio de frumentis, quæ adhuc in herbis sunt, in alium pro pretio, in constitutionibus imperii nostri determinato, transferendis. Est autem pretium illud duplex. Aliud se refert ad tempus contractus, aliud ad 14. dies, a messe proximos. GRASS. *c. tr. sect.* VII §. un. p. 331.

§. LVIII.

Sic uendi nequeunt (1) *canes uenatici* iis, qui iure uenationis sunt destituti (lib. II. §. XVIII.) *u*), (2) ea *quæ bellum instruunt*, hostibus *x*), & (3) alicubi *immobilia* forensibus *y*), clero pontificio (lib. II. §. LXII, 3.) aut administratoribus fisci.

§. LIX.

Venditor *rem* ipsam, quæ in contractum deducta fuit, tradere tenetur *z*), & quidem (*a*) a seruitutibus atque omnibus inconsuetis oneribus *liberam*, (*b*) idoneamque, seu nullo *uitio* usum impediente la- & uenditor

u) Brem. und Verd. Jagd-Ordn. §. 5. 6.

x) HEINECCIVS c. diss.

y) *I. Lub.* I, 2.

z) FINSTERWALDER c. l. II, 77.

latenter laborantem, secundum illud: Kauf erfordert Kaufmanns Wahren *a*).

§. LX.

& emtor obligatur.

Emtoris est soluere *pretium*, idque uel lege uel conuentione determinatum. Ut *iustum* illud sit, nullibi requiritur *b*), nec requiri potuit, quum uera sit parœmia: Kauf und Backenstreich sind einander selten gleich *c*).

§. LXI.

Esse quosdam, qui quærunt: *an ualeat E. V. equi, hac lege inita, ut primus clauus ungularis ueneat thalero, secundus 2, tertius 4, quartus 8, quintus 16 thaleris &c. & sic procedatur usque ad trigesimum secundum*, docet LEISSER *d*).

§. LXII.

In quo pretium consistere debeat?

Quia emtio uenditio in *pecunia numerata* consistere solet immo debet, numos quosdam in Germania olim & hodie usitatos enarrare, & eorum computandi modum tam antiquum quam hodiernum scrutari iuuat.

SECT.

a) PISTOR. *cent.* VI. *parœm.* 63.
b) *L. Baiuuar.* XV, 6. *Wisigoth.* V, 4, 7.
c) PISTOR *cent.* VI. *parœm.* 46.
d) *I. Georg.* II, 12, 114. DESSEL. d. *de eo quod iustum est circa actus per progressionem initos.*

SECT. II.

DE

PECVNIA NVMERATA IN QVA CONSISTERE DEBET PRETIVM.

§. LXIII.

Pretium in quauis moneta, quæ nondum reprobata est*, solui potest & sub pœna debet accipi *e*), nisi partes aliter conuenerint *f*). Monetarum

* Monetam probat reprobatque, nec non illius ualorem augere & minuere potest, princeps, cui ius monetam cudendi competit, minime uero priuatus. HEINECCII d. *de reductione monetæ ad iustum pretium.* In reprobata aut mox reprobanda nulla solutio fieri potest. LEYSER *spec.* 529. m. 19. 20. Diss. *I. P. S.* II, 26.

§. LXIV.

Constat autem quæuis moneta *metallo*, *figura*, *pondere* ac *æstimatione*. *Figura* absoluitur (1) *uultu æternali*, seu illius, cuius auctoritate numus cusus est*, uel insignibus uel nomine uel effigie **; (2) *monetarii* uel nomine, uel nominis initiali- figuræ

Ll 4

e) *L. Burgund.* addit. II, 6. *Wisigoth.* VII, 6, 5.

f) *I. P. S.* III, 40. ad III. 47.

libus literis *g*); (3) figno uel *numero* ualorem denotante *h*).

* Monetam olim folus cudebat Imperator, qui tamen poftea ius fuum communicauit cum aliis. In fignum communicati iuris imperatores, præfertim Saxonici, mittebant ihr Hand-Zeichen *I. P. S.* I, 26. *gl. ad Weichb.* c. 8. TILEMANN FRIESENS Müntz-Spiegel I, 4. Succedente tempore idem ius adquifiuerunt Electores *A. B.* tit. 10. principes, ciuitatesque immediatæ MELCH. GOLDAST. *cathol. rei monet.* tit. XI. immo quædam mediatæ, quas recenfet VITRIARIUS *Inftit. I. publ.* III, 4, 4. p. 101.

** Licet olim ftatus imperii noftri numis fuis effigiem Cæfaris & aquilam bicipitem cum pomo imprimi curarent, atque huius moris defuetudinem indignatus Carolus V. fua, non principis cudentis, effigie quamuis monetam fignari iufferit; tamen principes cum libertate germanica hoc pugnare iudicantes HORTLEDER *de cauf. belli germ.* Tom. II. lib. 5. c. 5. f. 1024. ad hunc usque diem Cæfaris imaginem addere nolunt, fi ciuitates imperiales & quosdam comites exceperis. IO. GEORG KRVLL tr. *de regali monetar. iure* c. V. nr. 14. PFENNIGK tr. *de rei numariæ mutatione & augmento* II, 4, 24. feq.

§. LXV.

liga, quæ triplex eft, &

Monetæ, fi qua, fit cuius uelit generis, ad ligam probatam cufa non eft, nullus

g) *R. I.* de A. 1570.

h) Ibid. §. 134. PFENNIGK *de rei numariæ mutatione & augmento* II, 4, 19.

lus datur usus *i*)*. Sunt autem notissimæ ligæ, *imperialis***, *Zinnensis*, *Lipsiensis*. Vi *istius* numi ad $9\frac{1}{12}$, *illius* ad $10\frac{1}{2}$, *huius* ad 12 imperiales ex marca cudi queunt. Præterea pes Lipsiensis distinguit inter numos 16, 8, 4. grossorum, numos 2. grossorum, & numos 6. pfaningorum, disponens *hos* ad 13. *illos* ad $12\frac{1}{2}$, *istos* ad 12. imperiales ex marca cudi *k*). Unde sequitur (1) ut 100 thaleri ad ligam imperialem cusi, sint = $115\frac{65}{109}$ th. secundum modum Zinnensem cusis, = $132\frac{12}{109}$ th. modi Lipsiensis; (2) ut emtor, qui pretii loco promisit 300 St. Thaler, so nach alten Schrot und Korn ausgemünzet worden, eiusdem numeri thaleros modi Zinnensis uel Lipsiensis substituere nequeat *l*); (3) ut debitor 150 Thaler in harten Gelde nach den Leipziger Fuß, si numos duorum grossorum modi Lipsiensis soluere uelit, ab obligatione sua non liberetur, nisi soluerit $156\frac{1}{4}$ th.

* Ubique temperatura admittitur, sed illa tantum, qua opus est ad recuperandos sumtus monetarios. PFENNIGK c. l. III, 2.

** *Numorum aureorum* bonitas intrinseca, A. 1559.

i) *Spec. Sax.* II, 26. GOLDAST c. l. tit. XVI. & LVI.

k) *Cod. August.* p. II. p. 961.

l) MASCOV. *de iure circa rem monetariam* sect. II. §. XVII.

constituta, ad nostra usque tempora durauit, illorum tamen ualor extrinsecus in immensum creuit.

§. LXVI.

exacte seruari debet, Ut seruetur liga, uolunt imperii LL. (1) *zygostatas*, Müntz-Waradeins, & generales & speciales *m*), mediante iureiurando *n*), in unoquoque circulo constitui *o*); (2) non nisi in certis *officinis* * monetas cudi *p*), & (3) *conuentus*, Müntz-probations-Täge, pro re nata institui *q*). Sibi inuicem respondere & deliberationes de re monetali instituere solent, (*a*) Circulus *Saxonicus superior & inferior*, (*b*) *Electoralis*, *Rhenanus superior & Westphalicus*, (*c*) *Bauariæ*, *Franconiæ & Sueuiæ r*). A quo, quo modo & tempore, quem in locum principes cuiusque circuli conuocentur, docet, atque simul de ministrorum

m) MELCH. GOLDAST. *Catholico rei monet.* tit. 26. seq.

n) THOMANI ab HAGELSTEIN *acta publ. monet.* p II f. 205. WILDVOGELII d. *de diætis probat.* sect. III. p. 28.

o) *Ed. monet. Ferdinandi I.* §. 158. *R. I.* 1576. §. Setzen alsso demnach 69.

p) GOLDAST. c. l. tit. 13.

q) RENERVS BVDELIVS *de diætis probat.* ap. THOMANVM p. I. f. 169. GOLDAST. c. l. tit. 59. seq. 140. seq.

r) *R. I.* 1571. §. ferners daß die rc. WILDVOGEL c. d. sect. I. §. 13.

rum ad iſtos conuentus legatorum ſaluo conductu, legitimatione, ſeſſione, nec non de receſſus conceptione, ſubſcriptione & ſubſcribentium ordine agit WILDVOGELIVS *s*).

* Iam olim nonniſi in palatio ſuo monetas cudi iusſit *Carolus M.* PFENNIGK c. tr. I, 9. SCHLEGEL *de numis abbat. Hirſchfeld.* p. 6.

§. LXVII.

De ſingulis *bracteatorum*, Blech-Hohl- und Schüſſel-Müntzen, Straubenpfenningen *t*), *hallerorum*, *pfenningorum*, *ſolidorum* *u*) aureorum argenteorumque, Schillinge, Gülden *x*), Gold-Gülden *y*), *thalerorum*, *groſſorum*, *crucigerorum* *z*), Mariengroſchen, Achtlingen oder Körtlingen, Mathiern *a*), aliarumque monetarum *b*), in Germania olim uel hodie uſitatarum, generibus, & uniuscuiusque origine, fatis, magnitudine, qualitate, nominibusque *Species.*

s) c. d. ſect. II. ſeq.

t) IO. ALEX. DOEDERLIN. *de numis germaniae mediae, quos uulgo bracteatos & cauos appellant.*

u) IDEM c. tr. §. 116. PFENNINGK *c. tr.* II, 9, 27.

x) KRVLL *c. tr.* c. V. nr. 40. ſeq.

y) Nachricht von den Groſchen p. 21. WEHNER *obſ. pr.* h. u.

z) DOEDERLIN c. tr. §. 121. ſeq.

a) FRIESENS Müntz-Spiegel. IV, 22.

b) PFENNIGK c. l. nr. 29.

que differere, antiquarii est, non ICti. Hinc pauca tantum proferre iuuat de *pfenningorum*, *hallerorum*, *grossorum &c.* computo.

§. LXVIII.

Pfenningi. *Pfenningorum c*) 12. solidum, solidorum uero 20. libram pfenningorum conficiebant *d*). Et quia pfenningi pro locorum & temporis uarietate uariabant nimis, *solidi* non poterant semper & ubique iidem esse.

§. LXIX.

Halleri. *Halleri* olim nominibus non distincti, computabantur ad sexagenas. Ex quo uero eorum qualitas ualorque uariare cœpit *e*), cognominibus distincti & ad libras computati sunt, atque summæ, de qua partes conuenerant, addita uerba: alter Wehrung, Franckfurther ꝛc. Wehrung.

§. LXX.

Grossi. *Grossi*, qui ad sexagenas * antiquitus computati sunt, succedente tempore uariæ fuerunt qualitatis. Unde (1) distinctio sexagenarum nata est in schwere, alte und

c) KRULL c. l. c. V. n. 80. seq.

d) *L. Ripuar.* XXXVIII. *l. P. S.* III, 45.

e) Nachricht von den Groschen p. 7.

und neue Schock, (2) cuiuslibet generis grosso cognomen** datum est.

* Qui ad sexagenas instituendus computus hodie non nisi in censibus, mulctis & quandoque steuris frequentatur. Nachricht von den Groschen c. 3.

** De uariis grossorum generibus nominibusque, speciatim von Bärthigten - Bauer - Breiten-Creutz- Crönichten - Engels - Freyberger - Fürsten - Gülden = Groschen, Jüdenköpfen, porro Landsberger - Muth - Schild - Schirmer, Schmalen - Schneeberger - Schock - Schreckenberger - Schwerd - Spitz - Wahl - Wilhelminer - Zahl - und Zinß - Groschen inter alios agit AVCTOR der Nachricht von Ankunft, Gepräge, Gewichte und Werth derer Groschen.

§. LXXI.

Numi bracteati olim ad *marcam* computabantur, & quidem ita, ut alibi numerarentur, alibi appenderentur. Unde Marck = Silber, Marck = Gewicht. Postea uero quum internus pfenningorum ualor imminueretur, nec ubique numi eiusdem numeri conficerent marcam, sæpe de eo conuentum est, ut uel aurum argentumue purum, nec ullo metallo mixtum *f*), uel numi huius illiusue ualoris appenderentur; illa marca dicebatur Marck = Löthig, hæc Marck = Witte. Marcæ uarii generis.

§. LXXII.

f) MASCOV. c. tr. sect. II. §. 4.

§. LXXII.

Marck-Gewicht und Witte

Atque quia internus numorum ualor, & pondera * diuersis in locis diuersoque tempore uariabant, contrahentes his uerbis sæpe usi sunt: Löthige Marck Goßlar. Gewicht und Witte, Götting. Gewicht und Witte. Hæc non attendens antiquorum diplomatum interpres, certe non potest non in uarios incidere laqueos.

* In diplomatibus occurrunt *Einbeccensis*, *Gœttingensis*, *Goslariensis*, *Lubecensis*, *Misnensis*, *Paderbornensis*, Wendisch & aliæ marcæ, inter quas notissima & LL. imperii probata est *Coloniensis*. *Edict. Ferdinandi* I, 1559. §. Ferner die güldten Münz belangend 56. *R. I.* 1576. §. 78.

SECT. III.

DE
EMTIONIS VENDITIONIS DISSOLVTIONE

speciatim

DE RETRACTV, EOQVE VARIO.

§. LXXIII.

E. V. (1) *mutuo dissensu*,

Licet emtio uenditio, ubi semel contracta est, seruari debeat (§. VIII.) *g*), tamen dissolui potest (1) *dissensu* contrahen-

g) *L. Sax.* XV, 1.

hentium *mutuo*, neutiquam uero unius, niſi mulcta pœnitentialis contractui adiecta fuerit *b*).

§. LXXIV.

Reſcindi quoque poteſt E. V. (2) ob capitale *uitium rei uenditæ* *, quod adfuit, ſed emtori latuit **, contractus initi tempore *i*) (§. LIX.), niſi uenditor probare uelit, (*a*) quod ipſe illud ignorauerit *k*), aut (*b*) de I. Hamb. *l*), quod rem in foro publico uel ex nauibus coemerit. (2) *ob uitium rei uenditæ*

* Quænam uitia equorum ſint capitalia, ſupra dictum eſt (lib. II. §. XXIII.).

** Vitium, quod ante oculos emtoris iacuit, attendi nolunt germani, dicentes: Wer die Augen nicht aufthut, der thue den Beutel auf. PISTOR. *cent. 1. parœm. 6. I. Mind.* I, 9, 14.

§. LXXV.

Sæpe tempus aliquod lege *m*), uel ſtatuto determinatum eſt, intra quod, a contractu inito computandum, ſi compareat uitium, hoc contractus initi tempore iam ad-

b) WEIDLERI d. *An quis in E. V., cui mulcta pœnitentialis adiecta eſt, altera parte inuita, pœnitere, & ſoluta hac mulcta a contractu reſilire poſſit?*

i) *L. Baiuuar.* XV, 9, 2. *Capit.* V, 210.

k) Ibid §. 8.

l) p. II. tit 8. §. XVII.

m) *L. Baiuuar.* c. l. §. 7.

adfuisse præsumitur*, usque dum uenditor probet contrarium.

* Wratislauiæ uitium intra 4. hebd. STRVK *V. m. ff.* XXI, 1, 28. Francofurti intra 4. hebd. & unum diem SCHILTER *exerc.* XXXIV, 15. lit. a. *I. Mindensi* intra XIV. dies. I, 9, 13. comparuisse sufficit.

§. LXXVI.

potest dissolui.

Ex qua caussa ubi rescinditur E. V., uenditor non solum pretium cum usuris restituere, sed & damnum, quod res emtori dedit, resarcire, & impensas præstare tenetur.

§. LXXVII.

Sic quoque rescinditur (3) *ob ius retractus*, cuius

Rescinditur porro E. V. (3) ob *ius retractus*, quod est facultas rem quandam immobilem alii uenditam ex iusta caussa reuocandi *n*).

§. LXXVIII.

caussa quidem

Caussæ iuris retrahendi uariant. *Aliæ* ubique probantur, ut consanguinitas, condominium; *aliæ* in quibusdam tantum germaniæ uigent prouinciis, ut incolatus, confinium, census, conductio. *Harum* itaque, non uero *illarum*, usus & receptio ab actore probari debent.

§. LXXIX.

n) SCHILTER *exerc.* XXX, 138. MEVIVS *ad I. Lubec.* I, 10.

§. LXXIX.

Retrahas ex qua causa uelis, (1) eas- dem atque extraneus emtor LL. & conditiones adimplere, (2) tempus lege uel moribus statutum*, a die scientiæ computandum, intra quod retractui locus est, attendere, & (3) rem uenditam tibi non alii reuocare debes, utque (4) nec uerbis nec factis iuri retrahendi renuntiaueris *o*), necesse est. non uero modus uariat.

* Hoc non ubique idem esse, uel ex *I. P. Ostfris.* II, 281. *I. P. Omland.* V, 11. *Bauar.* X, 2. aliisque & ex GRUPEN *discept. for.* p. 825. dignoscere potes.

§. LXXX.

Retrahendi ius, quod ex causa consanguinitatis datur, & *gentilitium* das Erbfreund-R., die Erblösung dicitur, est *facultas proximo consanguineo* competens, reuocandi fundos auitos, uenditos extraneis.* Retractus gentilitius

* Olim nemo sine liberorum & agnatorum consensu alienare poterat immobilia, *I. P. S.* I, 34, 52. ea præsertim, quæ a maioribus hereditate erat consecutus (lib. II. § CCCCLXII. *). Unde in diplomatibus non raro occurrit heredum consensus, quem impetrarunt monasteria. Agnati enim bona, si quæ iis dissentientibus extra familiam alienata, poterant retrahere perinde ac si non essent uendita. Quod ius postea mutatum

o) LUDOLFF *obs. forens.* 192.

tum est in ius protimiseos, hocque iterum ad prædia auita restrictum, & tempore, intra quod illi præscribi possit, temperatum. Quod jus magis adhuc corruperunt ICti, Germania quidem oriundi, sed in patriis moribus plane hospites, qui illud exulare statuerunt (1) in allodialium bonorum uenditione, (2) in alienatione generaliter & ita facta, ut in singula prædia non fuerit statutum pretium, (3) ubi retrahens intra annum uel plane non, uel non iudicialiter, uel non totum obtulit emtionis pretium.

§. LXXXI.

Unde hæc deduco axiomata:

I. Retractus gentilitius datur ob ius sanguinis.

II. Consistit in potestate res immobiles retrahendi

III. si extra familiam fuerint alienatæ.

IV. Eo uti nequit, qui idem præstare negat, quod extraneus obtulit uel oblaturus est.

§. LXXXII.

est ius, quo consanguineus

Ex primo axiomate (§. pr. 1.) constare puto, (1) cur retractus gentilitius consanguineorum *personis* inhæreat *p*), ideoque (*a*) nec extraneo cedi *q*), (*b*) neque ab

p) *Ord. Solm.* II, 12, 1. REINKING *de retractu consanguin.* q. 2. nr. 9. seq.

q) STRVV *exerc.* XXIII, 58.

ab adoptiuis liberis r), genero s), aliisque adfinibus exerceri queat; (2) cur *liberi*, cum exheredati t), tum patris heredes u), cum legitimi tum per subsequens matrimonium legitimati hoc iure gaudeant, dummodo legitimi sint ac honestae famae, nec iure ciuitatis ob delictum aliquod exciderint.

§. LXXXIII.

Hoc ius consanguineis dari secundum ordinem succedendi ab intestato, tam certum est quam quod certissimum x). Unde illud (1) primum descendentibus, dein adscendentibus, post collateralibus competit, ita, ut (2) non *aetatis* aut *potestatis* paternae, sed (3) solius *gradus* proximitatis habeatur ratio. Sic quoque (4) ubi plures concurrunt consanguinei unius eiusdemque *gradus*, omnes simul*y), &, (5) si proximiores iure retrahendi uti nolint, proxime sequentes admittuntur. Ille autem gradus, quo quis uenditori z) con- **proximus**

Mm 2 tra-

r) REINKING c. q. n. 303. seq. RHETIVS d. *de iure retractus gentilitii* c. 2. nr. 34. seq.
s) LYNCKER *dec.* 296.
t) MVLLER ad STRVV. XXIII, 56. δ).
u) LYNCKER *Vol.* I, *R.* XI. nr. 57.
x) LEYSER *sp.* 193. *m.* 5
y) *Ord. Solm.* p. II. tit. 12. §. 18.
z) RHETIVS c. d. c. 2. nr. 46.

tractus tempore *a*) fuit coniunctus, attenditur, atque *ius repræsentandi* plane respuitur *b*).

* In re scilicet diuidua. *Ord. Solm.* c. l. In indiuidua uero potiores partes sunt *præuenientis*, uel, si omnes uno eodemque tempore ad iudicem prouocauerint, *forte designati*. *Ord. Solm.* c. l. q. 2. nr. 84. seq. 87. seq.

§. LXXXIV.

res immobiles

Secundum (§ LXXXI, 2.) docet, (1) retrahi posse res *immobiles* omnes, quæ specialiter non sunt exceptæ*, siue auitæ siue paternæ** fuerint, una cum pertinentiis; non tamen (2) *mobiles c*), nisi iuris intellectu pro immobilibus habeantur *d*), utpote pensiones, census, annui reditus.

* Sic *Ord. Solm.* II, 12. excipiuntur meliorationes domino a colono uenditæ.

** Secundum illud: Was einmahl in den Stamm gekommen, muß bey demselben bleiben. V. MOORS c. d. p. 59.

§. LXXXV.

extra familiam alienatas

Fallor aut ex tertio (§. LXXXI, 3.) sequitur, (1) ut *cesset* retractus (*a*) in locatio-

a) MOORS d. *de iure protimiseos* §. XXXVI. ***

b) RHETIUS c. l. n. 58.

c) *Ref. Francof.* II, 3, 5.

d) Ibid. §. 1. *Ord. Colon.* tit. XV. §. 1. LYNCKER *dec.* 138.

tione conductione *e*), (*b*) emtione conditionata *f*), quoadusque conditio pendet, (*c*) alienatione rerum extra familiam iam olim alienatarum *g*); (2) ut *proximior consanguineus* contra remotiorem retractu uti nequeat; (3) ut retractui tunc quoque locus sit, ubi res cum pacto dominii reseruatiuo *h*), aut cum pacto de retrouendendo *i*), extra familiam alienata est.

§. LXXXVI.

Ex quarto (§.LXXXI,4.) denique fluit, (1) *retractum cessare*, (*a*) ubi alienans singularem personae acquirentis rationem habuit, (*b*) ubi retrahens minus offert, quam extraneus *k*); (*c*) in rebus permutatis *l*); (2) retrahentem iis obstringi *pactis*, quae uenditioni sunt adiecta *m*), nec LL aut bonis moribus contrarientur (§. LXXIX, 1.). Retrahentem quoque ad sumtus bibales refundendos teneri, equidem non uideo, nisi illi pacto fuerint determinati. fuo modo &

e) REINKING. c. tr. q. 4. n. 99. seq.
f) *Ord. Solmens.* II, 12, 25.
g) RICHTER *decis.* 76. nr. 40.
h) LYNCKER Vol. II. R. 137.
i) REINKING. c. l. nr. 76.
k) WAHL *de retr. terr. perp.* § 21.
l) CARPZOV. II, 32, 15. WIDEMANNS d. *de retr. gentil.* c. V.
m) *Ord. Solm.* II, 12, 26.

§. LXXXVII.

tempore reuocari potest.

Illud praeterire nequeo, quod retractus gentilitius ad tempus sit restrictus, &, eo praeterlapso, plane extinguatur. Est autem tempus illud plerumque annus & dies *n*). *Alicubi* tamen annus simplex, aut, ubi retrahens plane ignorauit alienationem, biennium *o*), *alibi* 3. *p*), *alibi* 6. *q*) menses, alibi triennium *r*).

§. LXXXVIII.

Usus hodiernus.

Quia una prouincia morum semper tenacior fuit altera, factum est, ut usus retractus gentilitii hodie pro uarietate prouinciarum uariet. Hinc (*a*) in *Saxonia El.* collaterales *s*), (*b*) in A. Episc. *Coloniensi* consanguinei diuersae cum primo acquirente stirpis *t*), (*c*) in *Marchia Brandenburgica*, collaterales quinti & sequioris gradus *u*), retrahere nequeunt.

§. LXXXIX.

Retractus *ex condominio.*

Alter retractus uniuersalis *ex condominio*

n) STRYK *V m ff.* XVIII, 1, 17.
o) *I. P. Bauar.* tit. 10. art. 2.
p) *Ord. Solm* II, 12, 3. 10.
q) *Ord Colon.* XV, 1.
r) MOORS c. d § XXX.
s) *p.* II. *const.* 31. ibique CARPZOV. *defin.* 11.
t) Cöln. L. O. tit. XV. §. 1.
u) LYNCKER *resol.* 218.

nio oritur *x*), atque dicitur facultas, rem mihi cum alio communem, ab hoc uenditam, ab emtore repetendi *.

* Loca, ubi retractus ille adhuc hodie uiget, enarrare non lubet. Illum ob consortium *ganerbinatus* in urbe Francofurtensi permitti, loquuntur istius loci statuta p. II. tit. 5. §. 1. 2.

§. XC.

Speciatim quoque quorundam locorum statuta consuetudinesue dant ius retrahendi (1) ob *incolatum y*), (2) *uicinitatem*, & (3) *possessionem partis prædii censitici*. *Iste* retractus, cui quandoque nomen datur der Marck-Losung *z*), est potestas incolis cuiusdam loci competens, repetendi bona immobilia in illius districtu sita, sed iam extraneis uendita. Retr. *ob incolatum*.

§. XCI.

Ubi plures incolæ concurrunt, prædium extraneo uenditum repetituri, uidendum erit an eorum alicui ex alio adhuc capite ius retrahendi competat, nec ne. Ille enim, quum ex duplici causa petat, præfertur omnibus.

x) FROMMANN *de condominio territorii* GRASS. *de iure condominii territor.*

y) MOORS c. d. § XV. FRITSCH tr. *de districtu uniuers. agror.* c. VIII. §. 9

z) EISENHART *de retractu territoriali*, Marck-losung.

§. XCII.

Retr. *ob uicinitatem.*

Causam retractus *ob uicinitatem* tradunt incommodum, quod ex malo uicino oritur. Hinc, ubi plures uicini retrahere uolunt, is, cui maius incommodum creari potest *a*) præfertur reliquis.

§. XCIII.

Retr. *ex iure congrui*

Retractus *ob possessionem partis prædii censitici* (§. XC, 3.), seu ex *iure congrui*, das Gespilde, Spaltungs-R., Theil-Losung *b*), Zinß-Losung, est potestas tibi competens, partem a domo aliaue re immobili, quam possides, olim auulsam, iam extraneo uenditam, ideo repetendi, ut toti eam redunias.

§. XCIV.

particulari nititur consuetudine.

Qui retractus quum particulari nitatur consuetudine (§. XC.), eo usurus probare debet, ius congrui in eo loco, ubi prædium retrahendum situm est, obtinere usu. Obtinet autem u. c. in Ducatu *Gothano c*), *Wurtenbergico d*), Principatu *Anhaltino e*).

§ XCV.

a) STRYK *de S. A. I.* diss. VI. c. 1. §. 25. *I. Lubec. art.* 61.

b) GRASS d. *de retractu partiali.*

c) *Ord. Prou G.* II, 2, 14. §. Und demnach die Ländereyen.

d) *Ord Prou. W.* II, 16.

e) F. A. Pol. und L. O. de A. 1572. tit. 20. §. sonderlich aber rc.

§. XCV.

Quia hic retractus datur ad partes prædiorum a se inuicem auulsas iterum redunienda: consequitur, (1) ut ex iure congrui retrahens probare debeat, se prædium, cuius pars olim fuit ager, qui iam uenit *f*), possidere *g*), & quidem (2) iure dominii; (3) ut extraneo hoc ius cedi nequeat; (4) ut perinde sit siue rusticum siue urbanum, (5) siue actibus inter uiuos siue ultima uoluntate olim disiunctum, prædium iam quis redunire uelit. Qui uult redunire partes prædiorum

§. XCVI.

Quæ prædia olim coniuncta fuerint, Dd. ex libro censuali probari posse statuunt *h*), dicentes: prædia, ex quibus diuersis dominis præstantur census, semper disiuncta fuisse. olim auulsas

§. XCVII.

Retrahens idem pretium soluere, easdemque conditiones adimplere debet, atque soluere & facere promisit extraneus (§. LXXIX, 1.). Unde retrahens (1) distinctis terminis, auf Tage-Zeiten, solue- uices extranei emtoris si subire uelit

f) STRYK *de S. A. I.* diss. VI. c. 1. §. 25. BOEHMER *de fund. retr. dupl. in agr. Hamb. usitat.* c. 2. §. 3.

g) FRITSCH tr. *de iure congrui* c. VIII. §. 1.

h) ID. c. tr. §. 2.

re nequit, ubi emtor extraneus cum ſacco uenit *i*); (2) numos bibales conuentione determinatos ſoluere, atque (3 impenſas, ſi quas neceſſarias utilesque in prædium fecit extraneus emtor, reſarcire debet *k*).

§. XCVIII.

præferendus eſt aliis.

Ubi plures ex iure congrui retrahere uolunt, illius conditio potior, qui maiorem partem prædii, olim diuiſi, iam rediendi, poſſidet *l*); & ſi omnes eiusdem quantitatis partem poſſideant, ille reliquis præfertur, quem ſors ducta determinat.

§. XCIX.

Denique ius retractus ex priuilegio cæſareo competit corpori equeſtri & ſingulis illius membris, ratione bonorum matriculæ equeſtri ſemel adſcriptorum, iam in extraneum alienatorum *m*).

§. C.

Ius protimiſeos conuentionale

Quia quæuis pacta deliberata obligant (§. IV, 3.): ſequitur, ut rem, quam huic uendere promiſiſti, alii uendere nequeas, &, ſi tamen illud feceris, iure conueniaris

i) MOORS c. d. §. 19.
k) CARPZOV. II. 33. RICHTER p. II. *dec.* 76.
l) *Ord. Prov. Wurt.* II, 16. §. Und wenn *etc.*
m) WEBERI d *de retractu nobilibus imp. immediatis per priuilegia Cæſarea conceſſo.*

ris *uel* ad rem uenditam pro eodem pretio tradendam, *uel* ad intereſſe præſtandum. Hoc uulgus uocat *ius retractus conuentionale.*

§. CI.

Quod ius quia ex conuentione ortum trahit, (1) in heredes iure transmittitur, & (2) extraneo ceditur; (3) rem ipſam non adficit, nec (4) actionem contra tertium poſſeſſorem ſuggerit, ideoque (5) minus accurate *ius retractus*, meliori autem iure, *ius protimiſeos* dicitur *n*). **in bonis eſt.**

§. CII.

Non autem conuentionale tantum, ſed & legitimum atque conſuetudinarium datur ius protimiſeos. Sic u. c. *ex lege* ius protimiſeos competit principi in metallis diſtrahendis, quod dicitur Silber-Kauf ꝛc. (lib. II. §. CCLIII. c.); *ex conſuetudine* alicubi iurisdictionis domino datur annonæ & comeſtibilium intuitu, a ſibi ſubiectis uendendorum, in uictualien, welche der Bauer zu Marckte trägt *o*). **I. P. *legitimum & conſuetudinarium.***

§. CIII.

Conditionem illius, qui retrahere poteſt, meliorem eſſe conditione gaudentis iure protimiſeos, res ipſa loquitur. De eo

n) MOORS c. d. §. VI.

o) LEYSER *ſp.* 196. *med.* 6.

eo autem quandoque disputatur, quis ex diuersis causis retrahentium præferatur alteri? Putarem retractum particularem uniuersali cedere, sicque prædium tanquam auitum uel commune retrahentis conditionem potiorem esse conditione illud tanquam uicinum uel diuisum retrahentis *p*).

TIT. IX.

DE SOCIETATE.

§. CIV.

Societas *Societas* est conuentio, qua duo pluresue certarum rerum operarumue usum, atque inde ueniens lucrum & damnum inter se communicant.

* Solius societatis *coniugalis* mentionem faciunt LL. ueteres. Gliscentibus uero post commerciis, nata quoque uidetur esse mercatoria illa societas, quam Mascopey, Hanse, Compagnie-Handlung dicere solemus. Disp. nr. *de societate mercatoria* §. 4. *Hanseatica* huius loci non est; non enim erat ad commune lucrum comparata.

§. CV.

Itaque

I. societas solo consensu perficitur.

II. So-

p) FRITSCH tr. *de iure congrui* c. VIII. §. 6.

II. Sociorum commune est lucrum & damnum, ueniens ex rebus operisue, quarum usus communicatus est.

§. CVI.

Quia solo consensu perficitur societas (§.IV,6. & pr.) consequens est, (1) ut & *tacite*, item *sub certis legibus*, iniri queat, nec (2) opus sit *scriptura* * q), aut (3) *traditione* rerum, de quarum usu in commune conferendo conuentum est (§.IV,7.), sed (4) in societate uniuersali socius socii cistam pro lubitu aperire & inde pecuniam sumere possit *r*). solo consensu

* Sæpe tamen ea conficitur (§. IV.), ut facilis sit probatio conuentionis sociorum (*a*) de modo *inuentarium* conficiendi, & (*b*) secundum illud lucrum & damnum *diuidendi*, (*c*) de ferendis singularibus *periculorum* generibus &c. Exemplum eiusmodi instrumenti exhibet IVL. BERNH. V. ROHR. Vorrath allerhand *contr.* XI. Abth. nr. 186.

§. CVII.

Ex secundo (§.CV, 2.) patet, (1) ipsam *sortem* in commune non conferri *s*), ideoque (*a*) sortem quemque suam societatis di- de lucro & damno communicando

q) d. nr. *de societ. mercatoria* §. 16.

r) *I. Lubec.* III, 9, 5. STRYK *ad I. Lub.* c. XI. nr. 54. seq. disp. nr. cit. §. 20.

s) Ober-Oesterr. Land-Taf. III, 19. FINSTERWALDER II, 87.

diuidendæ tempore præripere *t*), atque (*b*) fortis periculum, & illud infortunium, quo socii, operarum debitoris, corpus mactatur, haud esse commune; (2) lucrum & damnum in societate quæsitum æqualiter inter socios diuidi debere *u*), nisi aliter conuentum fuerit (§. pr.); (3) quod unus sociorum extra societatem lucratus est, alteri non prodesse *x*).

§. CVIII.

Lucrum uero neque intelligitur, nisi deductis expensis, quæ in causam societatis factæ sunt, neque quæri potest nisi ex actibus licitis *y*).

§. CIX.

a liberis rerum & operarum s. moderatoribus initur,

Iam quum societas sit alienationis species, de causa constabit, (1) cur illi tantum, qui liberi sunt rerum operarumue suarum usus moderatores & arbitri, societatem inire queant (§. IV, 2.); (2) cur in locis, ubi communio bonorum coniugalis uiget, sine uxoris consensu maritus societatem mercatoriam inire nequeat, &, (3) si tamen illud fecerit, uxor, mortuo marito, sociis non teneatur, nisi in quantum locupletior ex hac societate fa-

t) *I. Lub.* III, 9, 1.
u) disp. cit. §. 21. seq.
x) *I. Lubec.* c. l. art. 4.
y) cit. disp. nr. §. 31.

facta eſt z); (4) cur hominis proprii non ſit, ſe ſocium addere mercatori (§. VII, 2.).

§. CX.

Quia intereſſe priuatum poſtponendum publico, LL. moresque (1) uolunt, ut illius ſocii uotum attendatur, quod prodeſt ſaluti publicæ; (lib. II. §. CXCVI, 3.); (2) prohibent das Geſellen-Fiſchen *a*), Geſellen-Jagen *b*), & (3) alicubi negant *peregrinis* * poteſtatem cum domeſticis mercatoribus in ſocietatem coeundi *c*). ſalua utilitate publica.

* *Iudæus* chriſtianorum ſocius fieri poteſt in locis, quibus protectione fruitur iſtarum rerum negotiationis intuitu, quarum ei cum Chriſtianis intercedit commercium. Diſp. nr. §. 33.

§. CXI.

Socius fidem datam ſeruare, & ſocii contractui ſtare tenetur, usque dum finita ſocietate rationes reddantur, & deductis deducendis ſortes cum lucro diſtribuantur *d*).

TIT.

z) *I. Mind.* I, 6.

a) Churf. S. Fiſch-Ordn. art. 32. Brandenb. F. O. c. 3. n. 13.

b) Mühlhäuſiſche *Stat.* I, 54.

c) *Ord. naut. Hanſ.* I, 1. *Gedan.* I, 4, 3. *I. Lub.* III, 9, 2. *Rec. Hanſ.* 1426, 1440. 1441, 1476. *ap.* MARQVARD. II, 5, 18.

d) Diſp. nr. §. 36. ſeq.

TIT. X.
DE
PERMVTATIONE.

§. CXII.

Permutatio

Permutatio* est conuentio, qua quis rem ea lege dat, ut pro ea alter reddat, de qua conuenit, aliam**.

* Medio æuo dicebatur *cambium, concambium, concambiatura.* DV FRESNE *Gloſſar.* h. u. HEINECCIVS *El. I. Germ.* lib. II. §. 391.

** Qui contrahendi modus maioribus nostris placuit, non Taciti solum temporibus, sed & illis, quibus magna pecuniæ penuria cessare cœpit. Sic quoque adhuc hodie inter bibliopolas frequentissimus est.

§. CXIII.

solo conficitur consensu.

Quia consensu conficitur permutatio (§. pr.), (1) neque *pœnitentiæ d*), neque *condictioni:* causa data, causa non secuta *e*), potest esse locus, ubi alter ex sua parte contractum nondum adimpleuit; (2) *pure, sub conditione*, & additis quibusdam *pactis* iniri potest; (3) *scriptura** non requiritur.

* Iam tamen olim in immobilibus & ecclesiasticis rebus permutandis opus erat scriptura. *L. Alamann.* XXXIX. Unde tot extant chartæ super permutationibus conscriptæ.

§. CXIV.

d) L *Wisig.* V, 4, 1. *Baiuuar.* XV. SCHILTER *exerc.* XXXII, 11.

e) SCHILTER *exerc.* XXIV, 8.

§. CXIV.

Notum etiam est, permutari posse (1) res mobiles & immobiles, (2) *pecuniam*, (3) *mancipia*, neutiquam tamen (4) res *alienas*, (5) *litigiosas*, (6) *uitiosas &c.* siquidem permutari possunt res omnes, quae sunt in commercio. Quaenam permutari queant.

TIT. XI.
DE
LOCATIONE CONDUCTIONE.

§. CXV.

Locatio conductio est conuentio, qua unus alteri pro certa mercede concedit rerum operarumue suarum usum. Locationis conduct. descriptio.

§. CXVI.

Fallor itaque, aut inde fluunt sequentia: axiomata.

I. Locatio conductio usum, eumque solum, transfert.
II. Illius rei operaeue conductor esse potes, a cuius usu te non arcent L.L.
III. Conductor mercedem soluere debet, eamque certam.

SECT. I.
DE
RERVM LOCATIONE CONDVCTIONE.

§. CXVII.

Rei usum

Quia solum usum transfert locatio (§. pr. 1.): sequitur, (1) ut conductor rei, quam conduxit, dominus dici nequeat *f*), nec (2) casum ferat, nec (3) tributa soluat *, nec (4) faciem mutare possit *g*), si uel maxime ad longum tempus conduxerit; (5) ut res, quae nullum usum praestant, locari nequeant; (6) ut eas tantum res locare possis, quarum usum praestandi & non praestandi potestas penes te residet.

* TABOR *de met.* c. 3. th. 17.; contra tributa personalia Kopf-Geld, Handwercks-Steuer, conductor soluere debet.

§. CXVIII.

in habilem transfert &

Ad secundum (§. CXVI, 1.) notes uelim, (1) a quolibet conduci posse domos, agros *b*), uineas, equos *i*), iurisdictionem *k*), pascendi, aquandi aliaque iu-

f) FINSTERWALDER *obseru.* II, 16.
g) TABOR d. *de contractu & iure colon.* th. 47.
b) ROHR Haußh. R. p. I. p. 88. 136.
i) LEISSER *I. Georg.* II, 12, 115. seq.
k) ROHR c. l. p. 660.

iura, (2) *priuatum* tamen ius monetam cudendi *l*), (3) *christianum* Romano-pontificium ius patronatus, (4) *fabrum ferrarium*, aliosque opifices, qui strepitum faciunt *m*), ædes, quibus domus eruditi cuiusdam proxima est, (5) *cerdones*, *saponarios & pelliones* ædes ubique sitas conducere *n*), legem uel consuetudinem esse, quæ prohibeat.

§. CXIX.

Locator rei usum præstare debet fideliter. Hinc (1) ad rem, cuius usum locauit, *tradendam* obstringitur, nec (2) conductorem potest ante constitutum tempus *expellere*. Exceptiones, quæ usu obtinent, & quorundam locorum statutis probantur *o*), ex I. Rom. petitæ sunt. Quod emtor conductorem, quocum non contraxit, expellere queat, illa loquitur parœmia: Kauf geht vor Miethe *p*). præstat locator.

Nn 2 §. CXX.

l) *Ed. monet.* 1559. §. Ferner als sich auch ꝛc. *R. I Spir.* 1570. §. 132. GOLDAST. *Cathol. rei monet.* tit. IX.

m) THOMAS Jurist. Händ. III, 17. LINCK d. *de iure literatorum contra uicinos strepiferos, aliosque studia impedientes.*

n) MEVIVS *ad I. L.* III, 12, 12.

o) *I. Mind.* I, 8, 3. seq.

p) PISTOR. *cent.* VI. *parœm.* 47. GERHARDI d. *de prouerb. iurid.* Kauf geht vor Miethe. WEHNER *obs. pr.* u. Kauf. Diss. ZOLL tr. *de dicterio*: Kauf hebt Miethe nicht auf.

§. CXX.

Conductoris obligatio.

Conductor (1) re conducta utatur, sed non abutatur, nisi damnum dolo uel culpa datum resarcire uelit q); (2) finito usu rem eandem non deterioratam restituat. Hinc conductor prædii tot columbarum paria, quot accepit, restituere tenetur, nisi casualem interitum docere uelit.

§. CXXI.

Pacht-Geld.

De *mercede*, quam conductor soluere debet (§. CXVI, 3.), notes uelim (1) quod dicatur Pacht-Geld, Pacht-Lohn; (2) quod, siue in *pecunia* siue in *fructibus* consistat, (3) *certa*, ac conuentione uel lege determinata, esse, atque (4) in loco locatoris domicilii r) præstari debeat. Quia uero merces soluitur pro rei usu, sequitur, ut nulla debeatur, cessante usu, siue locator siue tempestas illum impediuerit.

§. CXXII.

Erb-Pacht.

Concessio usus rerum hereditarii pro mercede facta dicitur *locatio conductio perpetua*, Erb-Pacht s). Perperam uero emphyteuseos naturam induere uel domi-

q) *I. Mind.* c. I. art. 10.

r) *I. P. S.* II, 5. CARPZOV. *lib. I. R. 10.*

s) LUDWIG *de iure clientelari germ.* sect. 3. c. 4.

minium transferre dicitur *t*). Itaque conductor perpetuus inscio & inuito locatore statum rei locatae immutare nequit *u*).

SECT. II.
DE
OPERARVM LOCATIONE CONDVCTIONE.

§. CXXIII.

Operarum locator, *Operas* quisque suas, *possibiles & licitas*, alteri iure locat, sit opifex, pastor, operarius, famulus aut quis alius, dummodo lege pactoue non prohibeatur, *ut* famulus a priore domino nondum rite missus *x*), homo cuiusdam proprius &c.

§. CXXIV.

quisquis sit, Quisquis sit, qui alteri locauit operas, has fideliter & secundum conuentionis leges *y*) (§. CXIX.), non autem, ut feliciter cedant *z*), praestare debet. Praeterea conductor seu redemtor operis rem, ex qua illud producendum est, probe

Nn 3 cu-

t) ID. c. l. §. 8. Ill. ESTOR kl. Schriften p. I. nr. 3. §. 13. seq. & p. II. nr. 3. p. 243. seq.

u) ID. c. l. §. 9.

x) *R. I.* 1548.

y) *I. P. S.* II, 48.

z) *L. Longob.* I, 1, 9. 10. 11. 19.

custodire debet. Hinc sarcinator, cuius culpa pannum roserunt mures, aut sustulerunt fures, illius aestimationem soluere tenetur *a*).

§. CXXV.

mercedem exigit.

Merces, quae pro operis praestitis debetur, *certa* debet esse (§. CXVI, 3. CXXI, 3.). Sit ex lege, consuetudine, pacto, an collegiorum statutis certa, perinde est.

§. CXXVI.

Iura conductoris,

Conductor operarum (1) locatoris *dominus* dici nequit (§. CXVI, 1.), nec (2) illius *vulnus*, si quod operas praestiturus acceperit, curare, aut mercedem medicis chirurgisque soluere tenetur.

§. CXXVII.

Ius protimiseos.

Alicubi ius protimiseos datur (1) *iurisdictionis domino*, intuitu operarum, quas aliis locaturi sunt rusticorum liberi (lib. I. §. LXXVI.); (2) *parochis*, intuitu operarum georgicarum, quas parochiani aliis sunt locaturi *b*).

SECT.

a) STRVVII d. *de muribus* c. V. §. 15. & d. *de operar.* L. C. th. 27.

b) BERGER O. I. p. m. 691. not. 2.

SECT. III.
DE
V E C T V R A.
Von der Fracht.

§. CXXVIII.

Conuentio de re pro certo pretio transferenda, quæ huc quoque pertinet, si de uectura nauali inita, indiget solemni instrumento *c*), quod *charte partie*, Zerteparthey ꝛc. dicitur *d*). Charte partie.

§. CXXIX.

A pretio, quod pro uectura soluendum, atque pro longitudine itineris & rerum transportandarum pondere determinandum est, differt mercedula illa, quam aurigæ Trinckgeld, nautæ uero Kapplacken nominant. Mercedula.

§. CXXX.

Merces, quas licitas signoque notatas & probe consarcinatas recepit, saluas suo tempore & modo transuehere debet uector. Vectoris officium.

c) Preuſ. See-R. p. 52. seq.
d) Wohlinſtruirter Schiffer sect. 1. c. 1. §. 9. seq. MARQVARD *de iure mercat.* II, 10.

SECT. IV.
DE
CONTRACTU SOCIDAE.

§. CXXXI.

Ex contractu socidae

Contractus socidae* est conuentio, qua unus alteri pecora sua pro mercede quidem locat, sed uili, propterea quod conductor omne pecorum sentiat periculum.

* TABOR & qui cum eo faciunt, statuentes (a) hunc contractum ex 8. C. *de pact.* petendum, (b) uariique generis esse, me quidem iudice, fallunt & falluntur.

§. CXXXII.

pecora conductori pereunt.

Quia pecora non locatori, sed conductori, pereunt e), pereant quo uelint morbo (§. pr.), dicuntur eisern Vieh, & speciatim eiserne Küh, eiserne Schafe f), eiserne Tauben; (2) accensentur rebus immobilibus, & (3) quandoque in feudum dantur g).

§. CXXXIII.

Ex eadem quoque causa conductor (4) dominus quibusdam dicitur; (5) omnia percipit commoda, & (6) facultate gaudet eligendi, utrum ipsa animalia

e) CARPZOV. II, 37, 19.
f) STRVVII d. *de iure ouium* c. 2.
g) ANTON. *disp. feudal.* XIII, 4, 6.

lia restituere, an eorum æstimationem* præstare uelit *b*).

* De qua ne disceptetur, statim ab initio contractus initi, pecora, quæ sic locantur, solent æstimari.

§. CXXXIV.

Ex quo contractu illud deriuandum esse puto, quod alicubi domini hereditarii a rusticis, domicilium mutantibus, certa repetant pecora. Notum enim omnibus, quod olim domini hominibus manu missis prædia quædam, &, quibus ea colerentur, animalia dederint, hac lege, ut emigrantes utraque relinquerent.

TIT. XII.

DE CONVENTIONIBVS ALEAM CONTINENTIBVS.

SECT. I.

DE ALEA, ALIISQVE LVDIS.

§. CXXXV.

Alea, quippe quæ ad exercendum ingenium fallendumque tempus inprimis comparata est, maioribus nostris adeo grata fuit, ut ibi fidem religiose ser- Usus aleæ.

b) STRVV. *exerc.* XXIV, 14.

seruarent, & legibus conuentis plene satis facerent *i*).

§. CXXXVI.

in quem canones & leges conceperunt odium,

Ab illo autem tempore, quo germani Christo dederunt sua nomina, *canones* in aleæ studiosos fulmen uibrarunt excommunicationis; *leges* uero statuerunt, (*a*) neque uictum *k*), neque illius heredes *l*), obstringi & conueniri posse ad soluendam pecuniam, lusu perditam; (*b*) in domini patrisque potestate esse, repetere pecuniam, a seruo *m*), filioque minorenni *n*), lusu perditam. Sic quidem captarunt, neutiquam uero obtinuerunt, aleæ desuetudinem.

§. CXXXVII.

nec reprobatur hodie,

Hodie omnes, quibus libera est res suas alienandi potestas, alea, immo quouis, speciatim non prohibito*, ludorum genere fortunam experiri, & numos perdere, nec perditos tanquam indebite solutos condicere *o*) possunt. Interim tamen

i) TACITVS *de M. G.* c. XXIV.
k) *Weichb.* art. 101.
l) *I. P. S.* I, 6. *Sueu.* c. 255.
m) *I. P. S.* III, 6. *Sueu.* c. 250.
n) *Sp. Sueu.* c. 34.
o) Fußkn. Bestall. zu Speyer 1570. c. 111. *Ord. Pol. Magd.* c. 54. §. 5.

men pecuniam, quam collusori adhuc debet, soluere nemo cogitur, si uel maxime, ut uidetur STRYKIO *p*), super ea transegerit, literasue cambiales dederit.

* Alicubi prohiberi sequentes ludos: *bassette, trenta, quaranta, landsquenets* &c. nos docent GVARIENT. *Cod. Austr.* p. II. p. 306. LVEFT *repert. I. Sax.* v. spielen OTTO *Corp. Const. Magdeb.* p. III. p. 297. & p. VI. p. 37.

§. CXXXVIII.

Illud denique praeterire nequeo, quod nullo unquam tempore cuidam licuerit, aut liceat hodie, mala fide ludere. Hinc iam olim, qui tesseras talosue adulterinos circumferebat, *infamis* habebatur (lib. I. §. CCCCXCV, d.), immo quandoque manu priuabatur *q*). dummodo in. f. desit.

§. CXXXIX.

Quum & sola alea subsit *lottariis*, *ollisque fortunae*, putarem, has moribus nostris non contrariari, si publice, bonaque ponantur fide *r*). *Lottaria.*

SECT.

p) STRYK. c. l. §. 8. seq.

q) *Gl.* ad *l. P. S.* III, 6.

r) WILDVOGELII d. *de eo quod iustum est circa lottarias* th. 3. seq.

SECT. II.
DE
SPONSIONIBVS.
§. CXL.

Sponsio

Sponsio est conuentio, qua rei nobis adhuc incertae ueritatem uel euentum significanti praemium promittitur.

§. CXLI.

an hodie licita?

Sicut olim, ita hodie sponsiones, & praesertim eae, quas mercatores *s*) faciunt, probantur, dummodo (1) uictor neque *dolum t*) aut *captationem u*) commiserit (§. CXXXVIII.), neque de *re inhonesta* (§. VII, 5.) *x*), aut *contra modum* lege prouinciali determinatum *y*) sponsionem fecerit; (2) praemium sit in promittentis potestate.

SECT. III.
DE
ADSECVRATIONE.
§. CXLII.

Adsecurationis

Adsecuratio est conuentio, qua unus alterius mercium transuehendarum periculum pro certo praemio suscipit.

§. CXLIII.

s) WEHNER *obs. pr.* u. Wetten.
t) BESOLD. *ad* O.P. *Wurt.* f. 210.
u) ID. *tb. pr.* u. Wetten.
x) APPOLD d. *de sponsion.* §. 14.
y) STRYK *V. m. ff.* c. l.

§. CXLIII.

Itaque de adſecuratione hæc notes axiomata:

I. Cuius eſt conſentire & alienare, ille poteſt adſecurare.

II. Adſecurator rerum alterius alio transuehendarum periculum ſuſcipit,

III. ſuſceptumque præſtat, ſtatim atque de eo certior factus eſt.

IV. Præſtita ſecuritate debetur præmium.

§. CXLIV.

Ex primo (§. pr. 1.) conſtare puto, (1) quod adſecurare nequeant infantes, impuberes, furioſi (§. V.); (2) quod obligationi ex adſecuratione ortæ illud idem obſtet, quod obſtat conſenſui; (3) cur adſecurationem Dd. diuidant (*a*) in *expreſſam* & *tacitam* z), (*b*) in *puram* & *conditionatam*. conuentione

§. CXLV.

Ex ſecundo (§. CXLIII, 2.) ſequitur, (1) ut adſecurari nequeant, quæ merces non audiunt, ueluti (*a*) uita hominis liberi *a*), (*b*) mercium transportandarum

z) WERLHOF. d. *de. inſtrumento adſecur.* ſect. I. §. 13.

a) *Ord. Amſtel.* a 24. *Antwerp.* a. 32. *Middelburg.* a. 2. WERLH. c. l. §. 12.

(b) cibaria b), (c) stipendia nautarum militumque c), & denique (d) res omnes, quas inuehi euehiue prohibent leges d); (2) ut nulla sit adsecuratio mercium, quae non transportantur e), aut (3) quarum transportandarum nullum amplius est periculum, quum iam in portu sint f).

§. CXLVI.

periculum Per *periculum* autem, quod adsecurator suscipit, intelligitur quoduis damnum post adsecurationem rebus adsecuratis extrinsecus obueniens. Hinc adsecurator suscepisse non uidetur (1) damnum, quod mercium uitio, aut (2) culpa nautarum contingit g); aut (3) iam adsecurationis tempore rebus adsecuratis illatum* erat, nisi hoc sibi cognitum adsecuratori adsecuratus significauerit (§. CXLI, a.) h).

* Hoc

b) Kön. Preuss. See-R. c. 6. art. 10. seq. COCCEII d. *de assecur.* §. 37.

c) *Ord. Amst.* a. 10. 11. 20.

d) STYPMANN *iur. marit.* III, 7, 286. MEIER *de assecurat. mercat* c. 4. §. 13 seq.

e) SANTERNA *de adsecurat.* p. III. p. 804.

f) MEIER c. l. §. 9. seq.

g) ID. c. l. c. 5. §. 3. seq.

h) IDEM c. l. c. 4. §. 4. seq.

* Hoc cognouiſſe præſumitur adſecuratus, (*a*) ubi a mercibus deperditis tot horæ præterlapſæ ſunt, quot milliaria cum dimidio conficiunt ſpatium, quo locus interitus & domicilium adſecurati diſtant inter ſe; (*b*) ubi nauis cum mercibus intra fines Europæ, Barbariæ 3., extra eos uero 6. m. iam abfuit.

§. CXLVII.

Et quia ſuſceptio periculi ſtricti iuris eſt, (1) adſecurator, uno periculi genere ſuſcepto, de reliquis non tenetur, nec (2) naue adſecurata, merces adſecuratæ uidentur *i*). Satius tamen eſt, ut adſecurator caſus, quos præſtare uelit, ſpecifice enarret conuentionis tempore. ſuſcipit

§. CXLVIII.

Quia adſecurator periculum, quod ſuſcepit, præſtare tenetur (§.CXLIII, 3.), cognitu erit facile, adſecurato contra adſecuratorem illiusque heredes dari actionem, (1) ad conſequendam *ſortem*, ubi mercibus damni quid contigit, (2) ad præſtandam *cautionem*, ubi de non ſoluendo ſuſpectus eſt *k*). præſtatque adſecurator.

§. CXLIX.

Ad quartum notes (§. CXLIII, 4.), adſecuratores (1) ubi adſecuratus impedi- pro præmio ſibi promiſſo.

i) SANTERNA c. l. p. 821. Preuſ. See-R. c. 6. art. 32.

k) LOCCENIVS *iur. marit.* II, 5, 8.

ditus est, quo minus portu solueret (§. CXLIII, 2.), præmium, die *premie, versekerloon*, non lucrari, sed *ristorno* facere, seu iam acceptum restituere debere; contra (2) naui mercibusque saluis in portum, quo destinatæ, appulsis, ad *præmium*, idque, quod *interest*, si moras nectat adsecuratus, consequendum agere posse *l*), & quidem executiue *m*).

* Quo tamen casu dimidium pro centenis lucratur adsecurator *Ord. Amst.* art. 22.

§. CL.

Contenta polizzæ confectæ super rerum

Ut uero eo facilius constet, de quo conuenerint partes, instrumentum solet confici, quod *polizza* dicitur. Hanc, solemnitatum intuitu, Dd. diuidunt in *publicam priuatamque n*). Utraque continere debet *o*) (1) *nomina* tam contrahentium, quam nauis, qua res sunt transportandæ, (2) *locum*, cuius ex portu soluitur, & quo tendit, nauis, (3) promissionem de adsecurando, ipsamque *adsecurationem*, (4) determinationem *præmii* soluendi, uel iam soluti confessionem, (5) *subscriptionem* adsecurantium, qua significari solet (*a*) pars mercium, cuius, (*b*) locus, ad quem usque, quilibet suscepit peri-

l) WERLHOF c. l. § 17.
m) COCCEII *de assecurat.* §. 46.
n) WERLHOF *sect.* II. §. 9.
o) IDEM c. l. §. 10. MEIER c. l. c. 5. §. 30.

periculum. Præterea (6) aſſecurati eſt, ne eo generalis *hypotheca* ſibi concedatur in bonis adſecurantium, & (7) aſſecurantis, ne (*a*) de certo magiſtro nauis & (*b*) *de tempore* a quo incipere, itidem, ad quod usque durare debeat adſecuratio, conueniatur, (8) utriusque uero, ne compromittatur in 3. mercatores, qui decidérent controuerſias ex aſſecuratione oriundas, atque ne *deſignantur* æſtimenturque adſecuratæ *merces*, cauere.

§. CLI.

Quatuor priora etiam, ubi perſona adſecuratur polizza continere debet *p*) Præterea ſat eſt, ut determinet ſoluendum, ſi captiuitas obuenerit, *pretium*, & nominet *perſonam*, cui lytrum præſtandum ſit. Formulas polizzarum, nec non in iis contentarum clauſularum interpretationem uideſis apud WERLHOFIVM *q*). Aliam formulam lingua belgica conceptam ſiſtunt CRON *r*) & HEINECCIVS *s*).

uel perſonarum adſecuratione.

TIT.

p) ID. c. l. §. 11.
q) c. d. *app.* p. 45. ſeq.
r) tr. *de iure adſecur.* p. 77. ſeq.
s) *Elem. I. Germ.* II, 438.

Engau Ius Germ. Oo

TIT. XIII.

DE

CONVENTIONIBVS ACCESSORIIS

SPECIATIM

DE

FIDEIVSSIONE.

§. CLII.

Conuenſiones acceſſoriæ

Conuentiones quascunque firmare potes (1) *fideiuſſoribus*, (2) *pignoribus*, (3) *inſtrumento guarentigiato*, (4) *iureiurando*, (5) *literis cambialibus*, & (6) alicubi obligatione ad *obſtagium*. Olim firmabantur quoque (7) obligatione (*a*) *ad infamiam*, uel *picturam famoſam*, (*b*) ad *deprædationem patiendam*, (*c*) ad *carceres*, (*d*) ad *proſcriptionem*, (*e*) ad *inediam*. De quibus omnibus ſigillatim nobis agendum erit.

§. CLIII.

ſequuntur principalem.

De acceſſoria conuentione uelim notes: (1) quod nulla detur ſine principali & (2) unaquæque non poſſit non corruere, extingui & annullari, ubi obligatio, cui acceſſit, corruit, extinguitur & nulla declaratur (§. IX. **); (3) quod ab iis, qui principaliter ſe obligare nequeunt, contrahi poſſit minime.

§. CLIV.

§. CLIV.

Fideiuſſio (§. CLII, 1.)* eſt conuentio qua quis alterius obligationi accedit, creditorem ſecurum redditurus. Fideiusſio eſt

* Fideiuſſores olim dicebantur *vvadii*, *giſiles*, Geiſel.

§. CLV.

Unde conſtabit, (1) fideiusſionem accedere poſſe cuilibet obligationi (§.CLII.), quæ effectu non deſtituitur (§. CLIII.); (2) fideiusſionem in aliam rem, aut maiorem ſummam, quam debitum principale, non ualere; (3) non ſolum *maſculos*, ſed & *feminas*, ſolutas pariter atque maritatas, dummodo illæ ſint iuſtæ ætatis *t*), itidem *milites* &c. fideiubere poſſe; contra (4) non poſſe, quicunque conueniendo ſe obligare nequeunt (§.CLIII, 2.) quales ſunt furioſi, prodigi, minores &c. (5) extincta obligatione principali, fideiuſſoris obligationem extingui (§. eod. 1.) *u*). conuentio acceſſoria

§. CLVI.

Quia creditor fideiusſione ſecurus reddendus eſt (§. CLIV.), ſequitur, ut fideiubere nequeant (1) qui nihil plane, aut creditorem ſecurum reddens,

 (2)

t) BOEHMERI d. *de efficaci mulierum interceſſione*.

u) I. *Mind.* c. l. *art.* 4.

(2) minus in bonis habent, atque est obligatio, cui accedere uolunt *x*), aut (3) de eo, quod possident, disponere nequeunt u. c. coloni, homines proprii, coniux in locis, ubi uiget bonorum communio *y*) &c. (4) qui arces impugnabiles inhabitant *z*).

§. CLVII.

excludens beneficium ordinis.

Germani, si Burgundiones *a*) exceperis, & prima *b*) & media * ætate *c*) fideiussoribus denegarunt beneficium ordinis, quando seruarunt parœmiam illam: **Den Bürgen muß man würgen** *d*). Singulare & illud fuit apud Burgundiones *e*), quod ab obligatione fideiussoria fideiussoris heredes se liberare potuerint.

* *I. P. S.* III, 85. *Weichb.* art. 31. Obstat quidem *I. P. Sueu.* c. 325. ast, illud attentionem non mereri, satis docuit HEINECCIVS *Elem. I. Germ.* II, 451.

§. CLVIII.

x) *LL. Luitprandi* VI, 7. 8. ap. GEORGISCH p. 1098.

y) *I. Mind.* I, 13, 6. ibique CRVSIVS *dec.* 4.

z) HERING *de fideiuss.* c. 8. nr. 131. seq. c. 16. nr. 11.

a) *L. Burgund.* addit. c. VII.

b) SCHILTER *exerc.* XLVIII, 21.

c) *Capit.* VII, 253.

d) HERT. *lib. I. parœm.* 94. PISTOR *cent. I. parœm* 15.

e) tit. LXXXII, 2.

§. CLVIII.

Unde ſine dubio eſt, quod adhuc hodie ex multarum urbium ſtatutis (1) ceſſet *beneficium ordinis f*), immo alicubi fideiuſſor ante debitorem principalem conueniri debeat *g*); (2) *milites h*) & *clerici* fideiusſioni ſtare iubeantur, atque (3) *feminæ*, quæ quum iuſtæ ætatis eſſent, fidem intespoſuerunt, nec ipſæ nec earum heredes SCto Velleiano aut authent. Si qua mulier. queant uti *i*); (4) heredes fideiuſſoris conueniri nequeant *k*), niſi fideiusſionis tempore eorum mentio facta *l*). Sic quoque non obligantur, ſi phraſis: wo der fideiuſſor verſtorben, ſoll debitor einen andern ſetzen, adhibita fuerit *m*). Uſus hodiernus.

§. CLIX.

Denique notandum erit, (1) quod clauſula: er ſoll einen Bürgen ſtellen, oder ſelb-

f) SCHILTER c. l. th. 23.

g) FINSTERWALDER *obſ. pr.* II, 94.

h) IDEM c. l. obſ. 95. WALTER *de iure conſuetud.* II, 12.

i) de LVDWIG d. *de differ. in fidei. uxoris* p. 14. ſeq. diff. 5. & d. *de SCto Vellei. in Germania exſule.*

k) *Stat. Mulhuſ.* III, 67.

l) TENTZEL d. *de nexu heredum ex fideiusſione defuncti.*

m) *Stat. Hamb.* II, 6, 1.

ſten Bürge werden *n*), non præſtationem fideiusſionis, ſed corporalem detentionem denotet; (2) quod fideiuſſoribus in Pomerania detur (*a*) *beneficium ſtyli curiæ o*), & (*b*) *beneficium aſſiſtentiæ p*).

TIT. XIV.

DE PIGNORIBVS.

§. CLX.

Pignus eſt

Pignus eſt conuentio, qua debitor in creditorem transfert rei alicuius dominium, ſoluto debito reuocandum *q*).

§. CLXI.

Unde hæc deduco axiomata:

I. Quicquid conſenſui obeſt, illud & impedit, quo minus pignoratitia ualeat conuentio.

II. Creditor rei pignori datæ dominus eſt,

III. usque dum ſoluatur debitum.

§. CLXII.

n) *I. Lubec.* III, 1, 1. IV, 16, 4.

o) BALTHASAR d. *de beneficio ſtyli curiæ fideiuſſoribus in Pomerania indulto.*

p) *Rec. Prou. Wolgaſt.* tit. 3. §. Wenn ein fideiuſſor &c.

q) *I. P. S.* II, 24, 60. III, 5. Obſt. *L. Wiſig.* V, 6, 3. addit. *L. Friſ.* IX, 1. *L. Alam.* LXXXVI, 2, 10. STRAVCH *de oppignorationibus imperii* c. 10. §. 33.

§. CLXII.

Ex primo (§. pr. 1.) conſtat, (1) quod pignoris contractum uitient uis, dolus, metus, ſimulatio; (2) quod *ſcriptura* non niſi facilioris probationis ergo adhibeatur. conuentio, qua

§. CLXIII.

Quia creditor fit rei pignori datæ dominus (§. CLXI, 2): ſequitur, (1) ut non niſi *res in commercio creditoris exiſtentes & debitoris propriæ* iure oppignorentur, ideoque (*a*) *res ſacræ* & (*b*) *furtiuæ* plane non, (*c*) *res alienæ*, tunc demum ubi earum conſentit dominus, (*d*) *mancipia chriſtiana*, ſi creditor Iudæorum ſacris non addictus &c. pignori dari queant. creditor rei pignori datæ fit dominus, ideoque

§. CLXIV.

Ex eodem (§. CLXI, 2.) intelligi poteſt, (3) cur maiores noſtri ſtatuerint, *creditorem* poſſe de re pignori data *diſponere*, ideoque eam (*a*) iterum oppignorare, (*b*) in feudum dare, (*c*) uendere &c. ita ut debitori contra tertium poſſeſſorem nulla detur actio, multo minus uindicatio *r*). de ea,

r) *I. P S.* II, 60. *Sueu.* c. 226. *I. Lubec.* III, 2. *Hamb.* II, 2, 7. POTGIESER *de indole & nat. pign.* ſect. II. c. 2. u. MEIERS Gedancken von Rechtmäßigkeit des 6. Zinß-Thalers §. 13.

§. CLXV.

Ex eodem porro de causa liquet, (4) cur creditor de *fructibus rei* pignori datæ disponat libere, nec (5) eos percipiat usurarum nomine, ideoque (*a*) de usuraria prauitate, (*b*) ad reddendas rationes, (*c*) ut patiatur, usuris legitimis maiores, quos percepit, reditus in sortem imputari *s*) &c conueniri nequeat, si uel maxime nullum pactum antichreticum adiectum fuerit; (6) cur creditor sentiat *casum t*) interitumque rei *u*), seu amittat sortem, amissa re pignori data *x*).

§. CLXVI.

illiusque fructibus libere disponit,

Unde esse iudico (7) quod territorium oppigneratum, quo quandoque *inuestitur creditor*, dicatur ein Pfand-Lehn, geliehene Satzung, Lehns-Satzung; (8) quod creditor territorii oppignorati *iura* huic annexa exerceat, speciatim (*a*) exigat homagium *y*), (*b*) inuestiat uasallos *z*), (*c*) censum ab emigrantibus petat *a*), (*d*) metallorum fodinas sibi sumat, (*e*) collectas

s) POTGIESER c. tr. sect. III. c. 2. §. 29.

t) L. *Alamann.* LXXXVI, 2.

u) L *Fris.* IX, 1.

x) *I. P S.* III, 5. *Sueu.* c. 243. u. MEIERN c. l. §. 14.

y) POTGIESER c. l. §. 6.

z) ID. c. l. §. 12.

a) ID. c. l. §. 16.

lectas imperii soluat *b*), & denique, (*f*) ubi territorium oppigneratum immediatum est, gaudeat superioritate territoriali omnibusque regalibus *.

* *Reformare* quoque potest religionis exercitium, ita tamen, ut, debito soluto factaque reluitione, debitor etiam suæ religionis publicum exercitium introducere possit *I. P.* art. V. *§.* 27.

§. CLXVII.

Quia debitor rem, quam pignori dat, alienat (§. CLXI, 2.), rei autem immobilis alienatio in iudicio & consentientibus agnatis fieri debet (lib II. §. LXII, 2.): intelligitur, ex qua causa oppignoratio rerum immobilium fieri debeat (1) coram iudice, siue apud acta *c*), ita, ut nomen debitoris & creditoris inscribatur dem Stadt-Buch, (2) consensu (*a*) ganerbiorum (*b*) domini directi (lib. II. §. XC. LXXX.) (*c*) ciuium, uel saltem horum iuribus & priuilegiis saluis *d*). **dummodo rei immobilis oppignoratio iudicialiter facta sit.**

§. CLXVIII.

Tertium (§. CLXI, 3.) docet, (1) cur creditor ad illud usque tempus dicatur Pfand-Herr, quo fit reluitio *e*); (2) cur cre- **Pignoris dissolutio.**

b) ID. c. l. *§.* 34.
c) *L. Longob.* II, 21, 18. SCHILTER *exerc.* XXXIII, 7.
d) POTGIESER c. l. *§.* 2.
e) BESOLD *th. pr.* h. u.

creditor rem sibi pignori datam ualide quidem (§. CLXIV.), sed illicite, in alium transferat, ideoque, facta alienatione, ipse, neutiquam uero emtor, a debitore conueniri possit *f*); (3) cur debitor pignus, soluto debito, quouis tempore reuocare possit.

§. CLXIX.

In quantum territoria relui possint?

Imperator tamen prædia & territoria statibus imperii pignori data reluere nequit *g*). Quod ad ea bona attinet, quæ *status imperii* sibi inuicem pignoris iure ante hominis memoriam dederunt, in iis reluitioni aliter non datur locus, nisi possessorum exceptiones & merita causarum sufficienter examinentur *h*).

§. CLXX.

Iuris pignoris fata, &

Quæ plana *cum* abnegatione fidei germanicæ, *tum* patriorum morum ignorantia eorumque cum I. Rom. commixtione, satis turbata sunt. Fecit enim *illa*, ut uariæ pignoris contractui adiicerentur clausulæ, *hæc* uero, ut alii pignus ad E. V. accedere, alii illud emtionem sub pacto de retrouendendo. E. V. census alii, alii antichresin iudicarent.

§. CLXXI.

f) *I. P. S.* III, 5. f.
g) *I. P.* art. V. § 26. GRASS. *collat I. Ciu. cum. Rec. Imp.* sect. VI. §. 4. p. 318.
h) *I P.* art. V. §. 27.

§. CLXXI.

Quæ tamen turbatio eo procedere non potuit, ut ius pignoris totum quantum in exilium mitteretur. Adhuc hodie illius supersunt uestigia, (1) in *reluitionibus castrorum* & prædiorum antiquitus oppignoratorum, ubi nullæ fructuum perceptorum redduntur rationes, (2) in *oppignoratione rerum immobilium*, quæ, si non iudicialiter facta, plane non ualet alibi *i*), alibi postponitur hypothecis publicis, nulla temporis ratione habita *k*), (3) in *oppignoratione prædiorum, quorum dominium inter duos pluresue diuisum est.* Ibi enim consensu domini directi opus est. **usus hodiernus.**

TIT. XV.
DE
OBSTAGIO.

§. CLXXII.

In conuentionibus accessoriis, iisque personalibus, est *obstagialis*, ui cuius debitor, nomine ante certum diem non expuncto, interpellatus debet ingredi diuersorium publicum, neque inde prius exire, quam creditori satisfactum. Quod di- **Obstagium**

i) *I. Hamb.* II, 4, 4. *Lubec.* III, 4, 1. *Mulhus.* III, 71, 1. *Viennense.* ap. GAIL. *obs.* II, 25.
k) *I. Mulhus.* III, 71, 2.

dicitur, Einlager, Eintritt, Leistung (§. CLII, 6.), atque per Sec. XIII. *l*) XIV. *m*) XV. uiguit, & post in Comitiis Augustanis 1548. adprobatum est *n*), hac tamen lege, ne quis extra imperii fines ad illud obseruandum euocaretur.

* Hoc ius a Bertholdo Zæringensi in extremo Burgundiæ angulo in odium nobilium excogitatum & inuectum esse, sunt omnino, qui statuunt, sed non probant. Contra illud iam ante Bertholdum in Germania cognitum fuisse, docet HEINECCIUS *elem. I. Germ. lib.* II. §. 455.

§. CLXXIII.

Unde hæc notanda erunt:

I. Obligatio ad obstagium accessoria est.

II. Obstagio corpus obligatur pignori.

III. Obstagium non nisi præcedente monitione præstandum est

IV. Locus obstagii certus & honestus esse debet.

§. CLXXIV.

quo corpus obligatur

Ex primo (§. pr.) colligo, (1) quicquid obstat consensui, obstare obligationi ad ob-

l) *I P. S.* II, 11. SCHILTER *de iure obs.* add. ad n. 6.

m) SPANGENBERG *Chron. Henneb.* IV, 5. V, 5. MEIBOM. *ad Orig.* MARC. f. 39.

n) *Ref. Polit. Aug.* tit. 17. von wucherl. Contr. §. f.

obſtagium; (2) ad obſtagium obligari heredes, quorum mentio in conuentione facta eſt; (3) obligationem ad obſtagium ſine alia præcedente obligatione non ſubſiſtere (§. CLIII, 1.). Cæterum accedere poteſt non ſolum mutuo, ſed & emtioni uenditioni *o*), pactis dotalibus *p*), aliisque contractibus *q*).

§. CLXXV.

Quia obſtagio corpus obligatur pignori (§. CLXV, 2.): uides, cur, ſi obſtagiatus in obſtagio decedat, corpus defuncti tamdiu detineatur, donec creditori plene ſatisfactum ſit *r*). **pignori**

§. CLXXVI.

Ad obſtagium ſe obligare queunt homines, cuiuscunque generis, ſuperioris *ſ*) & inferioris ordinis, immo ciuitates. *Nobilitas ſuperior* per quosdam uaſallorum *t*) ſuorum, ſicut *ciuitates* per aliquot ci- **debitores fideiuſſoresque**

o) MVLLER Stats-Cab. 3. Defn. p. 21.

p) IDEM c. l. p. 15. FALCKNER d. *de obſtag.* c. IX. §. 3. ſeq.

q) PISTOR *p. II. conſ. 1.*

r) RICHTER d. *de obſtag.* §. 37. MEVIVS *diſcuſſ. leuam. inop. debit.* c. 4.

ſ) GVICHENONIVS *biblioth. ſebuſ.* cent. 1. nr. 24. SCHILTER addend. ad d. *de iure obſ.* p. 153.

t) SCHILTER. *exerc.* XLVIII, 22. KOPP *de iure pign.* §. 2. p. 5.

ciues *u*) obſtagium, ad quod obligabantur, præſtare ſueuerunt antiquitus.

§. CLXXVII.

præuia monitione

Monitio, quæ obſtagio præſtando præcedere debet (§. CLXXIV, 3.), dicitur die Leiſtmahnung, fitque uel iudicialiter uel extraiudicialiter. Hinc & *obſtagium* a quibusdam diuiditur in *iudiciale & extraiudiciale*.

§. CLXXVIII.

rite &

Obſtagium autem præſtat debitor, ubi (1) una cum ſeruis & equis in aliena domo uiuit, (2) uictum ab aliis ſibi comparat, (2) aduenas quosuis lauto cibo excipit, (4) a laboribus, quibus uictus quæritur, abſtinet, nec (5) prius recedit, quam creditori plene ſatis factum eſt. Secus faciens *infamia* olim notabatur.

§. CLXXIX.

in certo honeſtoque loco præſtare debent.

Quia locus obſtagii certus & honeſtus eſſe debet (§. CLXXIV, 4.) notes, quod illum uel determinent uel creditoris arbitrio relinquant *x*) contrahentes. Tantum uero abeſt, ut creditor determinare queat locum infamem, fœtidum, ſolitarium, eumue, ubi facile uexari, aut uictu de-

u) SENCKENBERG *ſelect. iur. & hiſt.* Tom. I. p. 646. ſeq.

x) BEYER *delin. I. G.* III, 12, 13.

deſtitui posſit obſtagiatus; ut potius crediti iure excidat, ſi locum infamem deſignauerit y), quum obſtagium debeat eſſe ein ehrliches, öffentliches und rittermäſiges Einlager.

§. CLXXX.

Quia obſtagiatus quemuis aduenam lauto cibo excipere debebat (§.CLXXIX, 1.) (1) natum eſt illud: köſtliche Mahl heiſen Gieſel-Mahl; (2) fieri non poterat, quin ſæpe debitores ad incitas redigerentur.

§. CLXXXI.

Unde primum in *Saxonia* z), dein in *imperio a*), ſublata ſunt obſtagia. Nihilo tamen minus ius obſtagii ſaluum manſit in ducatibus *Sleſuicenſi*, *Holſatico* *, *Sileſiaco* **, *Megapolitano b*), & quibusdam locis A. Epiſcopatus *Bremenſis c*), nonniſi modo procedendi quodammodo mutato. Uſus hodiernus.

* Ca-

y) IOACH. U. FRICCIUS Widerl. Meyn. daß die Beziehung des Einlagers der Ehre nachtheilig. § 13 p. 21.

z) *p II. conſt. el* 22.

a) *Ref. Pol.* 1577 tit. 17.

b) *Conſt.* 1572. 1621.

c) MEVIUS *ad Conſt. Bremenſ.* de A. 1577. c. 9, nr. 3.

* Cauerunt enim CHRISTIANVS IV. R. Dan. & ADOLPHVS D. Holſ. (1) ut, qui ſe ad obſtagium obligarent, ſtatim a facta interpellatione, ſub pœna infamiæ ingrediantur in diuerſorium, de quo conuenerit, (2) ut ceſſent omnes comiſſationes. Idem poſtea de nouo ſtatuerunt modo laudatus R. Dan. & FRIDERICVS D. Holſ. 1630. adiicientes, ut ne uxoribus liceat aduerſus maritos uti rigore obſtagiali. V. *Reuidirte* L. G. O. der Herz. Schleßw. und Holſt. p. IV. tit. 14. 15. Quam conſtitutionem renouatam ſubſecuta eſt ſpecialis imperatoris & imperii confirmatio, *I. P. W.* art. VIII. §. 5. *R. I.* 1654. §. 170. 171. V. *Acta* LVNDORPII *Tom* VII. p. 607.

** Pol. Ordn. 1583. rubr. von dem Schaden treiben, Einreiten oder Leiſtungen, §. Was aber die Einlager berührt, quod tamen poſtea mutatum eſt per Deſſn. L. O. p. V. art. 3. quippe in qua penitus reprobantur obſtagia.

TIT. XVI.

DE INSTRVMENTO GVARENTIGIATO.

§. CLXXXII.

Inſtrumentum guarentigiatum

Inſtrumentum guarentigiatum, quo quandoque firmatur principalis aliqua conuentio, & inde nata obligatio (§. CLII, 3.), dicitur ſcriptura, qua quis *ſe pure debere fatetur, atque ſimul exprimit, quid, quale, quantum, cui, quo tempore & ex qua cauſa debeat.*

* Un-

* Unde sequitur, ut ex instrumento guarentigiato non obligentur (1) qui principaliter conuenire, indeque se obligare nequeunt; (2) qui docent, conuentionem, cui accessit instrumentum, uel plane non uel illegitime celebratam, aut iam extinctam esse (§. CLIII, 3.).

§. CLXXXIII.

Itaque guarentigiatum instrumentum dici nequit, (1) quod uel omni uel speciali *causa debendi* destituitur *d*), aut (2) *tempore solutionis* determinato; (3) quod ad aliud se *refert*; (4) quod *impersonalem* obligationem continet, uel creditorem uel debitorem non nominans; (5) quod *quantitatem* debiti non loquitur; (6) quod neque *scriptum* neque *subscriptum* est a debitore illiusue mandatario *e*), aut auctore *f*). *Subsignatio* nihil addit, atque *chartæ* * uilitas, & *atramenti* diuersitas nihil detrahunt, instrumento guarentigiato. Hinc subsignatio sine subscriptione facta documentum ab alio conditum non facit guarentigiatum *g*). quale non dicatur?

* In quibusdam tamen prouinciis opus est charta sigillata, gestempelt Papier.

§. CLXXXIV.

Eiusmodi instrumentum paratam habet quis illius effectus?

d) ENGELBRECHTI d. *de instrum. indiscret.*
e) BERGER *El. proc. exec.* §. 20.
f) IDEM c. l. §. 14.
g) ESBACH ad CARPZOV. *p. I. const.* 17. d. 21.

bet executionem *b*), ita, ut (1) ſtatim ab illius *recognitione* condemnetur reus, & (2) nullus contra condemnationem detur *appellationi* locus, quod ad effectum ſcilicet ſuſpenſiuum, (3) omnes reiiciantur *exceptiones* adhuc *illiquidæ*. Admittitur tamen exceptio implementi nondum ſecuti, dummodo defectus implementi ſpeciatim ſignificetur *i*).

§. CLXXXV.

Guarentigiatorum (§. CLXXXIII.) uim (§ pr.) habere dicuntur (1) inſtrumenta publica auctoritate magiſtratus condita, (2) ex libris & protocollis iudicii legitime transſumta *k*), (3) literæ, munitæ clauſula: mit oder ohne Recht, & (4) alicubi inſtrumenta inter mercatores condita.

TIT. XVII.

DE LITERIS CAMBIALIBVS.

§. CLXXXVI.

Literæ cambiales. *Cambiales literæ* (§. CLII, 5.) ſunt inſtrumentum guarentigiatum, (§. CLXXXII.) ſtylo mercantili conceptum, continens uocabulum: Wechſel-Brief.

§.CLXXXVII.

b) CARPZOV p. III. *dec*. 236. nr. 17. 20.
i) WERNHER p. I. *obſ* 149. p. 209.
k) BEYER *delin*. *I. Germ*. II, 19, 24.

§. CLXXXVII.

Unde constabit de causa (1) cur literas cambiales regulariter quilibet, cui aliis se obstringere non prohibitum est (§. CLXXXII. *), scribere possit *l*), sit christianus, an Iudæus *m*), nobilis *n*) an ignobilis, burgensis an rusticus *o*), politicus an clericus *p*), masculus an mulier *q*), miles *r*) an quis alius. Quid? quod filiif. & minores, ubi mercatores sunt *s*), aut adstante curatore agunt, L. C. scribere possunt. Quorundam tamen locorum ordinationes cambiales excipiunt *clericos t*), *studiosos u*), *mulieres non mercatrices x*), *rusticos y*).

ubi a personis, quæ rigori cambiali subiacent,

§. CLXXXVIII.

Porro inde sequitur, ut (2) dici nequeant cambiales literæ, (*a*) quibus conuen-

rite sint conflitæ,

l) ZIPFEL tr. von Wechselbr. c. l. p. 14.
m) ID. c. l. p. 15.
n) ID. c. l. p. 20.
o) STREIT c. d. pos. 5.
p) ZIPFEL c. l. p. 22.
q) LVDOVICI d. *de muliere cambiante* §. 27. SCHARTOW *cent. differ. I. Ciu. & March.* tit. 17. §. 2.
r) ID. p. 26. ENENCKEL *de priuil. mil.*
s) IOECHERI d. *de personis rigori cambiali subiectis* §. 7. seq.
t) *Ed. R. Polon.* 1711. d. 22. Mart.
u) ZIPFEL c. tr. p. 41.
x) ID c. l. p. 33.
y) Siegels fürsichtiger Wechselgl.

uentio, cui accedunt, seu *causa debendi*, non exprimitur*; (*b*) quæ ad aliud instrumentum, quod deficit, se *referunt*; (*c*) quæ *creditoris* uel *debitoris nomen*, aut (*d*) *diem solutionis*, aut (*e*) *quantitatem debiti*, aut (*f*) *subscriptionem* z) (§. CLXXXIII)**, aut (*g*) *clausulam cambialem* a) non continent.

* Exprimi autem solet h. p. den Werth von ihm baar (durch Wahren) vergnüget. Quod phrases: den Werth vergnüget, ualuta von ihm, non sufficiant, docet ZIPFEL tr. von Wechselbr. p. 138.

** Cuius defectum supplere nequit *sigillum* appositum (§. CLXXXIII.), si uel maxime scribere nequeat debitor.

§. CLXXXIX.

paratam habent executionem.

Literæ cambiales paratam habent executionem, ita ut statim ab earum recognitione aut soluere aut carcerem ingredi teneatur debitor, si uel maxime (*a*) *appellet* superiorem *b*), aut (*b*) opponat aliquas *exceptiones*, dummodo hæ sint illiquidæ (§. CLXXXIV, 3.). Contra, ubi in continenti est liquida *c*), exceptio *non* con-

z) ZIPFEL c. tr. p. 252.

a) RIVINI d. *de clausula cambiali* ZIPFEL c. tr. p. 249.

b) ZIPFEL c. tr. p. 83. seq.

c) LVDOVICI Einleit. zum Wechsel-pr. c. 11. §. 1.

contracti aut extincti debiti cambialis, ſpeciatim *N. N. P. d*), *ſolutionis e*), *compenſationis f*), *nouationis*, *delegationis*, *præſcriptionis g*) *&c.* iure opponitur.

§. CXC.

Literæ cambiales ſunt (1) uel *ſimplices* uel *traſſatæ*, prout earum auctor uel per ſe uel per alium ſoluere promiſit; (2) uel *regulares* ſeu feriarum, uel *irregulares* ſeu platearum, quia dies ſolutionis mox in tempus nundinarum mox in aliud incidit *h*). **De literis cambialibus**

§. CXCI.

Literæ cambiales ſimplices, **eigene** **ſimplicibus &** Wechſel h. m. fere concipiuntur.

Ady Jena den 15. Apr. 1737.

Rthlr. 200. Current.

Auf dieſen meinen ſola Wechſel-Brief zahle ich bevorſtehende Leipziger Oſter-Meſſe an Titium oder Commiſſ. die Summa von zweyhundert Thaler, ſage 200. Rthlr. current. deſſen Werth bin ich von ihm baar vergnüget; addunt aliqui hæc uerba:

 Thue

d) BERGERI d. *de exceptione N. N. P. contra cambium.*

e) STREITS *poſit. iuris camb.* poſ. 14. ſeq.

f) ZIPFEL c. tr. p. 254.

g) IDEM c. tr. p. 80.

h) FRANCK *Inſt. I. camb.* I, 1, 7. §. 12. ſeq.

Thue zu gesetzter Zeit richtige Zahlung, und nehme GOtt zu Hülfe.

Mæuius.

An mich selbst.

trassatis, nec non *Trassatæ* uero huius sunt tenoris:

Nürnberg den 28. Mart. 1737.

Rthlr. 100. Current.

Vierzehen Tage Nachsicht geliebe der Herr diesen meinen prima Wechsel-Brief, secunda ohngezahlt, an Herr Mæuium oder ordre, summa ein hundert Thaler, sage 100. Rthlr. current, zu bezahlen. Werth von Herrn Caio an Wahren vergnüget. Stellet a conto, laut auiso, verspreche gute Zahlung, GOtt unser Trost.

D. H. D. W.

Herrn *Paulo* in Leipzig. Seius.

§. CXCII.

de literis auisoriis Literæ auisoriæ (auiso Brief,) quæ trassato (*a*) modum, quo, (*b*) personam, pro cuius computo, & (*c*) prouisionem, cuius intuitu tratta in eum facta sit *i*), significant, ita plerumque sonant:

Per auis dienet hiermit, daß auf denselben

i) Siegel c. l. p. II. c. 3. §. 3. FRANCK c. l. sect. 2. tit. 7.

ben heute dato einen Wechsel überschrieben von Rthlr. 100. schreibe hundert Thaler an Herr Mæuium 14. Tage Nachsicht an current zu bezahlen. Bitte meinen Brief mit promter Zahlung zu honoriren, und es auf mein conto zu stellen, wodurch mir eine grose affection geschiehet. Honorire hinwiederum des Herrn Briefe und verharre des Herrn

Dienstw.

Nürnb. d. 28. Mart. 1737. Seius.

§. CXCIII.

Hic uelim notes (1) quod in literis cambialibus simplicibus duæ tantum, in trassatis uero, tres uel quatuor, occurrant personæ *k*); (2) quod trassatæ non dentur sine *pretio*, quod (*a*) in *fixum & uariabile*, (*b*) in *conuentionale & legale*, (*c*) in *æquale & lagio auctum* diuiditur *l*). quænam notanda?

§. CXCIV.

Trassato * literæ cambiales in loco solutioni destinato *præsentari*, i. e. ad acceptationem offerri possunt quouis tempore, ubi sunt *irregulares*, sin *regulares*, non nisi cæptis iam nundinis *m*). Tempus præsentationis.

 * Qui

k) FRANCK c. tr. lib. 1. sect. 1. tit. 10.

l) IDEM sect. 2. tit. 1. §. 3. seq.

m) ZIPFEL c. l. p. 143.

* Qui si uocatus tantum nomine, quo & alii insigniuntur, omnibus eiusdem nominis facienda est præsentatio, usque dum deprehendatur, qui trattam in se factam cognoscat.

§. CXCV.

Acceptationem rite factam

Literales cambiales suo tempore præsentatas trassatus uel acceptat, honoriret, respectiret, uel acceptare detrectat. Ut uero quis L. C. sibi præsentatas acceptasse uideatur, ipse sub eas, præsentante adhuc præsente*, præter nomen suum & tempus acceptationis *n*), pure & simpliciter scribere debet *o*)**: Ich acceptire und verspreche contante Zahlung, uel *acc.* zu bezahlen den Inhalt d. 14. Apr. 1737.

N. N.

* Prius quam L. C. acceptet trassatus, (1) subiiciat eas examini: sint rite conditæ nec ne? (2) disquirat, auf wen und wie er sich præ- und reualiren solle, & utrumque eo magis, quod nomen suum sub literis cambialibus scriptum ne in continenti quidem delere posit. KOENIGKEN d. *de præsentatione liter. camb.* §. XIII.

** Trassati nomine acceptare nequeunt illius institores, liberi &c. nisi speciali mandato sint instructi, & sua simul adponant nomina ZIPFEL c. tr. p. 104. seq.

§. CXCVI.

Itaque legitime non acceptat, (1) qui nomen suum uel (2) diem præsentationis

nis

n) IDEM c. tr. p. 204.

o) FRANCK c. l. sect. 3. tit. 3. §. 10. seq.

nis addere recuſat *p*), uel (3) reſpondet: ich hab es geſehen; ich acceptire, um in der Zeit zu antworten *q*); ich nehme den Wechſel auf *r*); uel (4) ſuſpendit acceptationis effectus biß die retour nebſt dem aduis-Brief ihm zukommen, damit er wiſſe, wo er ſich ſeiner Widerzahlung reualiren ſolle; (5) qui L. C. non ea, qua ſonant forma *ſ*) u. c. pro parte tantum, uel in honorem traſſantis acceptat; (6) qui L. C., quas legit, retinet, ſine ulla mentis declaratione *t*)*.

* Alicubi tamen acceptatæ uidentur L. C. quas ſibi traditas & a præſentante repetitas, non reddidit ſed per noctem retinuit traſſatus.

§. CXCVII.

Acceptatione legitime facta, traſſatus fit præſentantis debitor, atque ſuo tempore & loco ſoluere debet, ſi uel maxime res traſſantis non amplius ita ſtent; aut iam deficiat ſperata prouiſio, uel in acceptando error commiſſus fuerit. sequitur ſolutio, quæ

§. CXCVIII.

Tempus ſolutionis L. C. regularium ua- ſuo tempore &

p) *Ord. camb. Lipſ.* art. 8. Pr. L. R. IV, 18, 2. §. 4.
q) ZIPFEL. c. tr. p. 147.
r) STRYK d. *de cambialium literar. acceptatione* c. III. §. 21.
ſ) KOENIGKEN &c. d. §. 38. ſeq.
t) ZIPFEL c. l. p. 152.

uariat *u*), irregularium uero intelligitur ex formulis, quibus trassans usus est. Ubi enim scripsit: *ad beneplacitum*, *a piacere*, *a sa wolonte*, *a uista*, starcks Aussichts, trassatus statim *x*), uel, ut mores quorundam locorum ferunt, intra 24. h., a præsentationis momento computandas *y*), soluere debet. Formula: *a uso*, nach gewöhnlichem Verfall-Tage, solutionem differt ad illud spatium, quod consuetudine loci, ubi trassatus habitat, introductum est *z*). Alicubi præterea dantur *dies discretionis*, *discretions*-Täge *a*), qui licet pro uarietate locorum sint numero uarii, ubique tamen die a præterlapso tempore solutionis proximo, currere incipiunt. Sin literæ cambiales contineant formulam: 15. uel 20. T. Nachsicht, præterlapsis illis diebus, qui sunt continui, non tamen diem, quo literæ datæ, continent *b*), intra 24. h. spatium facienda est solutio. Tempus a trassante determinatum præsentans sine periculo suo differre nequit, nisi trassans hoc expresse permiserit, hac fere formula: Will er aber N. zu ge-

u) FRANCK c. l. sect. 3. tit. 4. §. 4. seq.
x) ZIPFEL c. l. p. 206.
y) ID. p. 207.
z) ID. p. 211.
a) STRYK c. d. c. IV. §. 20.
b) FRANCK c. l. sect. 3. tit. 4. §. 13.

gefallen 3. Tage warten, soll ihm solches ohn-præiudicirlich seyn *c*).

§. CXCIX.

Solutio in loco determinato fieri debet. Quodsi uero nullus determinatus fuerit, *simplicibus* in loco, quo scriptæ sunt, *trassatis* uero in illo, quo habitat trassatus, satis debet fieri. **loco**

§. CC.

Satis autem illis fieri potest (1) *compensatione*, (2) *scontratione*, (3) *adsignatione*, (4) *solutione*, quæ fit uel parata pecunia uel per bancum uel per bilanzii exhibitionem. De quibus solutionis generibus mox dicendum erit. **fieri debet.**

§. CCI.

Nullo tamen modo satisfieri debet L. C. *d*), quibus obstat (*a*) *reuocatio* facta consensu utriusque, uel etiam unius, ubi alter nudus mandatarius est. Semper tamen ei, ex cuius manibus repetuntur, præstanda est indemnitas, & trassato significanda reuocatio; (*b*) *confusio* debitorum & creditorum cambialium; (*c*) *præscriptio*, quæ currere incipit a die, quo L. C. solutio iudicialiter peti poterat. Tempus **Quibus modis tollatur cambium?**

c) ZIPPEL c. l. p. 207.

d) FRANCK. c. tr. *lib. II. sect.* 4.

pus ad præscriptionem necessarium uariis in locis uariat.

§. CCII.

Protestatio coram quo &

Acceptatione uel plane denegata, uel non rite facta, debet præsentans, ni uelit perdere ius cambiale, lucrum & interesse futurum *e*), *protestari f*) h. e notarium iuratum requirere *g*), ut testibus instructus sibi, trassatum iterum adeunti, & acceptationem roganti, adstet conditurus protestum*, si acceptationis denegatio sequeretur *h*). Alicubi & h m. peragi potest protestatio ut exactor iudici scripturam, L. C.** & recusatæ acceptationis causas continentem, offerat.

* Hoc, quod sicut alia Notariorum instrumenta conficitur, continere debet (1) apographum L C. (2) integrum trassati responsum, denegatique adimpleti rationes. Formulam aliquam protesti tradit ZIPFEL c. tr. p. 186.

** Satius agit, qui *authenticas* retinet, exemplum tantum earum communicans iudici.

§. CCIII.

Sic quoque, si acceptationem factam nulla sequatur solutio, *protestatione* opus est, nec datur locus *prolongationi*, nisi præsentantis periculo.

§. CCIV.

e) ZIPFEL c. l. p 185.
f) FRANCK c. l. I, 4, 1.
g) STRYK c. d. c. IV. §. 24.
h) STRYK *de* C. C. III, 5, 17.

§. CCIV.

Omnis autem proteſtatio fieri debet (2) intra *fatale*, quod nimis uariat *i*). Ut plurimum eſt in *cambiis feriarum*, prima ſeptimana, ſi quis ea *acceptare* recuſauerit, contra nundinarum finis, ſi quis acceptatum *ſoluere* negauerit *k*); in *cambiis* uero *platearum*, quæ *a uiſta* ſolui iusſit traſſans, proteſtatio eo ipſo tempore fieri debet, quo curſus publicus abit, per quem adducta ſunt; ſin data ſub formula: 14. T. Sicht, præſentans ſuper denegata acceptatione, ſtatim præſentationis tempore; ſuper ſolutione uero negata uel dilata, die ſolutioni deſtinato proteſtationem interponere debet. Notes denique, quod proteſtatio de non facta acceptatione cambii ob abſentiam debitoris interpoſita die ſolutionis iterari debeat *l*). **quando fieri debeat?**

§. CCV.

Proteſtatione rite interpoſita, *proteſtum eleuandum* i.e. inſtrumentum notarii de proteſtatione interpoſita confectum prima occaſione data *m*), ad remittentem mittendum eſt, & quidem (1) *una cum literis cambialibus*, quarum ſolutio a uiſta fie- **Proteſti eleuatio.**

i) ZIPFEL c. tr. p. 180. 185.
k) KOENIGKEN c. d. ſ. 41.
l) LEYSER d. *de iure camb.* q. 7.
m) ZIPFEL c. tr. p. 224.

fieri debet, si non fuerint acceptatæ, (2) *siue L. C.*, quæ futurum solutionis diem continent, quarumque acceptatio uel solutio non simpliciter negata sed suspensa tantum fuit *n*).

§. CCVI.

Ex adimplemento L. C. honoris causa

Qua tamen protesti eleuatione non est opus, quoties L. C. honoris causa adimplet trassatus *o*) uel tertius. Quis præferatur alteri, si plures ad honorem eidem cambio habendum se offerant, luculenter docet THOMASIVS *p*). Acceptatio honoris causa in schedula cambiali honorantis potius quam Notarii manu facienda est *, & tunc imitatur naturam & iura acceptationis solutionisque simplicis, nisi quod, qui certam tantum quantitatem in se recepit, ultra eam non teneatur.

* Nomen honorati exprimendum est, si alius præter trassantem aut primum indossantem honorari debeat.

§. CCVII.

quæ oriantur actiones?

Ex adimplemento L. C. honoris causa facto honoratus honoranti illiusque cessionario tenetur ad sortem, impensas, usuras & recambium *q*). Honorans contra *bo-*

n) KOENIGKEN c. d. §. 44.

o) FRANCK c. tr. lib. 1. sect. 4. tit. 3. §. 5.

p) d. *de iure adimplementi literar. camb. honoris causa.* §. XV.

q) THOMASIVS c. d. §. 25. seq.

honorato ad cœpta utiliter perficienda, & proteſtationis inſtrumentum cum L. C. tempeſtiue mittendum; *exactori* uero ad ſolutionem, & impenſas ob illam non ſecutam factas *r*).

§. CCVIII.

Ubi cambium cum proteſto rediit, traſſans, non ſolum traſſationis præmium, ſed & intereſſe ſoluere tenetur, ſeu, iure conuenitur auf Wechſel und Wider-Wechſel *s*). Obligatio campſoris, ubi proteſtum eleuatum eſt.

§. CCIX.

Poteſtas pecuniam cambialem exigendi alteri data (1) *indoſſatio* dicitur, quia in dorſo cambii ſcribitur; (2) fit uel *ceſſione* uel *mandato* interueniente. Hæc, quæ ſequentibus uerbis: Innhalt dieſes zahlt N. vor mich an Herrn Titium, iſt mir gute Zahlung. (uel: es ſoll mir ualidiren) Jena d. 15. Apr. 1737. Indoſſatio L. C. fit uel mandato

N. N.

exprimitur, indoſſatario poteſtatem mandatarii tribuit, illiusque iura.

§. CCX.

Indoſſatio uero per ceſſionem facta ſupponit ualutam, ſicque exprimitur: Innhalt dieſes bezahle der Herr an N. Valuta uel ceſſione interueniente.

von

r) FRANCK c. l. §. 26. ſeq.

s) KRESS. *ſpec. iuriſpr.* III, 24, 12.

von N. (uel: dessen Werth bin ich von ihm vergnüget) *t*). De qua ea omnia, quæ de uenditione & cessione actionum constituta sunt, dici queunt, dummodo indoli & naturæ cambii non repugnent. Hinc (1) indossatarius procurator in rem suam *u*), immo L. C. dominus esse, & (2) indossantis iuribus uti dicitur, dummodo acturus ad causam se legitimare possit *x*); (3) indossatio fieri potest inscio & inuito debitore; (4) iidem indossare & indossamentum recipere possunt, qui cambium dare & acquirere.

§. CCXI.

Præterea notes (5) quod indossatio in *potentiorem* fieri possit, & (6) indossati *nominis ueritas bonitasque* præstari debeat *y*), adeo ut indossatarius, cui ratione solutionis satisfactum non est, possit indossantem secundum rigorem iuris cambialis conuenire, nec debeat ullas exceptiones altioris indaginis attendere *z*), nisi in indossationis instrumento legatur clausula: ohne regress-Nehmung, (7) quod exceptiones, si quæ indossanti opponi potuerint, non obstent indossatario *a*), nisi

t) FRANCK c. tr. lib. I. sect. 2. tit. 5. §. 16. seq.
u) ZIPFEL p. I. 169. STREIT c. d. pos. 37.
x) LUDOVICI d. *de legitimat. ad caus.* §. 32.
y) TITIUS *iur. priu.* lib. X. c. 5. §. 51.
z) KOENIGKEN Anmerck. zur L. W. O. ad §. XI.
a) GRIBNER *princ. proc. iud.* II, 5, 7.

nisi quas huic ante indossationem denuntiauit indossatus *b*).

§. CCXII.

Quia indossatarius, indossatione per cessionem facta, L. C. dominus (§. CCX.): sequitur, ut eas iterum alii cedere possit, si uel maxime trassatae, iam indossatae, non contineant uerba: oder ordre, oder commiss. *c*). Haec iterata cessio, quae *giro* dicitur, non nisi ex quarundam prouinciarum LL. ad certum personarum numerum adstricta est. Quid giro?

§. CCXIII.

De cambiis *computatis*, *conditionalibus*, *interimisticis*, *siccis*, aliisque infrequentioribus ex instituto agit IO. CHRISTO. FRANCK. *d*).

TIT. XVIII.

DE RELIQVIS CONVENTIONIBVS ACCESSORIIS.

§. CCXIV.

Olim debitores saepe *ad infamiam*, uel *picturam famosam* se obligabant (§. CLII, Obligatio sub infamia

b) LEYSER d. *de iure camb.* q. 5. §. 3.
c) ZIPFEL c. l. p. 138. STREIT c. d. pos. 38. STRYK c. d. c. III. §. 18.
d) *Instit. I. Camb. lib. II. sect.* 1.

CLII, 7.) h. e. famam pignoris loco committebant creditori, hac lege, ut, si solutio non sequeretur, omni fama priuarentur *e*), liceretque creditori illius iacturam quauis pictura diuulgare *f*), morosumque debitorem cuiusuis ludibrio exponere *g*).

§. CCXV.

hodie extra usum est.

Quia uero post Sec. XV. tempora creditores saepe debitores suos, citra specialem conuentionem, famosis picturis prosequebantur; Rudolphus II. omnem obligationem sub infamia uel pictura famosa prorsus sustulit *h*). Postea quidem reperiuntur quaedam eiusmodi conuentionum exempla, sed rariora, & quae nunquam a magistratu adprobata sunt. Hodie illas conuentiones extra usum esse, quis est, qui nesciat?

§. CCXVI.

Iuris pignorandi conuentionalis

Saepe etiam maiores nostri se obligarunt *ad ferendam depraedationem* (§.CLII. b.), seu creditoribus dederunt potestatem res suas inuadendi, pignora capiendi, capta distrahendi, & aliis iterum oppignerandi, si promissis non steterint. Ius hoc pi-

e) KOPP. tr. *de iure pignor. conuent.* p. 4.
f) BRVNNQVELLI d. *de pictura famosa* c. 2.
g) MVLLERI d. *de obligatione sub infamia.*
h) *R. I.* 1577. tit. 35. §. 7.

pignorandi conuentionale in donatione ad pias cauſas, nec non contractibus, emtionis uenditionis, feudali, landſideliæ, locationis conductionis, mutui, uitalitio, aliisque uſu fuit receptum *i*), immo probatum imperii legibus *k*).

§. CCXVII.

Hodie iure pignorandi conuentionali uti poteſt creditor, (1) ubi debitor uel plane non, uel uerbis tantum, aut (2) facto quidem reſiſtit, ſed eo, cui nullum armorum uel tumultus ſubeſt periculum *l*). uſus hodiernus.

§. CCXVIII.

Sic quoque (*c*) ad *carceres* (*d*), ad *proſcriptionis m*), *amiſſionis bonorum n*), aliasque pœnas conuentione determinatas, (*e*) ad *inediam* & *ferias eſuriales o*), ad *ſeruitutem p*), nec non, ubi canones recepe-rant, ad *excommunicationem q*) ſe obligaſſe, qui ſecuros alios eſſe uolebant, tam certum eſt, quam quod certisſimum.

i) KOPP cit. tr. §. 6. ſeq.
k) DATT. *de p. p.* I, 16, 24. ſeq.
l) Cl. KOPP. c. tr. §. 18. ſeq.
m) GAIL *de P. P.* II, 2, 4. 27. ſeq.
n) de LVDWIG *reliq. MSt.* Tom. II. p. 222.
o) ID. c. l. Tom. I. p 361.
p) MARCVLF. *formul.* II, 25. 27. & adp. c. 16.
q) RAYNALDVS *annal. eccl.* ad A. 1225. p. 316.

TIT. XIX.

DE MODIS, QVIBVS SOLVVNTVR OBLIGATIONES.

§. CCXIX.

Tollitur obligatio

Tollitur obligatio, (1) ubi creditor iuri suo *renunciat*, itidem (2) *transactione* (§. XI.), (3) *confusione*, (4) *solutione*, quæ uel *uera* est uel *ficta*.

§. CCXX.

solutione,

Solutio uera (§.pr.), quæ absoluitur præstatione eius, quod in obligatione est, fit (*a*) conuento loco* & (*b*) tempore, (*c*) quouis monetæ genere, nisi de certo conuenerint, quod tunc præstandum, aut, si ex conuentione aliud substitui liceat, uel urgente necessitate debeat, lagium offerendum est.

* An debitor creditoris ædes adire debeat, inter se non conueniunt Dd. ob *I. P. S.* II, 4. III, 39. hinc satius est, locum solutionis conuentione determinare. SCHILTER *exerc.* XLVI, 38.

§. CCXXI.

compensatione,

Solutio *ficta* (§. CCXIX.) est mutui debiti *compensatio*, quacum conuenit præsentatio *bilancii* seu schedulæ, qua omnia debita & credita sunt consignata *r*). *Bilan-*

r) FRANCK. *inst. iuris camb.* I, 3, 12.

lanzio præsentato adparet, mutua credita & debita uel paria esse uel disparia. Ubi hoc, *mancamentum* adesse dicitur, si credita maiora debitis; *auanzo s*) contra, si debita maiora creditis.

§. CCXXII.

Sic quoque eo pertinet (5) *scontratio*, quam habeo conuentionem trium pluriumue mercatorum qua quilibet certam pecuniæ summam * ab uno acceptam, alteri solutam reputat *t*). scontratione

* Summa crediti & debiti a parte omnium & singulorum, eadem debet esse, eaque, quæ eodem loco & tempore eademque moneta præstanda est; alias ut partes de lagio, quod dicunt, conueniant, & residuum ad aliud tempus transferant, necesse est. FRANCK. *Instit. I. Camb.* I, 3, 8. §. 11.

§. CCXXIII.

Fieri illa debet (1) omnium consensu, (2) in loco conuentibus mercatorum destinato *u*), (3) ita ut nomina, & quid de illis actum sit, cuiusque mercatoris scontrantis libro clare inserantur, additis simul loci, temporis aliisque circumstantiis *x*). legitime facta, &

 §.CCXXIV.

s) ZIPFEL c. tr. p. 290.
t) FRANCK. c. tr. I, 3, 8.
u) *Ord. Camb. Lips.* §. 24. seq. *Brunsu.* §. 22. *Guelpherb.* §. 49.
x) FRANCK c. l. §. 7. seq.

§. CCXXIV.

nouatione. Soluitur obligatio (6) *nouatione*, ubi nouus contractus, extincto & sublato uetere, initur. Utrum *recambium* huc pertineat, nec ne, disputant Dd. Putarem, uidendum esse, utrum plane noua detur securitas, an uetus tantum prorogetur *y*).

§. CCXXV.

An adsignatione? *Adsignationem*, quae quouis tempore & modo fieri potest, & frequens est inter mercatores, huc referre nolo. Germanus enim dicit: Anweisung ist keine Bezahlung *z*). Hinc (1) adsignans adsignatione facta non liberatur *a*); (2) adsignatarius non fert periculum nominis, ne quidem illius, quod iterum adsignauit alteri *b*), nisi (*a*) debitum absolute adsignatum sine ulla protestatione acceptauerit *c*), aut (*b*) culpam quandam commiserit *d*), quorum neutrum tamen praesumitur; (3) adsignans adsignationem reuocare potest *e*).

§. CCXXVI.

y) ZIPFEL c. l. p. 259. RAPH. de TVRRY *disp.* 2. *q.* 20. seq. IAC. du PVY tr. *de arte literar. cambii* cap. 15.

z) PISTOR *cent.* 2. *parœm.* 31.

a) FRANCK. c. tr. I, 3, 9. §. 9.

b) IO. HIER. STENGER d. *de assign. mercat.* §. 49.

c) ZIPFEL c. l. p. 257. 261.

d) STRYK *V. m. ff.* XVIII, 4, 46. seq.

e) FRANCK. c. l. §. 10.

§. CCXXVI.

Debet autem adsignatarius (1) adsignato tempestiue significare, adsignationem factam esse *f*); (2) suo tempore solutionem exigere; (3) adsignantem certiorem reddere de eo, quod adsignatus responderit. Adsignatarii officium.

§. CCXXVII.

Facta solutione, creditor *cautionem*, quæcunque illa sit, reddere *g*), aut, ea forsitan amissa, dare tenetur aliam, quæ olim *euacuatoria* dicebatur *h*), hodie uero audit ein mortifications-Schein. Cautio.

§. CCXXVIII.

Media ætate * hic & illic debitor sat excussus creditori suo dabatur pignori, ad plenam usque debiti solutionem. Id quod uenire solebat nomine addictionis ad manus, der Gebung an Hand und Halfter *i*). Addictio quid?

* Olim debito uel ciuili uel criminali soluendo impar, reddebatur seruus V. disp. nr. *de traditione debitoris ad manus creditoris* §. 1. seq.

f) ID. c. l. §. 11. seq.

g) MARCVLF II, 26. 27. *adp.* c. 15.

h) IDEM II, 35. *adp.* c. 36.

i) *I. P. S.* III, 39. *Sueu.* c. 130. *Weichbild* art. 27. *I. Lubec.* I, 1, 3.

§. CCXXIX.

Itaque de addictione hæc notanda erunt axiomata:

I. Addicebatur debitor ſat excusſus.
II. Durabat addictio ad debitum, cuius intuitu decreta erat, plene extinctum.

§. CCXXX.

Debitori excuſſo

Ex primo (§. pr. 1.) poteſt intelligi, (1) debitorem, qui per fideiuſſores nondum excuſſos cauit, aut in eo, ut per idoneos fideiuſſores, uel etiam per pignora caueret, fuit, aut rem facile diſtrahendam cesſit, uix addici potuiſſe *k*), (2) cur non addicerentur, qui ſoluerant debitum.

§. CCXXXI.

creditor

Excuſſus debitor ſuo tradebatur creditori, uix tamen extraneo, ad abducendum ſibi addictum parato, prius quam uel per fideiuſſores, uel per pignora *cautionem* præſtiterat *l*) de eo dimittendo, ſi debitum per labores præſtitos fuerit extinctum.

§. CCXXXII.

labores iniungebat.

Labores, quos debitori ſibi addicto iniungere uolebat creditor, debebant eſſe (1)

k) Diſp. nr. §. 7. ſeq.
l) *Weichbild* art. 27. VOGT. c. l. §. 37. ſeq. Diſp. nr. §. 11.

(1) *honesti*, Gesind- und Taglöhner-Arbeit *m*), (2) *tolerabiles*. Hinc creditor non poterat non attendere debitoris (*a*) robur, (*b*) ætatem, (*c*) ualetudinem, (*d*) dignitatem, (*e*) artificium *n*).

§. CCXXXIII.

Quo iure suo creditor uel ipse uel per alium uti, neutiquam tamen abuti *o*) poterat, licet redituum ex operis debitoris addicti quærendorum rationes reddere uix teneretur.

§. CCXXXIV.

Ex secundo axiomate colligimus, addictionem cessare, statim atque debitum siue laboribus siue uinculis, siue alia ratione * extinctum.

* Morte extinguebatur debitum, si uel maxime (*a*) dimidia tantum pars illius per laborem compensata, aut (*b*) addictus ob delictum morti traditus fuisset. Pœna tantum corporali, aut relegationis, adfectus addictus manebat.

§. CCXXXV.

Quam adhuc hodie, limitato tamen modo *, probant *Isenacensia*, *Gothana*, *Schwarzburgica*, *Lubecensia* & *Stadensia* iu- Usus hod.

m) VOGT. c. l. §. 51.
n) ID. c. l. §. 63.
o) Disp. nr. §. 13. seq.

iura *p*), contra reprobarunt & carcerem obæratorum publicum in illius locum surrogarunt iura *Saxonico-Electoralia*, *Altenburgensia*, *Luneburgensia* & *Hamburgensia* *q*).

* Sic (1) absoluitur potestate eligendi uel operas uel uincula debitoris, quibus quotidie imminuatur debitum; (2) decernitur praeuia causae cognitione, & singulari cautione a creditore praestita; (3) in dignitate constitutis, feminis &c. uix imponitur. Disp. nr. 24. seq. 29. 30. seq. 37. seq.

§. CCXXXVI.

Schuld-Thurn.

A carcere obæratorum, cui debitores, qui plus uitio suo quam iniuria fortunæ & temporum bonis suis lapsi sunt, includuntur *r*), nobiles, doctores, clerici militesque immunes sint nec ne, disquirit MENCKEN *s*).

* Creditor neque debitori in carcerem publicum redacto alimenta, medicamenta &c. suggerere, neque carcerario pro decoctoris receptione & asseruatione pecuniam, quam dicunt das Sitze-Geld, soluere tenetur. MENCKEN c. d. §. 24.

LIB.

p) Disp. nr. §. 22.
q) ibid. §. 18. seq.
r) *I. Mind.* I, 10, 1. *p.* II. *const. el.* 22. *O. P. Goth.* II, 4, 24. p. 263. *Altenb.* p. 317. *Magdeb.* de A. 1688. c. 53. §. 1. Vid. VOGT. c. tr. c. VIII. §. 7. BESOLD *th. pr.* u. Schuld-Thurn.
s) d. *de eo quod iuris est circa pœnam carceris obæratorum* §. 15. seq.

LIB. IV.

DE
RE IVDICIARIA.

TIT. I.
DE
IVRISDICTIONE.

§. I.

Iurisdictio est potestas causas controuersas seu lites sententia dirimendi. Unde sequitur, (1) ut iurisdictio inuoluat potestatem non solum cognoscendi, sed & sententiam ferendi latamque exequendi; (2) ut is, qui dominus iurisdictionis non est, & tamen ius exequendi sibi tribuit, intentionem suam probare, atque legem, conuentionem, consuetudinemue, qua nititur, docere debeat *a*). Iurisdictionis natura &

§. II.

Antiquitus ius dicebant proceres, in conciliis electi, adsessoribus stipati *b*). Ex quo autem in totam fere germaniam imperium tenuerunt Franci, (1) causas arduas & maioris momenti, quæ in comitiis fata sub Francis,

a) KRESS. *specim. iurispr.* V, 1, 2. PVFENDORF *de iurisd. German.* p. II. s. 4. c. un. §. 5. seq.

b) TACITVS *de M. G.* c. 12. CAESAR *de B. G.* VI, 23.

tiis publicis aut palatio regis agitabantur *c*), uel *archicapellani* uel *comites palatii** cognoſcebant *d*), prout uel eccleſiaſticæ uel ciuiles erant: (2) per pagos in cauſis ciuilibus & criminalibus ius dicebant *comites* ſcabinis ſtipati; (3) ditiores & honoratiores extra ordinem in prouincias *mittebantur*, ut (*a*) in comitum reliquorumque magiſtratuum acta inquirerent, (*b*) prouinciam prauis hominibus purgarent, (*c*) uiduarum aliarumque perſonarum miſerabilium curam gererent, & (*d*) appellationes reciperent *e*).

* Hi, qui ſenatui principali præerant, (1) a comitibus peruerſe iudicata ad æquitatis tramitem reducebant, & (2) cauſas grauioris momenti ad regem referebant. Num inter illos legalis unquam fuerit differentia? diſquirit GRVPEN *diſcept. for.* p. 530.

§. III.

Quia comites, qui per pagos ius dicebant (§. II, 2.), ubique non poterant eſſe belli præſertim tempore, ſuis gaudebant uicariis *f*), qui quoque *ſculteti*, *thungini*, *centenarii*, *uice-comites g*), & *gografii* dicebant-

c) CONRING *de iudic. reip. germ.* § 22. ſeq.
d) HINCMARVS *epiſt. 14. cap. 19.* MALLINKROT *de archicanc.* p. 7 17. 37.
e) FR. de ROY *de miſſis dominicis ad iuſtitiam.*
f) PVFENDORF c. l. p. I. c. 3. § 33.
g) HEINECCIVS *Elem. I. Germ.* lib. 3. §. 22.

bantur. Hi per *aduocatias*, in quas quilibet pagus distinctus erat, causas minores* cognoscebant, atque, ut a comitibus distinguerentur, non gladium sed baculum gerebant *b*).

* Hinc dicebantur *iudices minores*, *inferiores*, *comitumque ministri*. PVFENDORF c. l. p. I. c. 3. §. 7.

§. IV.

Eadem iurisdictionis facies fuit sub imperio Saxonum. Scilicet *causæ maiores* uel ab ipso Imperatore adstante principum corona in comitiis, uel in iudicio aulico, Hofgericht, tractabantur; *reliquæ*, prout maiorem nobilitatem uel inferiorem aut plebem concernebant, cognoscebantur uel per Duces uel per Comites, ita tamen, ut horum iurisdictio quiesceret præsente rege. **Saxonibus, & hos**

§. V.

Ex quo uero iure hereditario, mox beneficiario, goas possederunt Duces Comitesque: factum est (1) ut per alios iura redderent, & sic uariæ nascerentur in uno eodemque pago iurisdictiones *i*); (2) ut paulo difficilius quam antea in ius uo- **insequutis Imperatoribus.**

b) KRESS. d. *de uariis iurisd. crimin. in G. generibus* c. 2. obs. 3. 4. BRVMMER *de scab.* c. 4. §. 6.

i) HEINECCIVS c. l. §. 45. seq.

uocarentur duces comitesque; (3) ut in desuetudinem plane abirent missi regii *k*); (4) ut scultasii aliique nobiles imitarentur duces comitesque.

§. VI.

Scilicet superioritate territoriali nata, non unus & alter, sed maxima pars nobilium, uel praescriptione, uel moribus & consuetudine loci, uel priuilegio & inuestitura, uel pacto, si non omnimodam, aliquam tamen, iurisdictionem in se deriuarunt, tardius alii, alii citius. Quia uero (*a*) praescriptio supponit possessionem, quae nimis uariat, & (*b*) diuersi sunt diuersarum regionum mores; nec (*c*) principis gratia in omnes eadem solet esse: non miror, quod hodie (*α*) mox cum, mox sine temperamento iurisdictionem possideant nobiles; (*β*) quod praedii nobilis possessio alibi altae *l*) alibi bassae iurisdictionis possessionem inferat.

SECT.

k) CONRING c. l. §. 88.

l) FVCHSII Holstein. Ding und Recht th. 9. MEVIVS *p. I. dec.* 45. nr. 2.

SECT. I.
DE
IVRISDICTIONE ALTA ET BASSA.

§. VII.

Iurisdictio diuiditur (1) in *altam* Halß- Ober- oder Peinliche Gerichte, Blutbann, Ungerichte, Gerichte über Halß und Bauch rc. *m*), & *bassam*, Erb-Nieder-Unter- oder Bürgerliche Gerichte *n*), Vogteylichkeit ** rc. Quam distinctionem a comitum, eorumque uicariorum constitutione deriuandam esse censeo *o*), quicquid dicat KRESSIVS *p*). Iurisdictio diuiditur (1)

* Addunt aliqui speciem intermediam, hohe Erb-Gerichte, ENGELBRECHT d. *de iurisd. super. & inf.* sect. 2. m. 2. §. 1. PVFENDORF c. l. p. I. c. 1. §. 13.

** In illis uero præsulatibus, in quibus supersunt aduocati, sub nomine *uogteiæ* uenit alta iurisdictio.

§. VIII.

Utriusque iurisdictionis limites definire, utile quidem, admodum tamen difficile est. Nimis enim a se inuicem dif- in bassam &

fe-

m) LINCKII d. *de centena.* ENGELBRECHT *de iurisdict. alta* §. 9. seq.

n) IDEM d. *de Vogteia.*

o) MEINDERS *de iudic. cent.* p. 54. 61. 68.

p) c. l. §. 6.

ferunt Saxoniae *q*), Marchiae aliarumque prouinciarum mores *r*). De eo tamen inter se consentiunt Dd. moresque, quod ad bassam iurisdictionem pertineant *contractus*, *testamenta*, *carcer temporarius*.

§. IX.

altam. Ad *altam*, de qua alibi ex professo egimus *s*), referunt crimina capite uel corporis cruciatu coercenda. Sunt qui iurisdictioni altae *fisci t*) *, *foresti*, *uenationis u*), *disponendi de ceremoniis circa sepulturam*, *caduci* aliaque iura cohaerere putant, sed sine fundamento; his enim nihil cum iurisdictione. Unde, me quidem iudice, (1) dominus iurisdictionis eorum aliquo usurus, uel priuilegium uel praescriptionem uel mores docere debet; (2) *onus alendi infantes expositos* regulariter altam non sequitur iurisdictionem *x*).

* *Ius fisci* nonnulli diuidunt in *iudiciale & extraiudiciale*, ad *hoc* referentes ius occupandi bona uacantia & caduca, collectas indicendi, gabellam exi-

q) CARPZOV *pr. crim.* q. 109.
r) Bl. Beamt. Tom. I. tit. 38. seq. ENGELBRECHT *de iurisdictione alta & bassa* sect. II.
s) *El.* nr. *iur. crim.* lib. 2. §. 10. seq.
t) MENCKENII d. *ius fisci, mero adhaerens imperio*.
u) OCKEL *palat. reg.* p. 56. seq.
x) Diss. STRYKIUS d. *de iurisd. circumf.* c. 4. n. 29.

exigendi, ſcelere quæſita occupandi &c. ad *illud* uero, ius conſtituendi aduocatum fiſci &c. FREIESLEBEN d. *de iure fiſci Landſasſiorum.* Qua diuiſione admiſſa, ſequitur, ut ab extraiudiciali ad iudiciale argumentum ducere non liceat.

§. X.

Quis *mulctam* capiat & *diuturniorem* decernat *carcerem*, ex me forſitan quæris. Equidem putarem, qualitatem illius criminis, ob quod irrogantur, attendi debere *y*). Illud denique notes, quod dominus iurisdictionis altæ ſuas faciat mulctas, (*a*) quas contemtor regiminis, aut (*b*) condemnatus ad pœnam corporalem, hac commutata, ſoluit, neutiquam uero (*c*) quas regalium uiolator debet *z*). Quis mulctam capiat, & diuturnum decernat carcerem?

SECT. II.

DE

IVRISDICTIONE VNIVERSALI ET PARTICVLARI.

§. XI.

Mox utraque iurisdictio ſeu omnimoda conceditur, & quidem h. f. mit Ober- und Erb-Gerichten zu Dorf und Feld, uel mit allen Gerichten, in dem gantzen Dorf und deſſen Bezirck uel mit Richt und Ungericht (2) in uniuerſalem & particularem, quæ

y) ENGELBRECHT *de iurisd. ſuper. & infer.* c. 2. 3.

z) LYNCKER *reſol.* 376. 383.

richt * *a*), uel mit dem höchsten und siedensten Gericht, binnen und büten Thuns *b*), mox alterutra tantum. Sic uoce Richt uel Gericht simpliciter posita, ciuilis tantum iurisdictio concessa uidetur *c*), nisi mores regionis loquantur aliud.

* Quo uocabulo significatur (1) illud, quod a regula recedit, & *delictum* nominatur, id praesertim, quod uindicatur amissione uitae, amputatione manus aut alterius membri. *I. P. S.* I, 67. 68. II, 10. 16. STEPHANI *de iurisd.* I, 33 nr. 75. COLER *decis.* 107. nr. 79. MEINDERS *de iudic. centen.* addit. ad c. VI. p. 294. (2) *iurisdictio criminalis.* KRESSII d. de h. f.

§. XII.

locorum intuitu

Iurisdictioni concessae saepe ponuntur *causarum* uel *personarum* uel *locorum* intuitu.

§. XIII.

Locorum intuitu restringitur iurisdictio uel ad *sepes* * uel ad *flumina publica* uel ad *regias uias*. Ad sepes restricta dicitur *circumsepta*, Binnen-Zaun- und Pfal-Gerichte ** *d*).

* Quod

a) KRESSII d. *de iurisd. omnimoda, formula*: Richt und Ungericht *in feudum concessa.*

b) BILDERBECK *ded. contra regalitatem iur. uen.* app. nr. 18.

c) Dissert. BILDERBECK *deduct. iurisdictionis Abb. S Mich. Luneb.* p. 47.

d) PVFENDORF c. l. p. II. sect. 2. c. 3.

* Quod uocabulum hic in sensu latiori sumitur pro omni eo, quod prædia in pagis definit, siue sit eine Mauer, Blancke, Zaun, siue quid aliud. STRYK d. *de iurisd. circumf.* c. I. nr. 24.

** Hac iurisdictionem criminalem quandoque contineri certum est. PVFENDORF c. tr. p. II. sect. V. c. un. KRESS *spec Iurispr.* p. 706.

§. XIV.

Iurisdictionem circumsepta minorem (1) concedit princeps, qui in literis inuestiturae utitur formula: eine mit Thür und Angel beschlossene Vogtey, uel his uerbis: so weit sich die jetzige Befriedigung und Trause wenden *e*); (2) nobilibus tribuunt iura Brunsuicensia, dum statuunt: daß ihnen wenigstens die Unter- und Erb-Gerichte, auf ihren Häusern und Höfen über ihre in Brod stehende Bediente gelassen werden sollen *f*); (3) conficit iurisdictio illa, quæ dicitur *fonceria* uel *fundalis*, de qua ex professo egit I. N. ab HONTHEIM *g*). uel circumsepta est

§. XV.

Contra circumsepta maior est iurisdictio, nobilitati Bauaricæ data, quippe quæ in separatis etiam prædiis, in den anschichtigen Gütern, exerceri potest. Eam *hoffmarchialem* dici, atque (*a*) in *clausam* & *non clausam*, itidem (*b*) in *absolutam*

 &

e) LYNCKER *dec.* 1070.

f) LVNIG Tom. I. p. 230.

g) d. *de iurisd. & imper.*

& *limitatam* diuidi, nos docet CHLINGENSPERG *b*).

§. XVI.

uel ad uias restricta, atque

Iurisdictio ad uias regias restricta, uenit nomine der Strassen-Gerichte, atque inuoluit potestatem, crimina in uia publica commissa cognoscendi & uindicandi *i*).

§. XVII.

(*b*) causarum &

Iurisdictio a causarum, ad quas saepe restringitur (§. XII.), uarietate uaria sortitur nomina. Nota est (1) iurisdictio *feudalis k*), (2) *forestalis* & *lignaria*, (3) *metallica*, (4) *nautica*, (5) *mercatoria*, (6) *salinaria l*), & denique (7) *sacra*. De hac alibi *m*), de illis infra.

§. XVIII.

(3) personarum intuitu uariat.

Personarum intuitu restricta iurisdictio occurrit u. c. in *palatina n*), *militari o*), *academica p*), & *capitulari*.

§. XIX.

b) tr. *de hoffmarchiali iure* c. 3. nr. 5. seq.

i) KRESS. *spec. iurispr.* V, 1, 16.

k) PVFENDORF c. tr. p. III. sect. 3. c. 1.

l) HORN *Iurispr. Feud.* c. IX. §. 27.

m) *Elem. I. Can. Pont. Eccl.* lib. IV. tit. 1.

n) MEVIVS *ad I. L.* qu. prael. 3. nr. 3.

o) BVRGER *obseru. milit.* II, 97. PVFENDORF c. l. p. III. sect. 2. c. 2.

p) HILDEBRAND *de iurisd. uniuers.* c. V. *Elem. I. Can. Pont. Eccl.* II, 324.

§. XIX.

Lubens iam praetereo eas iurisdictionis limitatae species, quae pro uarietate locorum uariant *q*). Quot enim iudicia, tot iurisdictionis species.

§. XX.

Illud denique adducere iuuat, quod priuatus harum iurisdictionum aliquam sibi uindicans, iustam acquisitionis caussam laudare debeat *r*).

SECT. III.
DE
IVRISDICTIONE PROPRIA ET DELEGATA.

§. XXI.

Porro iurisdictio diuiditur (3) in *propriam* & *delegatam*, quarum *illa* cuidam competit uel *ex lege* uel *ex priuilegio* uel *ex dominio*; *haec* uero, quum uel omnes & singulas, uel aliquot tantum caussas controuersas, diiudicandi tribuat, iure dispescitur in *ordinariam*, quam *officialem* dicunt alii, & *delegatam in specie*. (3) in *propriam &*

* Rem magis confundunt, quam illustrant, qui *iurisdictionem* in *administratoriam* diuidunt, & *patrimonialem*. Sic quoque rem omnem conficere

q) KRESS. vom Send-Gericht §. 28. pag. 224. seq.

r) STRYK d. *de necessitate edendi titulum.*

re mihi non uidetur HEINECCIVS qui diſp, *de orig. atque indole iuriſd. patr.* §. 4. iuriſdictionem diſtribuit in *eam*, quæ alicui ui ſuperioritatis territoralis competit, *adminiſtratoriam*, & *patrimonialem*. Datur enim iuriſdictio, quæ neque ui ſuperioritatis exercetur, neque in patrimonio eſt, nec dici poteſt adminiſtratoria.

§. XXII.

delegatam, quæ

Propria iuriſdictio differt a *delegata*, (1) ratione *perſonæ, eam exercentis*. Poteſt enim ad quemuis, ad iudicandum habilem & inhabilem, maſculum & feminam, maiorem & minorem ſpectare, quod de delegata dici nequit; (2) ratione *poteſtatis, quam tribuit*. Id quod ex iure ponendi limites iuriſdictioni, auocandi cauſas, & ex iuriſdictionis prorogatione, cognoſcere licet.

§. XXIII.

in *ordinariam & delegatam in ſpecie* diſpeſcitur.

Iuriſdictio autem *ordinaria* & *delegata in ſpecie* ſic dicta in eo differunt, quod (1) illa *uniuerſalis*, hæc particularis præſumatur; (2) illa tribuat poteſtatem hanc uel illam cauſam *ſubdelegandi*, neutiquam uero hæc, niſi dignitas aut qualitas delegati aliud iubeat; (3) illa non iisdem, quibus hæc, *extinguatur* modis.

§. XXIV.

Iuriſdictio ex priuilegio &

Iuriſdictio, quæ *ex priuilegio* datur, non poteſt non uariare, prout uariant cauſæ priuilegiorum, & uoluntates principum, pri-

priuilegia concedentium. Hinc est (*a*) modo *personalis*, modo *realis*, (*b*) modo *limitata*, modo *illimitata*, & (*c*) illa uarii immo innumeri generis.

§. XXV.

Iurisdictio ex dominio saepe competit nobilibus in homines proprios (lib.I. §. XXXIV,8.) rusticos (eod. §.LXXXII. seq.), *colonos s*), aliosque. *Municipalis* iurisdictio uariis titulis uariisque modis exercetur (eod. §. CLXXI. seq.). **ex dominio.**

SECT. IV.

DE

IVRISDICTIONE PROROGATA.

§. XXVI.

Iurisdictio, quae uoluntate partium extra terminos suos exercetur, *prorogata* dicitur. Partes autem declarant uoluntatem suam uel expresse uel tacite, ut si quis ad iudicem incompetentem uocatus litem contestetur. **An prorogari possit**

* Prorogatio iurisdictionis Carolingico aeuo prohibita, postea uero usitata, dein, ubi superioritas territorialis nata erat, restricta esse uidetur b. KEMMERICHIO d. *de prorogatione iurisd.* §. 18.

Rr 4 §.XXVII.

s) MEINDERS *de iurisd. colonar.*

§. XXVII.

iurisdictio propria? Iurisdictionis prorogatio quatenus tendit in praeiudicium iudicis proprii aut territorialis domini, omnino est illicita. Hinc non attenditur ea, quae alterius iurisdictioni patrimoniali, priuilegio de non appellando, aut iuri euocandi obest *t*).

TIT. II.

DE

IVDICIIS.

§. XXVIII.

Iudiciorum locus Antiquitus alia iudicia pacis alia belli erant tempore *u*). Omnia *primum* sub dio, unter dem blauen Himmel, auf offnen freyen Felde *x*), in loco edito, arbore procera, pertica, cruce aut uexillo *y*) * notato **, *dein* in templo quodam uel alio loco publico, habebantur.

* Hinc appendebantur *gladius*, *manus*, & alia iudicis insignia.

** Hic

t) SCHILTER *exerc.* VI. §. 23. PVFENDORF c. l. p. I. c. 4. §. 95. seq.

u) TACITVS *de M. G.* c. XI. CAESAR *de B. G.* VI.

x) KEYSLER *antiqu. septentr.* p. 86. seq. PISTOR *amoenit.* p. V. praef. p. 32. DV FRESNE u. campus.

y) GVNDLING *de feudis uexilli* p. 18. seq. HOFFMANN c. d. §. 3.

** Hic locus dicebatur *mallus*, *mallobergium* uel a Mahl, signo iudicium denotante, ut putant ECCARD *ad L. Sal.* c. I. & MEINDERS *de iudic. cent.* c. VIII. §. 16. uel a Maelen, quae uox colloquium, conuentum significat. I. G. HOFFMANN *de modo iudicia priuata exercendi apud ueteres germanos* §. 2. a).

§. XXIX.

Postea quidem iussit Carolus M. (1) *tecta* construi, ne per brumam inertem iudiciis mora fieret z); (2) ab *ecclesiis*, earumque atrio, litigantium abesse strepitum *a*): nihilo tamen minus & subsequenti tempore quaedam sub dio & in coemeteriis *b*) exercita fuisse, me legere memini *. Quia uero hoc & illo loco sub tecto habebantur, dici coeperunt Saal **, Pfalz *c*), curiae.

* Unde *L. Obstalbomicae* nomen suum trahere uidentur. GVNDLING d. *de feudis uexilli* § 17.

** Hinc libri iudiciales saepe dicuntur Sal-Bücher.

§. XXX.

Coiuisse primum Martis dein etiam Veneris diebus, uel horum nomina germanica innuunt. Instituebantur autem conuentus tempore matutino, eo prae- tempus &

Rr 5 fer-

z) ap. BALVZ. *Capit.* To. I. p. 472.

a) *Capit. Aquisgran.* de A. 819.

b) TENZEL suppl. ad SAGITTARII *histor. goth.* p. 297. seq.

c) OCKEL *de palat. reg.* th. 86.

ſertim, quo ſol uergebat in meridiem *d*).

* Tempus uero, quo aut inchoabatur luna, aut implebatur, huc non pertinet. Illud enim credebant agendis rebus publicis, & ineundis dimicationibus præliisque auſpicatisſimum. TACITVS c. I. ibique DITHMAR p. 69.

§. XXXI.

Initium. Nefas habebatur, iudicem partes audire ac decernere, ehe die Banck * geſpannet, oder das Gericht geheget und geboten worden *e*) **. Iudicium ſepiebat ac muniebant iudex & ſcabini, ſtrepitus uero, quibus ius dicentes turbari poterant, arcebant adparitores *f*). Omnia quidem iudicia, ita conſtituebantur, ut iudex, ubi ei roganti: *an hora diei adſit, qua incipi & peragi posſit iudicium? quomodo ordinari debeat?* reſponſum dederant ſcabini, ordinatum proclamaret, aut proclamari iuberet *g*); ratio tamen ſolemnitatum, ſub quibus unusquisque actus fiebat, ſemper & ubique non erat eadem.

* Quo uocabulo, præſertim compoſito Ding-Banck, Gerichts-Banck, iudicium illiusque locus ſignifica-

d) *I. P. S.* III, 61. *Alamann.* c. 120. BRVMMER de *ſcabinis* c. 8. §. 6.

e) *I. P. S.* I, 39. ibique gl.

f) *I P. Alamann.* c. 75.

g) *Weichb.* art. 16.

cabatur & alicubi significatur hodie. *Stat. Hamb.* I, 1, 1.

** En causam, cur iudicia quandoque dicta fuerint Gard-Voigteyen. Vocabulum enim Gard significat sepimentum. CAMDENI *Britannia* in Cornvvall, pag. 91. uel potius einen befriedigten Ort. Errat itaque ALB. GEORG. SCHWARTZ, Einl. in die Pomer. und Rügian. Justitz-Historie p. 31. putans, iudicia olim propterea uocata fuisse Gard-Voigteyen, quod exercita fuerint in isto cuiusque prouinciae loco, qui probe munitus & moenibus circumuallatus fuisset.

§. XXXII.

Adhuc hodie plerumque sub dio exercentur & muniuntur (1) solemne illud iudicium criminale, quod dicitur das hoch-nothpeinliche Halß-Gericht, & (2) illud in Saxonia celebrari solitum, quod audit das nothpeinliche Halß-Gericht. Sic quoque (3) alicubi *iudicia marcalia b*), & (4) in Hassia quaedam ciuilia, sub dio exercentur *i*). Usus hodiernus.

§. XXXIII.

Dies cognitionibus & ferendis sententiis destinati, Gerichts-Tage, adhuc sunt dies Martis Venerisque, nisi (*a*) bannum tam amplum sit, ut iudices litibus fatigentur quotidie, aut (*b*) tam arctum, ut singulis demum mensibus iudicis praesentia opus sit.

§. XXXIV.

b) REINHARD tr. *de iure forest. German.* sect. 3. §. 7.

i) Ill. ESTOR ap. KUCHENBECKER *Anal. Hass.* coll. 3. nr. 3.

§. XXXIV.

Iudicia, quæ celebrantur hodie, sunt uarii generis. *Iudicium aulicum k)*, *camerale*, *Rothwilense l)*, itidem *austrægas* cuiuscunque generis non commemorabo, quippe de quibus notatu digna in iure publico traduntur.

§. XXXV.

Iudicia statuum

Iudicia statuum sunt (1) uel *superiora* uel *inferiora*. Ad *illa* refero *curias prouinciales*, Hof- und Land-Gerichte, Cammer-Gerichte, Regierungen, Ober- *appellations* Gerichte, Ober- *consistoria &c.* ad *hæc* uero *præfecturas*, *iudicia urbica & nobilium.*

§. XXXVI.

sunt uel generalia uel specialia.

Sunt porro (2) uel *generalia* uel *specialia;* ad quæ posteriora refero Holtz-Gerichte *m)*, Feld- und Wiesen- Saltz- Fischer- Kohlen- Gerichte, Bruch- Gerichte *n)*, Berg-Gerichte, Märcker- Geding *o)*, Zeidel-Gerichte *p)*, Laet-Probst-Got- Dinck, Hager - Gerichte ꝛc. itidem Ritter- Recht

k) MAVRITII d. *de iudicio aulico.*

l) IDEM d. *de iudicio Rothwil.*

m) PVFENDORF. c. l. p. III. sect. 1. c. 2.

n) MASCOV *notit. iur. Brunsu. Luneb.* p. I. c. 3. §. 36. p. 80.

o) REINHARD *de iure forest. german.* p. 135. seq.

p) BVRI Einleitung zum Lehn-R. p. 1307.

Recht *q*), Marschals-Gerichte, Academische Gerichte ꝛc. Plura commemorare nec lubet nec licet.

§. XXXVII.

*Curiæ prouinciales** (§. XXXV.) exemplo regum (§. II.) in aulis suis uel urbibus primariis instituerunt principes, ut ciues, sibi grauamen a iudicibus illatum esse putantes, haberent quas appellarent, nec ad extraneos scabinatus acta mitterent, in causis dubiis *r*). Celebrantur *Ienensis*, *Lipsiensis*, *Vitebergensis*, *Austriaca*, *Bremensis*, *Hildesiensis*, *Silesiaca &c.* Curiæ prouinciales.

* Quarum uaria nomina sistit GRVPEN *obs.* 2. §. 1. rationem uero & constitutionem refert SECKENDORFF *histor. Luther.* lib. I. §. 75. pag. 117; denique qui forum coram iis in Saxonia sortiantur, nominat BEYER *delin. I. Germ.* I, 7, 27.

§. XXXVIII.

Præfecturæ, in quas quilibet fere principatus diuisus est, dicuntur Aemter, earum ministri autem Amt-Leute, quibus adiungi solent Land-Richter, Amts-Verwalter, Voigte, Amts-Schultzen, si præfectura sit paulo amplior. Præfecti regulariter criminalem non minus quam ci- Præfecturæ.

q) WENTZKY tr. vom Schlesischen Ritter-R. STRVVII d. *de iudiciis heroicis*.

r) HEINECCIVS *Elem. I. Germ.* III, 55. HERT. *de consult. LL. Germ.* §. 21.

ciuilem exercent iurisdictionem, sed delegatam (§. XXI.), aliqui conductam *. Hi & regimini & cameræ, illi regimini tantum subsunt. Omnes utuntur (1) *idiomate* germanico, & (2) sigillo præfecturæ Amts-Siegel *s*), ad perpetuam fidem scripturæ extra iudicium conciliandam necessario.

* Iam mihi sermo non est von den Haußhaltungs-Aemtern, sed de præfecturis iustitiæ. Quod quoque dentur præfecturæ, quæ sunt iustitiæ & administrationis simul, atque huc suo modo pertinent, ad unum sciunt omnes.

§. XXXIX.

Iudicia nobilium. Nobiles, qui iurisdictionem patrimonialem per alios explicare contendunt, curare debent, ut hi de officio rite iusteque faciendo, præsentibus rusticis, iurent, ne quæ inter dominum rusticosque *t*), uel in causis criminalibus, coram iustitiario acta sunt, sint fide nulla.

TIT. III.
DE
IVDICE SCABINIS ACTVARIO ET BIDELLO.

§. XL.

Iudex, qui Iudex, qui olim dicebatur Grav, Meister *u*), est uir cui ex auctoritate publi-

s) CARPZOV *processf.* tit. 2. art. 2. nr. 124 seq.
t) Specht *de præfectis nobilium iudiciis* nr. 7.
u) MYLII d. *de indic. cens.* p. 27.

blica *x*) poteſtas ius dicendi competit. Bonus eſſe debet, habilis & competens.

§. XLI.

Iam olim fuit (1) uel *ordinarius* uel *uicarius*. *Ille* ius dicebat de cauſis maioribus, *hic* uero minoris momenti lites cum ciuiles tum criminales dirimebat *y*); (2) uel *ſecularis* uel *eccleſiaſticus*, quorum unus alteri manus auxiliatrices præbere tenebatur. **uel ordinarius eſt uel uicarius,**

§. XLII.

Quia uirum bonum decet eſſe iudicem (§. XL.): ſequitur (1) ut affectu *odii* uel *amoris* occupatus, & (2) ob *ſpem commodi* *z*), uel ob aliam iuſtam cauſam ſuſpicionem incurrens, iudicis perſonam ſuſtinere nequeat, ſed (3) iure *recuſetur* *a*). **ſit uir bonus**

§. XLIII.

Porro iudices maiorum noſtrorum debebant eſſe *ingenuis* natalibus clari *b*), & ex eadem *prouincia*, cui præficiendi erant, orti. Peregrinus recipi non poterat *c*). **habilis**

§.XLIV.

x) *L. Alamann.* XLI.
y) THOMASII d. *de iurisd. & magiſtr. diff. ſecund mores germ* §. 71. ſeq.
z) *L. Baiuuar.* II, 17.
a) CARPZOV. *proc.* III, 4, 87.
b) *I P. S.* II, 12. III, 61.
c) *Capitular.* VII, 230. *L. Longob.* II, 47, 1.

§. XLIV.

& competens.

Iudex denique *competens* esse debet *d*), h. e. ille, qui reum cogere potest. Incompetenti enim reus respondere non tenetur *e*).

* Quod iudex uel *ex lege* uel *ex priuilegio* uel ex *uoluntate litigantium* sit competens, alibi docuimus.

§. XLV.

Quæ omnia adhuc uigent hodie. Et si non in omnibus, tamen in quibusdam, iudiciis requiruntur *præsides* nobiles iique ex prouincia oriundi.

§. XLVI.

Commissarius.

A uicario iudice (§. XLI.) differt *commissarius*, cuius statum & potestatem ex iure pontificio addiscere debes *f*).

§. XLVII.

Scabini.

*Scabini** præsentes esse debent tempore, quo cadauer tollitur, aut iudicium habetur criminale *g*), neutiquam uero ubi causæ ciuiles uentilantur **, præsertim si sint liquidæ nec moram ferentes. Adsunt hodie plerumque solemnitatis tantum gratia. Nam raro ferunt suffragium, & propterea alicubi dicuntur stumme Schöpfen *h*).

* De

d) *L. Wisigoth.* II, 2, 2.
e) *Capitular.* VII, 283.
f) *Elem.* mea *I. Can. Pont. Eccl.* lib. IV. tit. 3.
g) C. *Cr.* art 1.
h) LVDOVICI *ad* C. C. art. 4. pag. 13. BECHMANN d. *de Scabin.* & *Scabin.*

* De *scabinorum nomine, origine, antiquorum qualitatibus, munere & diuerso ordine*, nec non de modo, quo illi antiquo & medio æuo constituebantur, ex professo egit FRID. BRVMMER *de Scabinis.* PVFENDORF *de iurisd. German.* p. I. c. 3. §. 9. seq.

** Olim in causis ciuilibus æque ac criminalibus adiuncti erant comitibus, BRVMMER c. l. c. V. §. 4.

§. XLVIII.

*Sculteti**, qui mox infeudati sunt mox a uillicis electi, uiri debent esse boni artisque scribendi & legendi periti; atque alicubi iudiciis nobilium tanquam testes intersunt, ut sic parum distent a scabinis *i*)**. Scultetus.

* Hic, qui in chartis antiquis audit etiam *scultais, sculdasius, sculdachius.* DV FRESNE *glossar.* h. u. ita dicitur a Schuld (quod non tantum debitum, sed & pœnam, immo noxam notat) & Heischen (iubere, exigere).

** Loquor iam de sculteto paganico, Land- und Dorf-Schultzen. Oppidani modo sunt indiciorum præsides, modo inferiores iudices. SPECHT d. *de scultet. & scab.* p. 9.

§. XLIX.

Dorf-Richter, qui alibi cum sculteto conuenit, alibi ab eo discrepat, iudicio nobilis sui interesse debet (1) *in causis criminalibus*, quoties causa cognoscenda. uel Dorf-Richter.

i) HARTVNG d. *de Sculteris Heimburgis & Scabinis paganicis* c. I.

uel actus maioris momenti expediendus u. c. cadauer transportandum, uulnus inspiciendum est; (2) *in ciuilibus*, si iudicis & actuarii officium gerat unus idemque. Sic quoque ut adsistat iudici, uolunt mores, in sententiis, tam ciuilibus quam criminalibus, executioni dandis, bonis debitorum subhastandis, aliisque negotiis. Illius porro est *edicta* rusticis prælegere, *operas* a rusticis præstandas distribuere, *criminum reos* denuntiare *k*).

§. L.

Actuarius. *Actuarii* sunt personæ auctoritate publica ad id constitutæ, ut coram iudice acta conscribant *, & in ordinem suum redigant. Hos *honestos*, *iuris peritos*, &, ut eorum protocolla inueniant fidem, ad acta *iuratos* oportet esse *l*). An *notarios cæsareos?* disputant Dd. In Saxonia inter causas ciuiles & criminales distinguitur *m*).

* Quæ conscribere debent (1) ipsi, (2) iudice præsente, (3) accurate, &, (4) quantum fieri potest, ipsis loquentium uerbis, (5) additis necessariis facti circumstantiis &c. b. KEMMERICH d. *de secretariis, protonotariis & actuariis iudicialibus* §. 13. seq.

k) SPECHT c. d. p. 10.

l) *Ord. Cam.* p. I. tit. 26. §. 5. tit. 59. 79. WILDVOGELII d. *de officio actuarii* th. 10.

m) *dec. el.* 38.

§. LI.

Nuntius iudicialis, der Fronbote *, der Büttel, der Waibel *n*), olim honorabilis erat & aliqua iurisdictione praeditus *o*). Insidebat enim puluinari *p*), & ius dicebat de iis, qui aliquem ita uerberauerant, ut tumesceret membrum, uel sanguis sine uulnere eliceretur *q*). Gaudebat etiam iure decimum quemque, ad mortem condemnatum, dimittendi, alſo daß er ihn zu löſen geben mochte *r*). Nuntius iudicialis.

* i. e. nuntius uel uiator sacrosanctus. *Fron* enim ueteribus *sanctum* significabat. OTFRIDVS *Euang.* I, 5, 66. III, 16, 6. Hinc errat glossator ad *I. P S.* I, 53. Quia itaque sanctus erat nuntius, gladium gerere non poterat; sed imminente periculo clamorem excitare debebat. *I. P. S.* III, 56.

TIT. IV.

DE ARBITRIS.

§. LII.

Arbiter est uir priuata auctoritate ad litem aliquam dirimendam constitutus. Arbiter

n) SCHILTER *glossar.* h. u.
o) *Spec sueu.* c. 36. *Weichb.* art. 8.
p) *I. P. S* III, 56.
q) *I. P. S.* I, 68.
r) *I. P. S.* III, 56. *Sueu.* c. 26. seq.

§. LIII.

tam uoluntarius quam necessarius,

Vel *uoluntarius* uel *necessarius* seu statutarius dicitur esse. Ille litigantium consensu electus, arbitrium, si uelit, recipere debet iuxta compromissi formulam.

§. LIV.

litem dirimere debet.

Quia arbitri est, litem dirimere (§. LII.): consequitur (1) ut in eos compromitti nequeat, qui facultate causam aliquam cognoscendi decidendique uix sunt prædati, aut prædati esse non uidendur; (2) ut electi huic & illi probationem iniungere, atque (3) quæstiones incidentes, causæ principali præiudicium creantes, cognoscere possint.

§. LV.

Compromisso res futuræ decisionis periculo exponitur. Unde (1) illi tantum, qui liberi sunt rerum suarum moderatores, possunt, (2) si uelint, (3) in causis priuati arbitrii in arbitros compromittere.

§. LVI.

Singularia.

(1) Compromisso clausulam obstagii adiici; (2) mandato constitui arbitros: singularia, quandoque tamen obuia *s*), esse, nemo est qui nesciat.

§.LVII.

s) LEHMANN *Chron. Spir.* VII, 26.

§. LVII.

Huc suo modo pertinent *austregæ*, *legales* pariter atque *conuentionales*. *Illis* certus modus procedendi in ord cam. *t*) præscriptus legitur, quem illustrarunt LIMNAEVS *u*), LVDOLFF *x*) aliique; his uero nouus præscribitur in conuentionis formula *y*). Austregæ.

* Austrægale forum cessat in causis feudalibus, criminalibus, & quoties iustitia uel denegatur uel protrahitur.

TIT. V.

DE ACTORE ET REO.

§. LVIII.

Actor dicitur, qui in iudicio sibi uel ius in re esse, uel aliquid ab aliquo dari fieri oportere, intendit; ille uero, a quo petitur, *reus* est. Actoris,

§. LIX.

Quum actor aliquid intendat (§. pr.): sequitur, ut agere non possint (1) rationis usu destituti, nec (2) qui se obligare nequeunt, utpote minores, uxores sine tutorum & maritorum consensu *. qui intendit

 * Vir-

t) p. II. tit. 2. seq.
u) *iur. publ.* IX, 5.
x) *iur. camer.* sect. 1.
y) DATT. *de P. P.* I, 27. nr. 99. seq.

* Virgines uero uiduasque de tutoribus suis conquerentes iam olim audiebat iudex, illisque dabat curatores in litem, *I. P. S.* I, 44. 46. 47. *Sueu.* c. 307. 322.

§. LX.

& petit aliquid,

Quumque actor ius suum petat in iudicio (§. LVIII.) merito infertur (1) *bannitum* non posse agere z), ne quidem litem motam continuare; (2) *inuitum* agere neminem cogi. Olim tamen, qui semel clamorem ediderat, accusare, accusationemque suam prosequi tenebatur *a*).

§. LXI.

est, sequi forum & ius rei.

Actoris porro est (1) sequi rei *forum b*), quod antiquae LL. uel domicilii *, uel rei sitae *d*), uel delicti *e*), esse statuunt, & *iura*, itidem (2) rei litigiosae qualitatem, qua possidetur, attendere **.

* Quod quum postea turbarent iudicia Westphalica, status imperii sibi saepe prospexerunt impetratis priuilegiis *de non euocando*.

** Neque etiam Saxo poterat conueniri ex I. Alam. quamuis in Alamannia constituisset domicilium. b. HEINECCIVS c.l. §. 77.

§. LXII.

z) *I. P. S.* III, 16. *Sueu.* c. 124. *Ord. Cam.* p. II, tit. 9. §. So iemand 2c.
a) *I. P. S.* I, 62.
b) *Capit.* VII, 251. 283.
d) *L. Alamann.* tit. 84. *Burgund.* XVI, 1. 2.
e) *L. Burgund.* tit. 89.

§. LXII.

Neque actor neque reus poterat (1) *armatus* in iudicium ire *f*), ibique (2) ſedere, aut (3) diſputationum ſophismatibus uti *g*); (4) ſine præuio examine poſtulare, ſi in eum incideret temeraria litis ſuſpicio *h*).

§. LXIII.

Adhuc hodie (1) in Saxonia ſine curatoris conſenſu ipſæ & per alium poſtulare nequeunt feminæ *i*); (2) alicubi præſtandum eſt iuramentum calumniæ, nec (3) gladio inſtructi admittuntur, niſi dignitate fulgeant.

TIT. VI.

DE ADVOCATIS PROCVRATORIBVS ET SYNDICIS.

§. LXIV.

A*duocati* *, Fürſprecher, Vormünder, sunt, qui iura litigantibus in iudicio ſuggerunt. **Aduocati**

 *Hi,

f) *Capit. Caroli M.* ad *L. Baiuuar.* ap. LINDENB. f. 443. *L. P. Alam.* c. 248. MEINDERS *de iudic. cent.* p. 95.

g) *L. Wiſig.* I, 2, 1.

h) *Capitul.* V, 245. *L. Wiſig.* XII, 2, 6.

i) Seyfarts T. R. Proc. p. 91. §. 11.

* Hi, qui apud maiores nostros male audiebant, ut ex clade illa Variana colligi potest, & postea tunc demum pro aliis postulare poterant, si consenserat iudex, nec ipsi aduersariis terrori erant, HEINECCIUS c. l. §. 79. seq. hodie in quibusdam tantum caussis repelluntur. *Elem.* nr. *I. Can. Pont. Eccl.* lib. IV. §. 67.

§. LXV.

quales debeant esse? Antiquae LL. uolunt, ut aduocati sint (1) uiri *honesti* atque *integrae famae*. Repellunt itaque ab aduocati munere incestis nuptiis pollutum *k*), periurum, proscriptum *l*), aliosque, quorum fides uidebatur punica *m*); (2) *iustae aetatis n*); (3) ii, quibus postulandi facultas uel a rege uel a iudice data *o*).

§. LXVI.

Aduocatorum labor dignus habetur *p*) *honorario* (1) *iusto* & (2) *priuilegiato.*

§. LXVII.

An eorum opera uti quis cogatur? Litigantium erat, (1) aduocatorum opera uti & non uti, nisi quod (*a*) pauperibus, & (*b*) illis, qui indefensi uidebantur, iudex aduocatum ex officio dederit *q*); (2) ea, quae in foro eorum nomi-

k) *Capitul.* VI, 306.
l) *I. P. Sueu.* c. 74.
m) *Capitul.* VII, 114.
n) *I. P Sueu.* c. l.
o) *L. Longob.* II, 52, 1. *I. P. S.* I, 60. *Sueu.* c. 90.
p) LEYSER *spec.* DXLVII. *coroll.* 1.
q) *I. P. S.* c. l. *Sueu.* c. 86.

mine dixerant aduocati, rata habere uel irrita *r*).

§. LXVIII.

Dicta adhuc hodie obtinent uſu. Pleriſque enim in locis (1) *aduocati* a principe uel iudice conſtituuntur illi, qui inſtituto examine ſatis probarunt doctrinam moresque *s*); (2) ex officio dantur aduocati, pro pauperibus poſtulaturi *t*), &, ſi uictoriam reportauerint, honorarium recepturi. Alibi conſtituti ſunt aduocati pauperum, alibi cauſæ pauperum inter aduocatos ordinarios ſunt diſtributæ; (3) honorarium aduocatis debitum ordinationibus proceſſualibus determinatum eſt priuilegiatumque. Aduocatus enim, ſi cliens moras nectat in eo ſoluendo, acta priuata retinere *u*), & ſi illius opera res ſeruatæ fuerint, locum inter priuilegiatos creditores occupare poteſt *x*).

§. LXIX.

Requiſita aduocatorum Cam. Imp.

In camera imperii nemo aduocatorum munus ſubire poteſt, niſi ſit (1) nobilis uel

r) *I. P. S.* III, 14. *Sueu.* c. 86. §. 2. ſeq.

s) KRESS. *ſpec. iurispr.* V, 7, 2. p. 760.

t) WILLENBERG d. *de aduocat. pauper.* c. 2. §. 13.

u) CARPZOV. *p.* II. *conſt.* 25. *def.* 33. TROPPANEGER d. *de retentione actorum aduocato ob ſalarium non ſolutum competente.*

x) NICOLAI *reſol. pract.* 18. §. 24. ſeq. p. 378.

uel promotus, (2) ex legitimo thoro procreatus, (3) religioni in germania adprobatæ addictus, & denique (3) immatriculatus *y*).

§. LXX.

Procuratores *Procuratores* olim non poterant esse (1) serui (2) infames *z*) (3) feminæ *a*); reliquos oportebat exhibere mandata, siue a domino siue a testibus subscripta ac signata *b*), qualia deprehendere licet apud MARCVLFVM *c*).

§. LXXI.

mandato sint instructi. Hodie in iudiciis superioribus ordinarie, in inferioribus raro distincta & certis personis demandata * sunt aduocatorum & procuratorum munera. Agat autem, quis uelit, alterius negotia, debet (1) esse homo bonæ famæ *uitæque integræ*, & (2) *mandato* ** instructus legitimo *d*), nisi illius, cuius negotia procuraturus est, (*a*) sit coniux, in eadem lite socius, uel consanguineus, & (*b*) de rato caueat tempore, quo principalis absens alium procuratorem non constituit;

y) *Ord. Camer.* p. I. tit. 18.
z) *addit. Capitul.* IV, 7.
a) POLAC *System. Iurispr. Ciu. Germ.* IV, 5, 5. *I. P. S.* II, 63.
b) *L. Wisig.* II, 3, 3.
c) *form.* I, 21. II, 31.
d) *Elem. iur. I. Can. Pont. Eccl.* lib. IV. §. 74.

tuit; (3) silentio premere sibi a principali suo concredita. Praeterea illius est (4) reuerentiam exhibere iudici, nec (5) ullam iniuriam inferre aduersario.

* Licet ordinarii sint aduocati & procuratores: tamen (1) illustres, & (2) uiri suas suorumque caussas peroraturi, iis uti tenentur minime.

** *Charta blanca*, immo *instrumentorum* ad caussam litigiosam pertinentium *possessio*, ubi sola est, nullius personam reddit legitimam. Is tamen, qui eiusmodi instrumenta possidet, potest sub initium litis procuratorem agere, dummodo de rato caueat, promittatque, se in progressu litis mandatum legitimum exhibiturum esse. *Ord. Camer.* p. I. tit. 21. § 2.

§. LXXII.

Denique notandum est: (1) quod alicubi nullus admittatur procurator, nisi ad acta constitutus *e*); (2) quod pleraque, quae hodie iusta sunt circa procuratores, ex iure Ro. & pontificio sint desumta *f*).

§. LXXIII.

Procurator collegii liciti audit *syndicus*, estque uel *perpetuus* uel *temporarius*. Prout collegium aequale est aut inaequale, uel ab eo toto *constituitur* uel ab illius capite. Syndicus.

TIT.

e) *Ref. Nor.* tit. 5. §. 1. 2. SCHILTER *exerc.* X. §. 40.

f) HOFFMANNI d. *de origine & conditione procuratorum e I. Ro. & can. nec non eorum progressu in forum Germanicum.*

TIT. VII.

DE ACTIONIBVS EARVMQVE EDITIONE.

§. LXXIV.

Actionum diuisiones.

Temporibus tam Wisigothorum *g*) & Francorum *h*), quam illis, quibus condebantur speculum Sueuicum *i*) & der Richtsteig *k*), actiones erant uel *ciuiles* uel *criminales* uel *mixtæ*. *Has* dicebant, quæ uel ex ciuilibus criminales *l*) uel ex criminalibus ciuiles *m*) fieri poterant: *illæ* uel uitam uel sanitatem uel iura uel existimationem uel securitatem adimebant. *Istæ* instituebantur uel um Schuld *n*) uel um Gut *o*), uel um Anefangk *p*).

§. LXXV.

Actionis editio.

Earum aliquam actor, ubi sine armis in iudicium uenerat (§.LXII,1.), ueniamque loquendi a iudice impetrauerat *, edebat, præcinens iudici breuissimam qui-

g) *L. Wisig.* II, 1, 18.
h) HEINECCIVS c. l. §. 144. seq.
i) c 99. 169. 188.
k) Richtsteig c. 5.
l) Ib. c. 36. 47. seq. *I. P. S.* I, 68.
m) Ib. c. 42.
n) Ib. c 6. *I. P. S. Sueu.* c. 92.
o) Ib. c. 11. *Spec Sueu.* c. 121.
p) Ib. c. 17. *Sp. Su.* c. 158.

quidem, aſt ſolemnem, formulam *q*), ab actuario ad protocollum referendam.

* Nihil enim, niſi impetrata uenia, in iudicio dici fieriue poterat *L. Sal.* LIII, 2. *L. Ripuar.* LV. Richtſteig c. 7. 8. 10. & alibi. Non autem licebat iudici rogato, cuiquam copiam ſui negare. *L. Sal.* LX, 1. *I. P. S.* III, 16.

§. LXXVI.

Ex quo uero iura peregrina penetrarunt fora Germaniæ, cœperunt actores intentionem ſuam iudici exhibere in ſcripto, facti ſpeciem, cauſam petendi & petionem certam actionique conformem continente, ac uariis clauſulis munito, cui *libelli* nomen eſt. **Libellus**

§. LXXVII.

Et quia mox ſcribebant ſerie continua, mox articulos concipiebant: factum eſt, ut *libellus* in *ſimplicem* & *articulatum* diuideretur. Hunc poſteriorem, quem cum libello certis numeris diſtincto *r*) confundas nolim, leges reprobant imperii *s*). **uel ſimplex eſt uel articulatus.**

§. LXXVIII.

Hodie (1) alias actionum diuiſiones tra- **Uſus hodiernus.**

q) HEINECCIVS c. l. §. 156. ſeq. POLAC c. l. p. 235.
r) STRYK d. *de cautelis circa quantitatem rei controu. in proceſſu ciuili obſeruandis.*
s) *R. I.* de A. 1654. §. 34.

tradunt Dd. (2) sunt, quibus gladio cinctis causas in iudicio agere licet; (3) uenia non impetratur solemniter.

§. LXXIX.

Denique illud notare iuuat, quod (4) libellus rubro, adiuncta uero aliter signentur; (5) quod libello quandoque articuli probatoriales queant addi *t*); (6) quod quaedam supersint iuris antiqui uestigia. Nam (*a*) in quibusdam causis & iudiciis actio *uiua uoce* editur, quam protocollo inserit actuarius; (*b*) in Saxonia libellus in termino uiua uoce repetendus est; (*c*) extra Saxoniam frequens est causidicorum formula: Kläger sagt zu Anbringung seiner Klage.

TIT. VIII.

DE IN IUS VOCATIONE, DILAT. FERIIS ETC.

§. LXXX.

In ius uocato

Vocatio in ius, quae totius processus fundamentum est, olim (1) *mallatio*, *admallatio*, *adrhamitio*, *solsadia* dicebatur; (2) fiebat uel per *mannitas* siue *mannitiones*, uel per *bannos* siue *districtiones* *u*), prout

t) cit *R.* §. 39.
u) *L. Longob.* II, 43, 2.

prout scilicet uel adparitor iussu iudicis, uel actor * praesentibus testibus, uocauerat; (3) dirigebatur ad illos tantum, qui sub citantis iurisdictione erant *x*).

* Vocabat autem actor iacta in rei sinum festuca. Quare citatus dicebatur *adiectinus*. Fata uocationis *per mannitas* refert WENDALINVS *glossar.* u. bannire.

§. LXXXI.

Iudex in ius uocans, dabat dilationem, quae sufficeret reo, ad iudicium se praeparanti. Hinc terminum, qui quandoque dicebatur *sol*, itidem ausgeleget Ding *y*), non eundem semper constituebat *z*). Post citatis dabantur induciae XIV. noctium *a*) *, quae ter erant repetendae. legitimus ponebatur terminus.

* TACITVS *de M. G.* c. XI. CAESAR *de B. G.* VI, 18. Vid. ECCARD *ad L. Sal.* pag. 74. SCHWARTZ. Einleit. in die Pommerisch- und Rügianische Justitz-Historie f. 27. x). Noctes propterea quibusdam computasse uidentur, quod initio rerum nox diem praecesserit.

§. LXXXII.

Adhuc hodie (1) citatio praetermitti nequit, nisi (*a*) reus renuntiauerit ei, aut (*b*) ex ea omissa nullum damnum sentiat; aut (*c*) in mora sit periculum; (2) ci- Citationis hodiernae modus.

x) *L. Wisigoth.* II, 2, 7.
y) *I. P. S.* I, 2. GRVPEN *discept. for.* p. 674. seq.
z) *L. Sal.* XL, 1. XLIII. *Capitul.* III, 45.
a) *I. P. S.* I, 2. 67.

insinuationis

citatur reus *alibi* per actorem *b*), *alibi* per adparitorem, mox scripto iudicis * exhibito, mox sine eo; (3.) citatio demum tertia habetur peremtoria, secundum illud: zweymal darf man wohl aussenbleiben *c*), nisi (*a*) prima, uel secunda contineat clausulam: *peremtorie*, aut (*b*) ponat terminum, qui trium induciarum spatium continet, qualis est Saxonicus die Sächsische Frist *d*).

* Hoc continere debet (1) nomen iudicis citantis, rei & actoris; (2) causam cur quis in iudicio comparere debeat. Libelli (§. LXXVI.) copiam transmitti iubet *R. I.* 1654. §. 34. (3) locum & (4) diem iudicii FINSTERWALDER *lib.* I. *obs.* 30. Quod citationibus saepe inferatur formula: zu rechter früher Tages-Zeit, hoc ex moribus illis antiquis superest, quibus antemeridianae tantum horae iudiciis impendebantur (§. XXX.). Quid uero innuat hodie, docet WILDVOGELII d. *de clausula formulae citationis inseri solita*: iusto matutino tempore.

§. LXXXIII.

probatio,

Adparitoris est, ubi citauit, *alibi* schedulam, quam *recepisse* dicunt, iudici reddere, *alibi*, cui, quando & ubi commiserit citationem, ad acta referre.

§. LXXXIV.

diuisio

Citationem diuidi (1) in *generalem* & *specialem*, (2) in *publicam* & *priuatam*, (3) in

b) SCHILTER *exerc.* VII, 7.
c) PISTOR *cent.* 2. *paroem.* 42.
d) GVNDLING. *p.* XXVI. *obs.* 1.

(3) in *mediatam* & *immediatam;* (4) in *dilatoriam* & *peremtoriam &c.* inter omnes constat.

§. LXXXV.

In comparendo contumax *olim* certam pecuniam aduersario soluere cogebatur *e*); *post*, pensa iudici mulcta, habebatur confessus & conuictus *f*). A qua tamen pœna immunis erat, qui morbo, inundatione fluminum *g*), morte amici *h*), carcere, itinere sacro *i*), feriis *k*) impeditus non comparuerat. Contumaciæ pœna, & ab hac immunitas

§. LXXXVI.

Hodie pœna contumaciæ (1) pro uarietate negotiorum in iudicio expediendorum, uaria est, plerumque refusio expensarum termini *l*); (2) cessat, ubi citatus non comparens (*a*) ab aduersario contumaciæ suo tempore & modo accusatus non est, aut (*b*) postea aliquid impedimenti legitimi, ehehaften *m*), allegare & probare potest. Usus hod.

§. LXXXVII.

e) *L. Sal.* tit. 1. §. 1. 2.
f) *I. P. S.* III, 39.
g) *L. Wisig.* II, 1, 18.
h) *L. Sal.* I, 3. XIX, 6.
i) *I. P. S.* II, 7.
k) Ib. II, 66.
l) BASTINELLER *de expensis termini.*
m) STRYK & GERHARD. d. *de legitimis impedimentis.*

§. LXXXVII.

Feriæ.

Feriæ sunt uel *diuinæ* Heilige-Feyer-Tage, uel humanæ gebundene Täge *n*). Ad *illas* referebantur olim *o*) & adhuc referuntur hodie dies dominicus, XV. d. paschales, dies natiuitatis, circumcisionis, epiphaniæ, ascensionis, pentecostes; ad *has* uero messis & uindemiæ. His, non uero *illis*, renuntiari potest, si uel maxime res coram arbitris agatur. Quodsi uero negotium a iudice expediendum nullam moram ferat, aut reus de fuga sit suspectus, qualitas diei non attenditur.

TIT. IX.

DE EXCEPTIONIBVS ET LITIS CONTESTATIONE.

§. LXXXVIII.

Exceptiones sunt

Exceptio est uel iuris uel facti allegatio, qua quis ad defensionem sui & exclusionem petiti actoris utitur.

§. LXXXIX.

uel peremtoriæ uel dilatoriæ.

Exceptiones, quas per modum interrogationis olim proponi consueuisse patet ex libro, der Richtsteig dicto, sunt uel

n) *I. P. S.* II, 10.
o) *L. Wisig.* II, 1, 11. *Capit.* 1. A. 813. §. 15. & de A. 823.

uel *dilatoriæ* uel *peremtoriæ p*). Ad *has* pertinent exc. ſolutionis, compenſationis, transactionis, dominii, antiquioris poſſesſionis &c. *Illæ* iterum ſunt uel *declinatoriæ iudicii*, utpote exc. iudicis incompetentis (§. XLIV.) *q*) inhabilis uel ſuſpecti (§. XLII.) *r*), præuentionis, primae inſtantiæ &c. uel *dilatoriæ in ſpecie* ſic dictæ, ut actoris inhabilis, procuratoris illegitimi, illegitimationis, termini nimis anguſti, reſtitutionis in integrum *s*), feriarum (§. LXXXVII.) *t*), præiudicii *u*), ueniæ non impetratæ, (§. LXXV.*) linguæ actoris reo ignotæ *x*) &c

§. XC.

In dilatoriis porro eſt exceptio nondum præſtitæ *guarandæ*. Hanc præſtans actor promittebat olim (1) ſe libellum non mutaturum *y*), (2) reumque ab alio quodam ex eadem cauſa conueniendum defenſurum eſſe. Hinc ubi præſtita guaranda, alium contra reum ex eadem cau- *Guarandæ præſtitæ effectus &*

Tt 2 ſa

p) *Elem.* nr. *I. Can. Pont. Eccl.* lib. IV. §. 106.
q) *Capitul.* VII, 283. *I. P. S.* III, 25. 79.
r) *L. Wiſig.* II, 23. *Capitul.* VII, 170. *I. P. S.* III, 52.
s) *Capitul.* VII, 210. ſeq.
t) *I. P. S.* II, 11.
u) *L. Longob.* II, 50, 1. ſeq.
x) *I. P. S.* III, 71.
y) *I. P. S.* I, 63. III, 14.

ſa agentem, repellere non poterat, reo die Wehrbuße, & iudici mulctam debebat z).

§. XCI.

usus hodiernus.

Guaranda adhuc hodie ab actore, de cauſa ordinaria in foris I. Sax. communis diſceptaturo, uel ſtipulata manu, uel tacto iudicis baculo, præſtari & actis conſignari debet. Ea præſtita, actor libellum mutare aut iuſiurandum deferre amplius non poteſt. Mulcta autem illa, quam dixi Wehrbuße, non amplius ſeruatur uſu.

§. XCII.

Cautio pro reconuentione & expenſis.

Ad dilatorias etiam refero *cautionem pro reconuentione & expenſis*. Quum enim reconuentionem omnino probarent, nec, niſi finita conuentione, locum ei darent maiores, iubebant actorem bonis immobilibus deſtitutum uel fideiuſſores dare, uel carcerem ingredi, præſertim ſi de re criminali acturus eſſet a). Adhuc hodie actor, immobilia non posſidens, cauere debet de reconuentione & expenſis, ſi illud reus ante L. C. exigat b).

§. XCIII.

Exceptionum oppoſitio.

In primo ſtatim termino exceptiones dilatorias omnes ſimul & quidem ſub pœ-

z) Ib. II, 15. III, 14.
a) Ibid I, 61.
b) CARPZOV. *lib.* II. *R.* 76.

pœna amisſionis opponere, iisque oppoſitis *litem conteſtari*, ſeu ad actionem reſpondere *, reus olim tenebatur, & adhuc tenetur, hodie *c*) **, ni uelit in expenſas condemnari, aut docere, exceptionem poſt L. C. demum natam uel eam eſſe, quae iudicium retro nullum reddat *d*), aut forum declinet *e*), aut grauamen ſuccesſiuum contineat.

* Iam quum reus reſpondeat uel adfirmando uel negando intentionem actoris: *L. C.* in *adfirmatiuam* & *negatiuam* diſpeſcitur.

** Intelligitur autem reſpondiſſe ſub conditione, ſi ſuis exceptionibus ſatisfactum eſſet.

§. XCIV.

Litis conteſtatio eſt (1) uel *ſolemnis* uel *minus ſolemnis*; (2) uel *pura* uel *euentualis*; (3) uel *uera* uel *ficta*. L. C.

§. XCV.

Debet autem L. C. ſolemnis (1) *ſpecialis* eſſe i. e. ad omnia & ſingula libelli capita dirigi; (2) fieri *ſine ullis ambagibus*, ohn allen Anhang. Ei ſub pœna priuationis adiiciendae ſunt *exceptiones peremtoriae*, ſi exceperis eas, quae ex inſtrumentis guarentigiatis aut ex confesſione aduer- qualis eſſe debeat.

 ſa-

c) *R. I.* 1654. §. 37. Oelſn. L. O. art 8. O. O. Land-T. p. II. tit. 28.

d) FINSTERWALDER *lib.* 1. *obſ.* 39.

e) *R. I.* cit. §. 37. 40.

farii reddi possunt liquidæ, quippequæ adhuc post sententiam, immo in ipso executionis termino queunt adduci.

§. XCVI.

Olim, ubi reus fundamentum actionis negauerat, *alii* germanorum populi actori probationem, *alii* reo purgatorium, *alii* alterutri litigantium uel iusiurandum uel singulare certamen deferebant *f*), *alii* tunc demum a reo exigebant iusiurandum, si quando, probatione ab utroque litigante suscepta, nondum tamen liqueret causa *g*). Hodie, reo litem negatiue contestante, *actor* fundamentum intentionis suæ, & *reus* exceptionem, probare debet, nisi pro alterutro militet præsumtio.

§. XCVII.

Confessio. *Confessio*, quam sciens & intelligens coram iudice competente fecisti libere & simpliciter, tibi non alii, nisi causam a te habenti, nocet, aduersarium ab onere probandi liberans.

TIT.

---

f) *L. Burgund.* XLV. LXXX, 2.
g) *L. Wisig.* II, 2, 5.

TIT. X.
DE
PROBATIONIBVS.

§. XCVIII.

Probatio est actus, quo de facto dubio fides fit iudici legitima. Probatio

§. XCIX.

Eam Germani hodie eodem modo diuidunt, quo intra peregrina, horumque Dd. Statuunt enim, quod sit (1) uel *artificialis* uel *naturalis;* (2) uel *plena* uel *minus plena*; (3) uel *regularis* uel *irregularis;* (4) uel *solemnis* uel *minus solemnis.* uaria esse dicitur.

§. C.

Probationi uarium tempus a lege pariter atque a iudice statuitur, statutumque alibi statim atque sententia probationem iniungens publicata est, alibi tunc demum si publicata uires rei iudicatæ nacta est, currere incipit *b*). Tempus probationi statutum

§. CI.

Intra quod (§. pr.) sub pœna desertionis fieri, non tamen absolui, debet probatio. Quam pœnam semper remittere potest aduersarius, iudex uero debet, ubi probatum est impedimentum legitimum. sub pœna desertionis seruandum est.

b) Seyfart T. R. Proc. c. 12. §. 13.

§. CII.

Reprobatio.

Probationi opponitur *reprobatio*, cui datur locus, si uel maxime ea non fuerit reseruata.

SECT. I.

DE TESTIBVS. ET PROBATIONE, QVAE PER EOS INSTITVITVR.

§. CIII.

Testis, qui

Testis est persona fidem iudici de facto dubio faciens.

§. CIV.

inhabilis non est.

Itaque necesse est, sint fide digni, seu uelint & possint uerum dicere, qui uolunt esse testes. Unde a testimonio repelluntur (1) ratione *ætatis & status*, pueri, minores XV. annis *i*), furiosi, mente capti, pauperes, qui mulctam, si peierassent, inferre nequeunt *k*); (2) ratione *uitæ*, improbi *l*), iudicio publico damnati uel criminibus infames *m*), periuri *n*), Iudæi, hæretici, summe ebrii &c.; (3) ra-

i) *Capitul.* VII, 78.
k) *L. Longob.* II, 51, 13. *L. Baiuu.* XVI, 1, 2.
l) *Wisig.* V, 7, 7. *Capitul.* V, 162. VII, 207.
m) *L. Long.* II, 51, 3. *Capitul.* VI, 208.
n) *L. Alam.* tit. XLII.

ratione *adfectuum*, propinqui, adfines, ſocii, teſtes de domo inimici, pecunia corrupti, in cauſa ſua teſtaturi *o*).

§. CV.

Quilibet cogi poteſt, ut teſtimonium iureiurando præſtito firmatum *p*) dicat *q*) in iudicio *r*). Olim teſtimonium iurato deponentibus aures uellicabantur *s*). **ad teſtimonium cogi poteſt.**

§. CVI.

Unus teſtis nihil probat, niſi intuitu muneris, quod gerit publicum. Quid? quod olim duo uel tres non ſemper ſuffiiebant, ſed ſæpius XII. adhibebantur *t*)*. Teſtibus æqualis numeri ab utraque parte productis, res pugna dirimenda erat *u*). **An unus teſtis probet?**

* Magis enim numerabantur, quam ponderabantur teſtimonia. GAERTNER *ad L. Saxon.* pag. 62.

§. CVII.

Quod neque hodie (1) teſtes *inhabiles** (§. CIV.) & *ſponte ſe offerentes* fidem faciant iudici, aut (2) *ſcripto*, aut (3) *ſine* **Uſus hodiernus.**

Tt 5 iu-

o) HEINECCIUS c. l. §. 190. ſeq. POLAC *ſyſt. Iurispr.* IV, 9, 2. 3.
p) *L. Baiuu.* XVI, 5. *Ripuar.* tit L.
q) *L. Sal.* LII, 1, 2.
r) *Capitul.* VI, 145. *L. Wiſig.* II, 4. 5.
s) *L. Baiuuar.* XVI, 1. 2.
t) POLAC. c. l. §. 4.
u) *L. Longob.* II, 52, 11.

iureiurando ualidum testimonium ferre queant, & (4) unus testis clasficus semiplene probet, omnibus notum est.

* Qui facto quodam se infames reddiderunt, admittuntur, ubi uitium emendasse uidentur.

§. CVIII.

Quod *per testes probaturus* thema probandum in articulos breues redigere, testes nominare, utque nominati ad statutum productionis terminum citentur, petere, in termino producere, *iudex* uerò productos iureiurando obstringere, & post, remotis partibus, ad articulos & interrogatoria, si quæ a producto concepta, rogare debeat: illud est maximam partem iuris pontificii, alibi a nobis traditi *x*).

SECT. II.

DE INSTRVMENTIS, ET PROBATIONE QVAE PER EA INSTITVITVR.

§. CIX.

Instrumenta sunt

Instrumentum est scriptura ad rerum gestarum memoriam fidemque confecta.

§. CX.

x) *Elem.* nr. *I. Can. Pont. Eccl.* lib. IV. §. 145. seq.

§. CX.

Quia uero uel publica fide nititur illa scriptura, uel priuata: hinc & *instrumentum* est uel *publicum* uel *priuatum*. Dicitur autem publicum non solum illud, quod in iudicio a personis publicis scriptum est, sed & a tabellionibus rite * conditum. Utrumque omni exceptione maius habetur. uel publica

* i. e. quod continet (1) inuocationem nominis diuini, (2) annum imperii Cæsaris, (3) annum & diem, (4) numerum indictionis, (5) rei gestæ seriem, (6) testium praesentium nomina & cognomina, nomen ipsius notarii. *Ord. notar. Maximiliani* I.

§. CXI.

Priuatorum eadem non habetur ratio, nisi sint guarentigiata (Lib. III. §. CLXXXII. seq.), uel de rebus honestis ab eo, ad quem causa pertinet, præsentibus testibus sponte scripta aut subscripta, addito anno & die *y*). uel priuata

§. CXII.

Diuiduntur porro in *authentica* & *transsumta*, quorum hæc illis tunc demum æquiparantur, si a persona publica, præsentibus iis, quorum interest, rite descripta fuerint.

§. CXIII.

y) *L. Wisig.* II, 6. 1. seq.

§. CXIII.

Quaenam nihil probent?

Inſtrumenta, quaecunque ſint, ubi (*a*) *falſa*, (*b*) *cancellata* aut *raſa*, (*c*) *dicis cauſa ſcripta*. (*d*) *non legibilia*, (*e*) *indiſcreta &c.* deprehenduntur, nihil probant.

§. CXIV.

Hodie (1) inſtrumentis, quae iudex confecit, adeo creditur, ut nullus detur locus iuratae diffesſioni; (2) ubi productus fidem inſtrumenti priuati iureiurando uult infringere, producenti integrum eſt, uel comparationem literarum, uel recognitionem documenti per teſtes inſtituere; (3) publicis aequiparantur priuata teſtium ſubſcriptione firmata *z*); (4) alicubi non omnes notarii inſtrumenta condere poſſunt *a*).

§. CXV.

Quae fides tribuenda diplomatariis &

Diplomataria a quibusdam diuiduntur in *hiſtorica*, *authentica*, & ea quae ſunt *medii generis*, quorum *his* fere nullam, *illis* publicam, *iſtis* uero priuatam nec hiſtorica *b*) maiorem fidem Dd. tribuunt *c*), ſi uel maxime in archiuo * fuerint reperta.

* Scri-

z) *R. I.* de A. 1512. tit. von Notarien.

a) Seyfart T. R. Proc. c. XIV. §. 3.

b) EISENHARD & THOMASIVS *de fide hiſtorica.*

c) WALDSCHMID. d. *de prob. per diplomataria.*

* Scripturæ ex archiuo productæ quam probandi uim habeant extra territorium eius, cuius archiuum est? disceptatur WALDSCHIMD c. d. §. 20. FRITSCH *de iure archiui.*

§. CXVI.

Libri mercatorum, ubi rite sunt conditi (lib. I. §. CCIII.) *d*), semiplene & ita probant, ut eorum auctores, siue sint ipsi mercatores siue institores *e*) *, admitti soleant ad iusiurandum suppletorium *f*) tam generale quam speciale. Quæ fides I. Lub. *g*) libris eorum, qui dicuntur Gewandschneider, Crämer tribuatur, supra (§. eod. *) docuimus. libris mercatorum?

* Num codex decoctoris contra tertium queat produci? disquirit HEINECCIVS d. *de mercatorum, qui foro cesserunt, rationibus & codicibus* §. 24.

§. CXVII.

Vitia, quibus quandoque laborant mercatorum libri, sunt uel *latentia* uel *euidentia*. *Illa* totum librum ab uno eodemque scriptum, *hæc* illud tantum caput, in quo deprehenduntur, uitiant *h*). Quæ horum uitia?

§.CXVIII.

d) ZIPFEL tr. von Wechsel=Br. pag. 294. 299. seq.

e) ID. c. l. p. 308.

f) ID. c. l. p. 298. KLEIN d. *de probatione, quæ fit per libros mercator.*

g) V, 6, 4. STRYK ad *I. Lub.* p. 176.

h) ZIPFEL c. l. p. 305. f.

§. CXVIII.

Me quidem iudice, falluntur, qui fidem libris mercatorum dare uolunt in illa tantum specie, ubi reus fatetur commercium, negans debitum. Sic enim nulla prærogatiua esset libro mercatoris prae alio *i*).

SECT. III.
DE
IVREIVRANDO.

§. CXIX.

Vt res conſcientiæ & pudori alicuius relinqueretur, ultimum & ſubſidiarium erat ueritatis eruendæ medium. Unde (1) dicebatur: der Eid iſt ein Ende alles Haders *k*); (2) iusiurandum non admittebatur, quamdiu in promtu erant uel teſtes uel inſtrumenta, quibus res ad liquidum perduci poterat *l*).

§. CXX.

Iusiurandum est

Iusiurandum eſt adſeueratio religioſa, iuſſu iudicis, ſub inuocatione Dei tanquam uindicis, ſi ſciens fefellerit, ſolemniter facta.

§. CXXI.

i) KRESS. *ſpec. Iurispr.* V, 21, 8. p. 812.
k) PISTOR *cent.* IV. *par.* 5.
l) *I. t P. S.* I, 15.

§. CXXI.

Unde hæc deriuo axiomata:

I. Iusiurandum consistit in adseueratione religiosa.

II. Præstandum est iussu iudicis, &

III. solemniter.

§. CXXII.

Quia iusiurandum est adseueratio (§. pr. 1.): consequitur (1) ut iurare nequeant *infantes*, *furiosi*, *mente capti*, attamen *minores*, secundum illud: der Eid macht mündig *m*); (2) ut iusiurandum ad *incogitata* trahi nequeat, adseueratio

§. CXXIII.

Quum sit adseueratio religiosa (§. eod.), constabit de causa (1) cur germanus dicat: wer recht schweret, betet recht *n*), item: (2) welcher des Teufels bereits eigen ist, der hat gut schweren *o*); (3) cur iusiurandum libere & ex animi sententia præstari debeat, ideoque (4) ui & metu extortum nullum sit, secundum illud: gezwungener Eid ist GOtt leid *p*); (5) cur illius formula attemperari debeat cuiusque *religioni*; (6) cur illius præstatio *in-* religiosa

con-

m) PISTOR. *cent.* I. *par.* 21.
n) ID. *cent.* VII. *par.* 37.
o) ID. c. l. *par.* 36.
p) ID. *cent.* II. *par.* 57.

continenti non soleat fieri *; (7) cur *temere q)* illud præstari sit prohibitum; (8) cur de *rebus illicitis* præstitum non obliget, ut indicat paroemia: dem Teufel ist man keinen Schwur zu halten schuldig; (9) cur dicatur: Nach dem toden Munde muß der Kläger seine Klage wider den Erben beweisen *r*); (10) cur *uiolatio iurisiurandi* summum sit piaculum.

* Videbatur enim & adhuc uidetur moram aliquam requirere, propterea quod cum animæ periculo coniuncta sit. Terminus interim, sicut olim erat *I. P. S.* II, 11. *Sueu.* c. 205. ita hodie peremtorius est.

§. CXXIV.

iussu iudicis

Iusiurandum iussu iudicis præstandum est (§. CXXI, 2.) *. Hinc adhuc hodie (1) illud *delatum* præstandum non est, nisi delationem ratam habuerit iudex; (2) ex quorundam locorum statutis is demum illud defert, qui iam aliquid probauit; immo (3) in arbitrio iudicis est, utram partem ad iusiurandum admittere malit *s*).

* Illud, intra terminum, eumque peremtorium, praestari debet, *I. P S.* II, 11. &, si quis ad id præstandum iusto tempore se obtulerit, ante præstationem uero mortuus fuerit, habetur præstitum.

§. CXXV.

q) *Capitul.* V, 197. *Alamann.* XLII.
r) PISTOR *cent.* VI. *par.* 49.
s) *Ref. Francof.* p. I. tit. 39. §. 8.

§. CXXV.

Solemnitates (§. CXXI, 3.), quibus olim iurabatur, erant uariae. Iurabant enim per *arma*, per *spatham tractam*, per *crucem*, *in manu aduersarii* * uel etiam comitis, *in pecunia*, *in uestimento t*), plerumque super *cruce*, *euangeliis*, *reliquiis sanctorum* ** aut *tacto altari u*). Plebs superstitiosa saepe etiam iurabat super *canone ecclesiastico*, *eucharistia*, *libro missali*, *stola sacra*, *per animam patris*, *coronam*, *dentes dei*, *lanceam S. Iacobi*, *per omnes gentes*, *salutem suam*, *splendorem dei x*), *per genium*, *salutem*, *uitamque principis*, quod tamen LL. moresque reprobant. sub uariis solemnitatibus facienda.

* Unde natum est (1) *iuramentum manuale* seu simplex, quod opponebatur *corporali*. Utriusque natales refert MATTHAEI *manud. ad Ius Can.* p. 321. (2) prouerbium illud: die Hand, so den Eid aufnimt, kan ihn auch erlassen, PISTOR *cent. 2. parœm.* 56.

** Unde nata parœmia: Ich will dir nicht alle Heiligen hertragen, & formula: auf GOtt und alle Heiligen, quae ad instantiam principum euangelicorum in Germania abrogata est.

§. CXXVI.

Alius porro erat *masculorum* alius *femi-* Iurantium gestus antiquus &

t) DU FRESNE *glossar.* f. 159. POLAC c. l. IV, 11, 2.

u) *L. Longob.* II, 55, 5. *L. Sax.* I, 8. *I. P. S.* I, 4. *Sueu.* c. 341. §. 3.

x) DU FRESNE c. l. f. 166.

minarum iurantium geſtus. Dextram eleuabant *illi*, *hæ* imponebant pectori. Quod feminarum iusiurandum ualde antiquum *y*) olim uocabatur *per pectus* uel *Naſtaid* z), & inte natum uidetur, quod ſancta euangelia, per quæ iurandum erat, collis ipſarum pendula digitis dextræ duobus uel tribus contingerent *a*) *. Poſtea femina iuratura præter pectus capillos tangere alicubi tenebatur *b*).

* Unde nata illa formula: zwey aus fünfen ziehen.

§. CXXVII.

hodiernus.

Hodienum iurant (1) *uiri* erectis, *feminæ* ſiniſtro pectori impoſitis tribus prioribus manus dextræ digitis; (2) *feminæ* in iudicio Rothwilenſi per formulam: mit Hand und Mund, mit Zopf und Bruſt *c*).

§. CXXVIII.

Iudæorum iuramentum.

Olim *iudæi* inter Germanos habitantes iurabant tactis libris legis Moſaicæ *d*), poſt nudis pedibus ſtantes ſuper pelle ſuilla *e*). Hodie ſub uariis ritibus & ſolemni-

y) ID. c. l. f. 160.
z) *L. Alamann.* LVI, 2.
a) GVNDLING. *Gundling.* IV, 2. §. 10.
b) *Spec. Sueu.* c. 296 ed MEICHSN.
c) *Ord. Rodvvil.* p. II. tit. 10. LVDOVICI c. d. c. 1. § 25. p 27.
d) DV FRESNE c. l. f. 163.
e) WILDVOGEL d. *de iuramento Iudæorum.*

lemnitatibus, a iudice antea execrati, iurare tenentur *f*).

§. CXXIX.

Denique & illud notandum erit, quod non unius semper hominis conscientiæ res dubia commissa, sed sæpe opus fuerit *sacramentalibus* *, iisque uiris integræ existimationis, nec non eiusdem conditionis, sexus, & quandoque familiæ, cuius erat iurans. Unde phrases: *sua*, *tertia*, *quarta*, *quinta*, *septima*, *decima*, *uicesima*, *centesima &c. manu* iurare, it. besiebnen, quod nihil aliud est, quam aliquem iureiurando, septima manu præstito, conuincere *g*). Consacramentales.

* Consacramentalium usum hodie non cessare penitus, uel literæ A. Ep. Mogunt. docent ap. FABRVM *St.* C. p. 125.

TIT. XI.
DE PVRGATIONE VVLGARI.

§. CXXX.

Purgatio uulgaris est modus ueritatem per prodigium aliquod eruendi. Dicebatur *iudicium Dei*, *ordela* *b*). Purgatio uulgaris

Vv 2 §. CXXX.

f) *Ord. Cam. p.* I. *tit.* 86. *Ord. Brunsu. Luneb.* p. II. tit. 8. p. 205.

g) THOMASII d. *de occas. concept. ac intent.* C. C. §. 15. POLAC. c. I. §. 3.

b) DV FRESNE h. u. To. III. f. 59. SCHOTTEL *de ant. in G. iuribus.* p. 514.

§. CXXXI.

uarii generis est.

Genera purgationum uulgarium notissima hæc erant: iudicium *aquæ feruentis i*) & (2) *frigidæ k*), (3) *crucis l*), (4) per *eucharistiam m*), (5) *cadaueris occisi tactum n*), (6) iudicium *ferri candentis o*), (7) *fortis p*), (8) iudicium offæ uel panis adiurati, Anglis *corsned* dictum *q*).

§. CXXXII.

Singulare certamen

Denique pertinebat eo (9) singulare certamen das Wehrding *r*), non solum in controuersiis de factis & purgationibus

i) ID. h. u. To. I. f. 280. EBELING. tr. *de prouocat. ad iudic. Dei* c 5.

k) ID. h u. To. I. p. 275 EBELING. c. tr. c. 6. FALCKENSTEIN *memorab. Nordgau.* To. I. c. 4 p 117.

l) ID. c. l. p. 1274. GERICKEN ad SCHOTTEL. c. 5. EBELING. c. l. c. 7.

m) ID. To. IV. p. 285. GERICKEN ad SCHOTTEL. c 6. EBELING. c. l. c. 8. SCHMID *de modo probandi innocentiam per euchar.*

n) SCHOTTEL c. l. c. 3. EBELING. c. l. c XI. MVLLER de. *de Sandapila.*

o) DV FRESNE. To. II. p. 384. SCHOTTEL. c. l. p. 543. seq. EBELING. c. 4.

p) *L. Frision.* XIV, 1. GERICKEN ad SCHOTTEL. c. 8. EBELING. c. 10.

q) DV FRESNE To. I. p. 1234. GERICKEN ad SCHOTTEL. c. 7 EBELING c. l. c. 9.

r) MAVRITIVS *de duellis* §. 29. *opusc.* pag. 958. seq.

bus *s*) a criminibus, sed & de ipso iure & pro existimatione defendenda, exerceri solitum *t*). De *prouocatione & chirotheca in wadium oblatione; prouocationis acceptatione & causis, cur duellum detrectari posset* u. c. imparibus natalibus *u*), infidelitate prouocantis *x*), prouocatione pomeridie facta &c. *y*), *de mulcta iniuria prouocantis* z), *causis cur prouocato non statim in arenam descendendum erat a*); *de armis, quibus, & modo, quo pugnandum b*); *de aetate, statu & situ pugnantium; de arena sanctione poenali munita, & in eam ingressu*, multis agunt DV FRESNE *c*), MADERVS *d*), HEINECCIVS *e*), SCHOTTELIVS *f*), EBELING *g*), & GERHARD *h*).

s) *Conf.* CRAMER *de iur. & praerog. nobil. auitae* c. V. §. 4.
t) DITHMAR *de iudicio duellico* §. 10.
u) *I. P. S.* I, 50. II, 65. *Sueu.* c. 164.
x) *I. P. Sueu.* c. 340. §. 7.
y) *I. P. S.* I, 63.
z) Ibid. 51.
a) *I. P. S.* I, 49. II, 3.
b) Ibid. I, 63.
c) c. l. To. II. p. 187.
d) tr. *de duellis.*
e) *Elem I. Germ.* lib. IV. §. 239. seq.
f) c. l. c. 28. p. 515. seq.
g) c. tr. c. 3.
h) d. *de iudicio duellico.*

§. CXXXIII.

Usus hod. Examen *aquæ frigidæ* maxime in explorandis sagis, nec non *ius feretri* diutissime mansisse, atque *singularia certamina* quodammodo adhuc frequentari non nisi hospitibus in re germanica ignotum est.

TIT. XII.

DE SENTENTIA.

§. CXXXIV.

Sententia. Sententia est decretum iudicis super re in iudicio peracta.

§. CXXXV.

cum definitiua tum interlocutoria. Diuiditur in *definitiuam* & *interlocutoriam*, quarum hæc olim erat frequentissima. Nihil enim in iudicio peragebant litigantes, ubi non prius ueniam rogarent (§. LXXV.*), aut, quid sibi iuris competat, interrogarent.

§. CXXXVI.

qualis esse debeat. Utraque debet (1) respondere *legibus*, atque *actis & probatis*; (2) esse *certa*, *puraque* aut statim purificanda, ut uulgo dicitur.

SECT.

SECT. I.
DE
SENTENTIA FERENDA.

§. CXXXVII.

Iudex ferebat sententiam non de suo arbitrio, sed *de consilio scabinorum i*), qui ieiuni *k*), palliati, inermes, sine pileo & chirothecis sedebant in iudicio sententiam inuenturi *l*). Qui si quando in diuersa ibant, iudex sequebatur uota maiora *m*), uel, si ea paris numeri, sententiam mitiorem *n*). Eam iudex ferebat ex scabinorum

§. CXXXVIII.

Ubi scabini, quid æquum atque iustum sit, suopte non peruidebant iudicio *o*), iudex in consilium adhibebat (1) ciuitates eas, quarum LL. & statuta ciues sui adoptauerant *p*)*; (2) extraneas *scabinorum curias***, & (3) succedente tempore, *facultates iuridicas****. uel aliorum consilio.

i) *I. P. S.* II, 12. *Sueu.* c. 80. BRVMMER *de scab.* c. 8.
k) *I. P. S.* III, 69. *Alam.* c. 135. HOFFMANNI d. *de modo exerc. priuata iudicia* p. 12. e).
l) BRVMMER *de scabin.* c. 7. §. 19.
m) *Spec. Sueu.* c. 108. §. 4.
n) *Cap.* V, 160.
o) *I. P. S.* II, 12.
p) HEINECCIVS c. l. §. 271. HARPPRECHT d. von Oberhöfen th. 18.

* Hæ dicebantur curiæ superiores, Oberhöfe. Inter quas celebrabantur *Bremensis*, *Coloniensis*, *Lubecensis*, *Magdeburgensis*, *Mindensis*.

** Sic scab. Magdeburgensis & Halensis fama tanta erat, ut Uratislauienses & Culmenses scabini haud raro ad eos prouocarent, appellarentque.

*** Olim scabini quasi ex tripode lingua germanica respondebant, ICti uero sententiæ latina lingua conceptæ rationes decidendi addere nulli dubitabant.

§. CXXXIX.

Nequeo quin adducam, quod nemini (1) in eadem caussa iudicem & aduocatum agere *q*), uel (2) tres sententias, serie non interrupta *r*), aut (3) contra absentem *s*), furiosum, mente captum *t*), minorem *u*) ferre unquam licuerit; (3) quod olim, sententiam iniquam qui tulerat, coactus fuerit uel ignorantiam suam iureiurando probare, uel pati manum sibi amputari *x*).

§. CXL.

Usus hod. Ex dictis cognoscere potes, unde illud fit (1) quod nihil fere in foro ab alterutro litigante fiat, super quo non interloquantur iudices; (2) quod quibusdam ci-

q) *I. P. S.* I, 60, ibique gl.
r) *Weichbild.* art. 27.
s) *Capit.* VII, 271.
t) *I. P. S.* III, 3. *Sueu.* c. 145.
u) *Capit.* VII, 265.
x) *Spec. Sueu.* c. 108. §. 3. PULAC. c. l. IV, 1, 9.

ciuitatibus competat das Zug=Recht, non disſimile iuri prouocandi ad ciuitates, unde iura ſunt adoptata; (3) quod ſententia alicubi dicatur eine Findung y); (4) quod maiora uota attendantur; (5) quod iudex uel ſuo arbitrio terminum inrotulationis ponat, eoque præterlapſo ad ordinem quendam iuridicum aut ſcabinatum acta transmittat, ab eoque petat ſententiam z); (6) quod & ſcabini & ICti patrio ſermone de iure reſpondeant, & reſponſis ſententiisque ſuis rationes dubitandi & decidendi *, ſi quæ petitæ fuerint, addere nulli dubitent. Quam impetratam iudex mutare uel ab actis remouere nequit a), niſi poſt transmisſionem actorum noui quid contigerit, quod ſententiam immutari iubeat.

* Hæ (1) perſpicuæ, (2) cauſam inſtruentes, nec (3) cerebrinis fictionibus, ſed (3) iure fundatæ debent eſſe.

y) *I. Hamburg.* I, 6, 1.

z) GVNDLING & REINHARTH d. *de transmiſſ. act.*

a) THOMASII d. *de iudice ſentent. ab actis remou.*

SECT. II.
DE
MODIS SENTENTIAM IMPVGNANDI.

§. CXLI.

Sententia nulla.

Sententia ex causa, quæ paret falsa, aut ex falsis probationibus, aut contra inauditum, aut in detrimentum salutis reip. &c. lata, nulla est, nec uires rei iudicatæ unquam nanciscitur, si uel maxime suspensa non fuerit *b*).

§. CXLII.

Adpellatio fieri debet

Sententia lata uel approbatur uel blasphematur aut reclamatur, wird gescholten*. Iam olim licebat (1) cuilibet (2) a quolibet iudice, cuius quis ipse non probauerat arbitrium *c*), (3) in *causis ciuilibus*, & iis, quæ ad leuiora delicta pertinebant **, (4) ad *superiorem* adpellare *d*), sicque blasphemare sententiam. Contra adpellatio iis, qui capitis erant damnati denegabatur *e*).

* Alterutrum olim sub poena carceris debebat fieri. *Capit.* III, 7.

** Num hodie in causis politiam concernentibus appellare liceat, disquirit SCHREIBER d. *de cau-*

b) Herold *decis.* 49.
c) *Capitul.* VII, 21.
d) *I. P. S.* II, 12.
e) *Capitul.* VII, 129, 128.

causarum politiæ, & earum, quæ iustitiæ dicuntur, conflictu & differentia. sect. 3.

§. CXLIII.

In nullius potestate erat, iudicem, a quo prouocabat, conuitiis lacessere. Secus faciens infamia notabatur *f*). saluo honore iudicis.

* Ridiculi ritus scabinum de scamno deturbandi, (2) *nuntiorum*, qui interposita adpellatione a iudice inferiore ad superiorem mittebantur, & (3) *modi*, quo caussa adpellationis, præsentibus nuntiis, a iudice superiore cognoscebatur, nec non (4) *poenæ*, qua temere adpellantes adficiebantur, plenam mentionem facere, frustraneum esse puto.

§. CXLIV.

Remedia suspensiua uario quidem uocantur nomine, ad unum tamen eo tendunt omnia, ut grauamina, quæ iudex sententia alterutri uel utrique parti intulit, accuratius exponantur, actaque ad extraneos mittantur, uel, iis saltem ab alio relatis, noua atque æquior sententia impetretur. Remedia suspensiua

§. CXLV.

Et hodie, ubi iudex inferior grauamen intulit, superior adpellari potest, nisi obstet priuilegium de plane non, aut non infra certam summam, appellando *g*), quo

f) Ibid. VII, 142.

g) LVDOVICI d. *de summa apellabili.*

quo inferior munitus est, aut causae litigiosae qualitas.

§. CXLVI.

Pecunia succumbentiae.

In Bauaria, Palatinatu, & quibusdam locis aliis appellantes *iurare*, alibi *pecuniam*, quam dicunt *succumbentiae**, deponere, aut saltem de ea in posterum praestanda satisdare tenentur *i*).

* Hanc pecuniam uictus, quique appellationi renuntiauit uel expresse uel tacite, perdit, uictor contra repetit. Num uero ille, qui cum aduersario, appellatione pendente, transegit, illam pecuniam perdat? disquirit HEINECCIUS c. d. §. 30.

§. CXLVII.

Ut (1) de causis, ex quibus sententiae dicuntur nullae, (2) de iis, quibus & ad quos appellare non licet, (3) de modo & tempore, quo interponenda, introducenda & prosequenda appellatio, (4) de appellationis rite interpositae effectibus &c. multis disseram, certe non est. Hodie enim Germani in his omnibus sequuntur ius pontificium, quod iam alibi docuimus *k*).

SECT.

h) Seyfarths T. Reichs-Proc. c. 27. §. 25.

i) HEINECCIUS d. *de pecunia in casum, si causa ceciderint, ab appellantibus alioque remedio utentibus, deponenda.*

k) *Elem. nr. Iur. Can. Pont. Eccl.* lib. IV. §. 224. seq.

SECT. III.
DE
EXECVTIONE SENTENTIAE.

§. CXLVIII.

Sententia, ubi non impugnatur, acquirit uires *rei iudicatæ*, nec ulla actione inuerti potest *l*). Itaque *executioni* mandari debet. Res iudicata

§. CXLIX.

Idque (1) *uel* a iudice, qui pronunciauit *uel* ab alio, mox solo executore, mox iudice condemnati ordinario; (2) *uel* per pignoris capionem, *uel* per immissionem & inductionem in possessionem *m*) rei cuiusdam certæ, prout personalis aut realis actio instituta. a quo &

§. CL.

Denique notandum, quod, ubi pignora capiuntur, debeat (1) allodium ante feudum excuti *n*), atque (2) executio fieri in mobilia, immobilia, nomina; (3) quod in Saxonia *executionem* sequatur *immissio*; & hanc excipiat *subhastatio o*), (4) alibi uero *taxatio* & hanc demum *subhastatio*. Hæc primum generaliter post specialiter de- quomodo executioni detur?

l) Capit. VII, 351. I. P. S. II, 6.
m) I. P. S. I, 70.
n) HILDEBRANDI d. *de excussione allodii ante feudum*
o) KAYSERS Anweisung zum Hülfs=Proc.

debet fieri, semper tamen idem plane obiectum continere.

TIT. XIII.
DE
PROCESSU EXECUTIVO.

§. CLI.

Processus executiuus quando &

Processui executiuo, seu ei, quo ad ipsam statim executionem properatur, locus est, ubi actor omnium & singulorum libelli capitum *p*) ueritatem iudicem docere potest ex uno uel pluribus documentis guarentigiatis * (lib. III. §. CLXXXIV.).

* Qui praesumtione iuris nititur, hunc processum instituere nequit. BERGER *El. proc. exec.* §. 35.

§. CLII.

quomodo instituatur?

Modus procedendi hic est. Actor iudici libellum una cum copia documenti guarentigiati exhibet *, petens eum, uelit reo documenti recognitionem, hacque facta, solutionem sub poena executionis iniungere.

* *Libellus*, quo instrumenti editio & recognitio simul petitur, habetur ineptus. BERGER c. l. §. 45. WERNH. *obs. pr.* IV, 371. p. 608. RIVINUS *tit.* V. *enunc* 21.

§. CLIII.

Documentum recognoscens

Rei, ad recognitionem legitime citati, est, documentum guar. ubi in originali pro-

p) Ill. BOEHMER R. 496. nr. 3.

productum est, quod ad manum & contenta *q*), uel recognoscere * uel iurato diffiteri **. Recognitionem condemnatio, iuratam uero diffessionem absolutio sequitur. Reus & recognitionem & iuratam diffessionem denegans, contumaciae accusatur.

* Alterutrius recognitio non admittitur, nisi manifesta adsint indicia falsi. BERGER c. l. §. 27.

** Iuratae diffessioni datur locus, si uel maxime recognitioni in instrumento renuntiatum fuerit.

§. CLIV.

Reiiciuntur, uel in reconuentionis iudicio demum deduci possunt, *exceptiones* omnes, quae non nisi per testes, aut per instrumenta quidem, sed non in continenti, probari possunt *r*) *. Iurisiurandi delationi non esse locum, res ipsa loquitur. quas exceptiones opponere possit?

* Num & in quantum ei, qui ex instrumento super contractu bilaterali confecto executiue agit, opponi queat *exceptio implementi non secuti*, disquirit BERGER §. 29. seq.

§. CLV.

Quoties huic processui datur locus, toties mandata S. C. decernere solet imperialis camera *s*).

TIT.

q) BERGER c. l. §. 27.
r) GRIBNER *princ. proc. iudic* II, 4, 7.
s) LVDOLFF *obseru. cam.* 136.

TIT. XIV.
DE
IVDICIO ET PROCESSV CAMBIALI.

§. CLVI.

Proc. cambialis ubi

Processus cambialis institui potest (1) tam in foro debitoris ordinario, quam in foro contractus initi aut destinatæ solutionis. Viennæ tamen peculiare iudicium cambiale constitutum est, & alicubi sunt quibus ex singulari principis dispositione demandata est causarum cambialium cognitio, ut sic cesset priuilegium fori primæque instantiæ.

§. CLVII.

contra quem &

Institui potest (2) contra quemuis, qui iure cambiali se obligare uoluit potuitque *t*), audiat dator debiti, trassans, indossans an acceptans, perinde est; (3) statim atque ualuta potest exigi.

§. CLVIII.

quomodo instituatur?

Dum libellum offert *, qui solemnis non debet esse, terminum poni, reumque, ut in eo personaliter compareat, citari petit creditor.

* Promtius medium est impetrare rescriptum incarcerationis, ein Captur-Befehl clausula *appellatione remota*, munitum.

§. CLIX.

t) LVDOVICI Einleit. zum Wechsel-pr. c. 2.

§. CLIX.

Actor in termino *non comparens*, expensas termini refundere, *comparens* uero literas cambiales * in originali producere, earumque recognitionem *u*) petere debet. Actor.

* Quae ubi indossatae sunt, tam indossamenti quam L. C. recognitio petenda est. LVDOVICI c. tr. c. VI. §. 5.

§. CLX.

Reus uel plane non, uel per procuratorem comparens, iterum, & quidem sub poena recogniti, addita in expensas condemnatione, uel, quod satius est, bey Vermeidung anderer Anordnung, citatur; *comparens* uero, ubi legitimationis, iudicis incompetentis uel suspecti, aliasue exceptiones dilatorias, substantialia processus tangentes, opponere nequit, literas cambiales quod ad contenta & subscriptionem simul * uel recognoscere uel iurato diffiteri debet. Utrumque recusans in carcerem mittitur, donec aut diffiteatur, aut recognoscat. Reus.

* Nisi adsint manifesta literarum falsarum indicia. LVDOVICI c. tr. c. 9. §. 6.

§. CLXI.

Recognitione facta, reus, nullis exceptionibus peremtoriis, in continenti per do-

u) Leipz. und Magdeb. W. R.

documenta liquidis, instructus, ubi creditori satisfacere nequit, carceri, non tamen famoso, includitur x), usque dum creditori plene satisfactum fuerit.

§. CLXII.

An detur locus appellationi? Neque a solutione L. C. neque a carcere liberat *appellatio*, quamuis iudex inferior ad superiorem apostolos dare teneatur.

TIT. XV.

DE IVDICIO MERCATORIO ET MODO QVO IN EO PROCEDITVR.

§. CLXIII.

In iudicio mercatorio Quibusdam in locis iudicia uigent mercatoria (lib. I. §. CCIV. **), ubi mercatores sunt conueniendi, & omnes res mercatoriæ * uentilandæ. Iudices ad ea constitui soliti sunt Dd. & mercatores, quibus copistæ adiunguntur.

* Eo pertinent alle von mercanz, Handlung und Wechsel herkommende, dieselbe angehende und davon dependirende Sachen, es werde personaliter oder realiter, nemlich auf eine gantze Handlung, Handels-Waaren, oder effecten geklagt, und betreffe Wechsel oder Rück-Wechsel, Buch-

x) STREIT *pos. ex iur. camb.* 6.

Buch-Schulden, Geld-Anlehn, Lagio, kaufen, verkaufen und vertauschen der Waaren, auch dießfals beliebte pacta, cessiones, assignationes, societates, assecurationes, fideiussiones sponsiones &c. Leipz. Handels-Ger. O. art. 2.

§. CLXIV.

In hoc iudicio proceditur de simplici & plano, ita ut (1) nulla *citatio* in scriptis fiat, nec (2) *libellus* reiiciatur generalis, alternatiuus, plures quam 3. actiones continens, dummodo de petito actoris constet, & nulla metuenda sit confusio; (3) reo libellus non communicetur, nec longum temporis spatium detur ad deliberandum: uelit contendere an cedere; (4) *actor* in termino *non comparens*, sub pœna perpetui silentii ad litem prosequendam, *reus* uero *contumax*, sit masculus an femina, bey Vermeidung anderer Anordnung, citetur; (5) *mandatum* ante litem finitam nec reuocari, nec eidem renuntiari possit; (6) nullæ admittantur *exceptiones dilatoriæ* nisi feriarum, illegitimationis, spolii, præuentionis & litispendentiæ; (7) ubi reus in termino non respondet, aut documentum in originali productum non recognoscit, ille pro confesso & conuicto, hoc autem pro recognito, sine præuia comminatione, habeatur; (8) non admittantur *exceptiones peremtoriæ* illiquidæ dubiæque; (9) sufficiat *demonstratio;* (10) currat fatale *de-*

quomodo procedatur?

monstrationis contrariae a die testium examinatorum uel documentorum recognitorum; (11) super attestatis non *disputetur*; (12) successores singulares soli *litem reassumere* teneantur; (13) sententia saepe nitatur responsis mercatorum, quae uulgo *parere* dicuntur *y*); (14) *executio* celeriter fiat &c. *z*).

TIT. XVI.
DE IVDICIO ET PROCESSV OPIFICIARIO.

§. CLXV.

Quid de iudicio &

Causae opificiariae, ubi neque in extranea opificum collegia, neque in iudices compromissum est *a*), uentilantur coram collegio in loco, quo arca posita est.

§. CLXVI.

processu opificiario notandum?

De processu notes uelim, quod (1) omnia tractentur de simplici & plano; (2) reus quandoque per edictum citetur; (3) quidam opifices probent iusiurandum bey Saltz und Brod *b*); (4) sententiae

y) SLVTERI d. *de responsis mercatorum, uulgo parere dictis* sect. 2.

z) BEYER *del. I. G.* I, 14, 25. Leipz. Handels-Ger. O.

a) STRVV *syst. iurispr. opific.* Tom. III. lib. 6. c. 1. §. 17.

b) IDEM c. l. c. 7. §. 15.

tiæ ferri debeant ſecundum iura collegii, nach der Amts-Rolle, & opificii conſuetudines, nach Handwercks-Gewohnheit *c*); (5) non ad iudicium urbicum, Stadt-Gerichte, ſed ad ſenatum, & ab hoc ad principem illiusque regimen appelletur *d*); (6) quod inſtrumenta opificum tunc demum ſint obiectum executionis, ſi deficiant bona alia; (7) quod exceptioni *indulti moratorii* nullus detur locus, dum mercedem petit opifex *e*).

TIT. XVII.
DE IVDICIO ET PROCESSV METALLICO.

§. CLXVII.

In iudiciis metallicis

In iudiciis metallicis, Berg-Aemtern, Berg-Cantzleyen, Berg-Gerichten *, quæ conſtant ex iudice Berg-Richter, Berg-Meiſter, aſſeſſoribus Berg-Geſchwornen, Beyſitzern, Rath & actuario Berg- und Receſſ-Schreiber, diiudicantur lites metallicis intenſæ, aut rei metallicæ ** intuitu motæ.

* Quæ Sec. XIII. in Bohemia & Miſnia floruiſſe conſtat ex ALBINI Meiſn. *Chron.* tit. VII. p. 64. ſeq. FABRICII *Annal. Freiberg.* ad A. 1294. Veterem uero eorum faciem oſten-

 dunt

c) IDEM c. l. c. 8. §. 4.
d) IDEM c. l. §. 13.
e) IDEM c. l. §. 22.

dunt L. Metallorum Goslar ap. LEIBNITIUM *scriptor. rer. Brunsu.* Tom. III pag. 325.
** Berg- und Schmeltz-Sachen, oder so von Bergwerck herfliessen, SCHOENBERG Entwurf der Churfürstl. Sächs. Berg-*Process*-Ordn. art. 2. eo refert nicht allein die Händel, welche unter der Erden in der Gruben, um Klüfte und Gänge, Stolle, Schächte und Feld-Oerter, und was sonst daselbst streitig werden mag, sondern auch was vor Händel ausserhalb der Gruben und Berg-Werke, um Ertz, Kieß, Kobold, mineralien und metallen, Bergtheile, Steuren, 9. und 4ten Pfenning, Schuld, Zubusse, Ausbeuthe, Berg- und Hütten-Kosten, Puchwercke, Schächtenhäuser, Wege und Stege, Teiche und Wasserleuste, & denique addit generalem clausulam: Hierzu auch alle Schmeltz-Sachen, und was von Bergwerke kommet, darzu gehörig und gebrauchet wird, oder werden kan.

§. CLXVIII.

quo procedatur modo.

In quibus iudiciis proceditur de simplici & plano *f*), ita nimirum, ut (1) qualis qualis facti narratio sufficiat, (2) actor reo tradat des Richters Kerbholtz *g*), sicque eum *citet* zum gütlichen Verhör *; (3) *amicabilis compositio* iterata uice tentetur; (4) *procuratores & aduocati* raro ad-

f) Joachimsth. Bergw. O. p. IV. art. 1. 3. 5. Rüttenb. B. W. O. tit. von der Ladung. Chur-Sächs. Silber B. W. O. de A. 1589. art. 191. Böhm. B. R. I, 5. IV, 1. 5.

g) SPAN *spec iur. metall.* p. III. c. 8. §. 2. ENGELBRECHT d. *de indic. metall.* c. 4. §. 4.

admittantur *b*), (5) reus in termino, si uel maxime in ferias incidat, ipse comparere, & (6) prætermissis *exceptionibus dilatoriis i*), (7) ad intentionem actoris breuiter, sed sufficienter *respondere*, & (8) *exceptiones peremtorias*, si quas habet, responsioni suæ specifice subnectere debeat; (9) sufficiat *demonstratio*, cuius articuli intra 4. hebd. offerendi; (10) contrariæ demonstrationis fatale currat a die, quo demonstratio finita est *k*); (11) qui definitiua sententia *l*) iudicis uel scabinatus durch Weisung *m*), oder Urthel, grauamen sibi illatum esse putat, alibi statim *appellare*, & argenti quid in casum succumbentiæ soluere debeat, alibi intra tempus decendio breuius *n*).

* Sin reus degat alibi, *scriptæ* quidem *citationi* locus est, sed ei, quæ non reiteratur & angustum ponit terminum.

b) LOEHNEIS Bericht vom Bergw. p. V. art. 14.

i) SPAN c. l. c. 23.

k) IDEM c. l. c. 25.

l) Fürstl. Braunschw. Lüneb. Berg-Ordn. art. 77.

m) SPAN c. l. c. 8. §. 4.

n) ENGELBRECHT c. d. c. IV. §. 10.

TIT. XVIII.
DE
IVDICIO ET PROCESSV FEVDALI.

§. CLXIX.

In iudicio feudali

In iudicio feudali cognoſcuntur cauſæ feudales, ſiue illæ, quæ inter perſonas qualitate feudali prædicas, de re uel facto feudali aguntur.

§. CLXX.

quis cognoſcat.

Controuerſiam feudalem, prout ea inter duos uaſallos, aut inter dominum directum & uaſallorum quendam orta eſt, cognoſcit uel ipſe dominus *o*), ſtipatus paribus curiæ *p*), uel iudicium parium* curiæ das Lehn- oder Mannen-Gericht, die Mann-Cammer *q*). Sunt autem pares curiæ, qui ab eodem domino immediate feudum habent.

* Adeſſe debent ad unum omnes, niſi dominus & uaſallus litigantes in aliquos tantum compromiſerint. 2. F. 16.

§. CLXXI.

Iudicium parium curiæ.

Quod iudicium parium curiæ in A. Ep. Moguntino, Treuirenſi, Colonienſi, Epiſc. Bambergenſi, Würzburgenſi, terris

o) 2. F. 55. §. f.
p) 1. F. 18. 2. F. 15.
q) 2. F. 16. 39. 55. *I. P. S.* III, 78. *I. P. S.* c. 65.

ris Brandenburgicis, Cliuensibus, Iuliacensibus, Megapolitanis, Palatinis, Pomeranicis & Würtenbergicis adhuc superest r); in reliquis uero principatibus, præsertim ubi Landsassiatus uiget, cessat, & causæ feudales coram regimine uentilantur, præsente dem Lehns-Secretario.

§. CLXXII.

Ordo procedendi.

Antiquum in causis feudalibus procedendi modum ex I. F. S. r) & A. s) discere potes. Hodie in feudalibus idem fere ac in allodialibus rebus procedendi seruatur ordo. Quilibet testes idonei, tam ignobiles, quam nobiles admittuntur, nec feminæ excluduntur. Sufficiunt duo uel tres; quum olim quinque, sex, aut pluribus esset opus x).

TIT. XIX.
DE IVDICIO ET PROCESSV MEYERDINGICO.

§. CLXXIII.

Iudicii meyerdingici

Iudicium meyerdingicum constat ex iudice scabinis seu senioribus meyerorum.

Xx 5 §.CLXXIV.

r) b. STRVV. *Iurisprud. Feud.* c. XXII. §. 5. Cel. CRAMERVS *de nobil.* p. 442.

s) c. 61. 68.

t) c. 18. ibique SCHILTER.

u) Conf. CRAMER *de iuribus & prærogatiuis nobilitatis auitæ* c. V. §. 6. p. 442.

x) 2. F. 57.

§. CLXXIV.

solemnitas & Coram iudice ubi comparuit, & huic roganti: sit tempus, quo constituat ein frey Recht und echtes Meyerding? it. was er heisen und gebieten soll? respondit procurator, ueniam petit eadem libertate & securitate a iudicio recedendi, qua accessit. Hanc ubi impetrauit, & instructus est uiris, qui dicuntur Achtsleute und Urtheltråger, quærit: (1) *quis huius iudicii meyerdingici dominus?* (2) *quid debeatur domino?* (3) *in quo consistat, & quo tempore solui debeat* Erbenzins? (4) *quid sit & quando debeatur* Baulebung? itidem (5) Umsaat? (6) *cui cedi & quomodo oppignorari queant bona meyerdingica?* (7) *quæ pœna in iudicio non comparentis*, aut (8) *priuilegium fori contemnentis?* (9) *quando census debitor priuandus prædio?* In quibus quæstionibus mouendis ea semper ultima, qua fultus procurator intendit agere.

§. CLXXV.

processus. Statim atque actionem edidit & præstanda præstitit procurator, *de iure* quærit meyeros. Hi ubi responderunt, iudex ter quærit: *adsit aliquis iura petiturus*, &, nemine comparente, dissoluit iudicium γ).

§.CLXXVI.

§. CLXXVI.

Eadem fere forma usu seruatur in dem Laten-Gericht, Hager- z) und Hübner- a) Ding, in iudicio probstingico b), marcali c) &c.

TIT. XX.
DE
IVDICIO IN PEREGRINORVM FAVOREM CONSTITVTO
Vom Gast-Recht.

§. CLXXVII.

Iudicium, in quo causæ peregrinorum cognoscuntur ac deciduntur, iam media ætate usitatum d), adhuc hodie multis in locis usu obtinet, ac dicitur das Gast- oder Kauf-Recht, das Gast- oder Kauf-Gericht. In iudicio peregrinorum

§. CLXXVIII.

y) GERICKEN ad SCHOTTEL. nr. 3.

z) BVRI Erläuterung des Lehn-R. p. 962.

a) IDEM c. l. p. 973. KOPP Proben des T. Lehn-R. p. 288. seq.

b) GOEBEL *de singularibus quibusdam rustic. prædiis* sect. V. §. 16. seq. p. 99.

c) REINHARD *de iure forest. German.* sect. 3. §. 6.

d) *Weichbild* art. 45.

§. CLXXVIII.

quomodo procedatur?

In eo de simplici & plano proceditur, feriae humanae non attenduntur, dilationes amputantur, & omnia, quantum fieri potest, celeriter expediuntur *f*).

e) MÖLLERI d. *de iudicio summario peregrinorum* §. 13. SCHMID d. *de modo procedendi circa peregrinos* §. 51.

f) IDEM c. d. §. 24.

FINIS.



INDEX I.

INDEX I.
OMNIVM TITVLORVM.

DISSERTATIO PROOEMIALIS.

LIB. I.

L.

LIB. II.

LIB.

LIB. III.

LIB. IV.

INDEX II.
RERUM ET VERBORUM.

Acker-

olim

Ana-

Bauer-

Bohr

Bur-

ac-

Ce-

Com-

Con-

De-

Ius

Do-

Sach

in-

gemeine

ius

Usus

Ie-

Lehn=

ille-

Mari-

Me-

Nobi-

Nup

Oeno-

Opifi-

Pa-

Eorum

Me-

Muth-

Oeno-

 Pa-

Eorum

in

Pro-

Re-

Richt

Se-

ad

T.

Tras-

Schrifft-

ad

Thur-

Tras-

Tu-



759





